BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
14
21 N
19
5.

FRANCISCI ANNATI

SOCIET: IESV

OPVSCVLORVM THEOLOGICORVM AD GRATIAM SPECTANTIVM

TOMVS TERTIVS

QVINQVE OPVSCVLA COMPLECTENS.

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE



LVTETIÆ PARISIORVM,
Apud SEBASTIANVM CRAMOISY, & SEBASTIANVM MABRE-CRAMOISY, Regios Typographos, ſub Ciconiis.

M. DC. LXVI.
CVM PRIVILEGIO REGIS.

INDEX OPVSCVLORVM, CAPITVM, AC PARAGRAPHORVM.

I.

Catholica Diſceptatio de Eccleſia præſentis temporis.

CAP. I. DVORVM *nouæ Theologiæ Principum ſenſus circa præſentis Eccleſiæ infallibilitatem.* pag. 19

CAP. II. *Quid ſentiant eorum diſcipuli.* 25

CAP. III. *Certitudo Traditionis Eccleſiæ antiquæ ſtare non poteſt ſine infallibilitate hodiernæ.* 28

CAP. IV. *Auguſtinus docet in Eccleſia ſeruari depoſitum Catholicæ doctrinæ, à Patribus traditæ.* 31

CAP. V. *Eccleſia primitiua infallibilitatem aſſerit Eccleſiæ non primitiuæ ex Auguſtino.* 39

CAP. VI. *Nullis minùs quàm Non-Auguſtinianis exploratam eſſe traditionis diſciplinam.* 59

CAP. VII. *Non ſufficere ad infallibilitatem Eccleſiæ quòd illa rectè credat, & fidem ſuam palam in precibus & orthodoxis loquendi formulis profiteatur, ſi erret in eorum intelligentia.* 67

CAP. VIII. *Illa Baianorum Theologia ſecum pugnat.* 77

CAP. IX. *Bicephalorum meditationes meritò ſuſpectæ.* 82

CAP. X. *Parallelum Baianorum & Caluiniſtarum.* 87

II.

De incoacta Libertate diſputatio quadripartita, qua monſtratur ex doctrina potiſſimùm S. Auguſtini, atque etiam S. Thomæ; Indifferentiam, hoc eſt agendi & non agendi potentiam, & quidem proximam, & expeditam, ad libertatem arbitrii eſſe neceſſariam.

Admonitio ad Lectorem circa relationes Sanct-Amorii in ſuo Diario. 93

CONTRA NOVVM AVGVSTINVM IPRENSIS EPISCOPI.

CAP. I. *Ianſenii ſententia refertur, & præcipua ejus fundamenta convelluntur.* 105

§. 1. *Quid ſentiat Ianſenius.* 105

§. 2. *Explicatur Auguſtini doctrina, de iis quæ dicuntur eſſe in noſtra poteſtate.* 108

§. 3. *Auguſtini doctrina de concordia præſcientiæ cum libertate nihil juvat cauſam Ianſenii.* 113

§. 4. *Nihilo magis juvat quod docet Auguſtinus de duplici neceſſitate.* 115

CAP. II. *Probatur triginta quinque teſtimoniis S. Auguſtini, voluntatem, ſeu volitionem quæ ſupponitur eſſe libera, eo ipſo ſupponi eſſe à potentia indifferente.* 120

§. 1. *Priora tria teſtimonia colliguntur ex locis, à Ianſenio pro ſua ſententia citatis.* 120

§. 2. *Teſtimonia reliqua.* 123

§. 3. *Miracula Ianſeniana.* 172

CONTRA VINCENTIVM LENEM.

Examinantur aliquæ Vincentii Lenis cogitationes ſuper iſta controuerſia.

CAP. I. DE quibuſdam Vincentii Lenii, atque aliorum Ianſenianorum opuſculis, & quid ille tum de Ianſenio ſentiat, tum etiam de ſe. 176

CAP. II. Examinatur diſtinctio duplicis neceſſitatis ſimplicis; quarum altera tollit, altera ſeruat arbitrii libertatem. 179

§. 1. Ianſenii & Vincentii diſcrepantia. ibid.

§. 2. Oſtenditur diſtinctionem illam Vincentianam ſtare non poſſe. 181

CAP. III. Examinatur alia diſtinctio duplicis libertatis, eſſentialis, & accidentalis. 185

§. 1. Explicatur Vincentii diſtinctio. ibid.

§. 2. Refutantur quæ dicit de libertate Eſſentiali. 186

§. 3. Refutantur quæ addit de libertate accidentali, & oſtenditur cauſæ liberæ neceſſariam eſſe proximam agendi, & non agendi potentiam, conſentientibus Thomiſtis, quibus Vincentius imponit. 187

§. 4. Oſtenditur pons à Vincentio fabricatus, & lucerna Fulgentii extinguitur. 192

CAP. IV. Expenditur Vincentiana interpretatio Concilii Tridentini, & ipſa explicatione oſtenditur quàm ſit inanis. 193

CAP. V. Quomodo ſoluat Vincentius locum D. Thomæ ex quæſtione ſexta de malo, art. vnico.

§. 1. Refertur doctrina D. Th. Rejicitur intempeſtiua, & parum decora Vincentii fabella, & ſolutio, quam affert ab inconuenienti: fruſtra conari Vincentium Thomiſtis implicare Ianſenianis controuerſiis. 198

§. 2. Oſtenditur ex doctrina citatæ quæſtionis, S. Thomam requirere ad libertatem, agendi & non agendi potentiam, & quidem immediatam. 200

§. 3. Quidquid faciant Ianſeniani, non poſſe diſſimulare quam animo conceperunt parum æquam de doctrina D. Th. opinionem. 203

CONTRA APOLOGISTAM IANSENII.

Expenditur quod reſpondet Apologiſta Ianſenii.

CAP. I. *Conſilium Apologiſtæ quærere præſidia ſuæ ſententiæ à Scriptoribus Scholaſticis exemplo Ianſenii: & de approbatione Illuſtriſsimi Vabrenſis Epiſcopi circa librum de Libertate Dei & creaturæ.* 207

CAP. II. *Vtrum Ianſenius admiſerit libertatem hominum viatorum eſſe indifferentem.* 211

§. 1. *Probatur admiſiſſe.* ibid.

§. 2. *Oſtenditur reuera negauiſſe.* 212

§. 3. *Probatur ampliùs, ſpeciem tantùm inanem indifferentiæ à Ianſenio admiſſam.* 217

§. 4. *Contradicere Ianſenium ſibi ipſi, Auguſtino, Tridentino, Scripturæ ſacræ, & communi mortalium ſenſui.* 221

CAP. III. *An rectè Ianſenius dixerit indifferentiam ad contraria, vel contradictoria non pertinere ad rationem liberi arbitrii, ſed poſſe adeſſe, vel abeſſe, ſtante illæſa libertate.*

§. 1. *Oſtenditur hoc dixiſſe Ianſenium, & in eo ſecum pugnare, nec ab Apologiſta bene defendi.* 231

§. 2. *Pugnat etiam cum ſenſu Eccleſiæ & S. Auguſtini.* 229. b.

§. 3. *Inferuntur ex dictis aliquæ contradictiones in Ianſeniana Theologia.* 232 b.

§. 4. *Reijcitur quod dicit Apologiſta, ita ſe habere indifferentiam ad definitionem liberi arbitrii, ſicut* eſſe mortale *ad definitionem hominis.* 235

§. 5. *Neceſsitas indifferentiæ ad libertatem arbitrii probatur ex Tridentino, & ex Bulla contra Baium, & Ianſenium.* 237

CAP. IV. *De ſententia S. Thomæ.*

§. 1. *Explicatur quod obijcitur ex S. Thoma., 3. contra gentes cap. 138.* 241

§. 2. *Oſtenditur pluribus aliis teſtimoniis ex eadem Summa contra Gentiles, indifferentiam ad libertatem arbitrii neceſſariò requiri.* 242

§. 3. *Soluitur aliud teſtimonium ex quæſtione decima de Potentia.* 247

§. 4. *Quam mereantur fidem narrationes Apologiſtæ.* 248

CONTRA COMMENTATOREM.

Examinatur commentarius Anonymi in tertiam propoſitionem à Sorbonicis Doctoribus damnatam.

CAP. I. *Cauſa & ratio ſcribendi hujus* Commentatoris.

§. 1. *De geſtis apud Sorbonam in cauſa Ianſenii.* 250

§. 2. *Commentator proſcriptam propoſitionem apertè tuetur.* 252

CAP. II. *Expenduntur quæ affert teſtimonia Sancti Thomæ.*

§. 1. *Intactâ Thomiſtarum doctrinâ damnabilem eſſe doctrinam Ianſenianorum.* 254

§. 2. *Proponuntur decem S. Thomæ teſtimonia, quæ nullo modo probant indifferentiam non eſſe libero arbitrio neceſſariam.* 257

§. 3. *Diluitur undecimum teſtimonium, & quid paſſim intelligatur apud S. Thomam, & alios Patres, nomine coactionis, conſentientibus ipſis Ianſenianis.* 260

§. 4. *Explicatur locus ex 3. Sent. diſt. 18. art. 2. ad 5. Quod determinatio ad unum numero, non tollit rationem meriti & laudis.* 262

CAP. III. *Probatur quinquaginta duobus teſtimoniis Sancti Thomæ, indifferentiam eſſe ad libertatem arbitrii neceſſariam.* 265

III.

Informatio de quinque propoſitionibus, ex Ianſenii Theologia collectis, quas Epiſcopi Galliæ Romano Pontifici ad Cenſuram obtulêre.

Admonitio ad Lectorem, & Notæ in Diarium Sant-Amorii. 287

Præfatio, in qua præcipua quædam vitia libri de Gratia victrice breviter perſtringuntur. 295

DE PRIMA PROPOSITIONE.

QVID ſentiat Ianſenius. 355
Quid ſentiant Hæretici. 358
Quid ſentiat Eccleſia. 361
Quid reſpondeant Ianſeniani. 362
Quæ ſit doctrina S. Auguſtini. 369
Notantur aliquot Ianſenii fallaciæ in referenda Sancti Auguſtini ſententiâ, de poſſibilitate diuinorum mandatorum. 372

DE SECVNDA PROPOSITIONE.

Quid ſentiat Ianſenius. 418
Quid ſentiant Hæretici. 420
Quid ſentiat Eccleſia. ibid.
Quid reſpondeant Ianſeniani. 424
Quæ ſit doctrina S. Auguſtini. 426

DE TERTIA PROPOSITIONE.

Quid ſentiat Ianſenius. 429
Quid ſentiant Hæretici. 431
Quid ſentiat Eccleſia. 433
Quid reſpondeant Ianſeniani. 435
Quæ ſit doctrina S. Auguſtini. 438

DE QVARTA PROPOSITIONE.

Quid ſentiat Ianſenius. 442
Quid ſentiant Hæretici de poſteriori parte propoſitionis. 445
Quid ſentiat Eccleſia. 446
Quid reſpondeant Ianſeniani. 447
Quæ ſit doctrina S. Auguſtini. 450

DE QVINTA PROPOSITIONE.

Quid ſentiat Ianſenius. 452
Quid ſentiant Hæretici. 453
Quid ſentiat Eccleſia. 454
Quid reſpondeant Ianſeniani. 465
Do-

Doctrina S. Auguſtini. 466
De Deo omnes ſaluare volente, mens Auguſtini. 472
De Christo pro omnibus mortuo, mens Auguſtini. 484
Epilogus, ad quinque ſuprà refutatas Propoſitiones. 498
Faſciculus ſententiarum ex Theologia Ianſeniana collectarum. 503

IV.

Ianſenius à Thomiſtis Gratiæ per ſeipſam efficacis defenſoribus condemnatus.

Admonitio ad Lectorem, & Notæ in Diarium Santamorii. 513
Præfatio circa V. Propoſitiones quæ Romæ examinantur. 521

THOMISTÆ CONTRA IANSENIVM.

De prima propoſitione. 525. *&* ſeq.
De ſecunda propoſit. 538. & ſeq.
De tertia propoſit. 546. & ſeq.
De quarta propoſit. 561. & ſeq.
De quinta propoſit. 569. & ſeq.

V.

Cauilli Ianſenianorum contra latam in ipſos à Sede Apoſtolica ſententiam: ſeu Confutatio libelli trium columnarum & aliarum conjecturarum, queis Ianſeniani obtinere conantur vt non videantur eſſe damnati.

Admonitio ad Lectorem, & Notæ in Diarium Santamorii. 583

Conſtitutio Sanctiſſimi in Chriſto Patris ac D. N. D. Innocentii Diuinâ Prouidentiâ Papæ X. Quâ declarantur, & definiuntur quinque Propoſitiones in materia Fidei. 600

Litteræ Innocentii Papæ X. ad Epiſcopos Galliæ. 605

CAP. I. *AN damnatæ propoſitiones fabricatæ ſint à Sorbonicis Doctoribus, an ex ipſo Ianſenio deſumptæ.* 609

CAP. II. *Quo ſenſu damnatæ ſint Ianſenianæ Propoſitiones.* 616

CAP. III. *Quid ſignificet exceptio, quâ vſus eſt Summus Pontifex dum declarauit non eſſe mentem ſuam damnare Doctrinam S. Auguſtini, nec controuerſiam attingere de Gratia per ſeipſam efficaci.* 628

CAP. IV. *Quid probent aliæ quædam conjecturæ Ianſenianorum circa mentem Summi Pontificis?* 634

CAP. V. *An Quinque Propoſitiones damnatæ ſint tantùm in genere?* 639

CAP. VI. *An ſeruatus ſit ordo legitimus in hoc negotio, dum recurritur ad Pontificem, non præmiſſo Epiſcoporum Galliæ Concilio.* 642

CAP. VII. *Tertia columna Ianſenianorum examinatur.* 648

CAP. VIII. *Quæ ſit vera columnarum diſpoſitio ad repræſentandam Ianſenianorum doctrinam, & cenſuræ Pontificiæ vim intelligendam.* 654

Conſtitutio Alexandri VII. PP. quâ damnantur Quinque Propoſitiones, excerptæ ex libro Cornelii Ianſenii. 659

SVMMA PRIVILEGII.

CAVTVM eſt auctoritate Regis, ne quis in Regno ejus, aliiſve locis ejus ditioni ſubditis, librum, qui ſic inſcribitur, FRANCISCI ANNATI Societatis IESV Opuſcula Theologica ad Gratiam ſpectantia, in tres digeſta tomos; *quouis charactere aut formâ excudere, aut alibi excuſum vendere, alióve quolibet modo diſtrahere poſſit, intra decem annos, computandos à die abſolutæ hujus editionis, præter Sebaſtianum Cramoiſy, Regis & Reginæ Architypographum, Regiæ Typographiæ Gubernatorem, necnon vrbis Exconſulem. Qui ſecus fecerit, mulcta eſt indicta, prout fuſiùs in diplomate Regio continetur, dato Pariſiis, die* 10 *Maii* 1666. *& ſignato de mandato Regis*, BEGVIN.

AD LECTOREM.

CVM pronum eſſet ad diuinandum, doctrinam quam Ianſeniani meditabantur, in Eccleſiæ judicium & damnationem incurſuram, illi muniendam putauere propoſito ejuſdem Eccleſiæ ſtatu duplici. Alium enim olim fuiſſe, dum illa Principum Ethnicorum defuncta perſecutionibus, ſub Patribus doctrina & ſanctitate conſpicuis, explicare cœpit veluti florentem omni virtute ac ſapientiâ juuentutem : alium poſtremis hiſce temporibus, quibus pro conditione rerum humanarum, ſenectutis & ipſa detrimenta patitur, & conſuetos ætatis jam effætæ ac deficientis caſus experitur. Vides, LECTOR, illa diſtinctio quò pertineat: neque id Ianſeniani diſſimularunt. Eccleſiam ſcilicet in illo priore ſtatu vocauere *Eccleſiam in ſua puritate*, à qua repetendæ ſint & morum & Catholicarum veritatum regulæ. Caue autem vlterius interroges, neu ſcire velis, quid igitur ſentiant *de Eccleſia præſentis temporis*. Statim enim os obſtruunt, & ita loquendum eſſe negant; Eccleſiam ſiquidem vti & Chriſtum eſſe heri & hodie & ſemper eandem : id quod ego ſatis intelligo, ſed tamen peto, dicine poſſit Eccleſia tempore Innocentij X. eſſe *in ſua puritate*, ſicut erat tempore Innocentij primi? Si enim poteſt, cur tam procul nos mittunt, vt habeamus certas credendorum regulas, cùm videamus oculis noſtris, &

auribus audiamus Eccleſiam viua voce loquentem? Si non poteſt, quis ſecuros faciet regularum Eccleſiæ olim exiſtentis *in ſua puritate*, cùm Eccleſia quam potiſſimùm jubemur audire hoc tempore, impura ſit? Nempe hoc intendunt, vt qui per vocem Eccleſiæ in qua viuimus diſcendum putamus quid illa olim docuerit, è contrario, erigamus aurem, ad audiendum quid olim doceret, & ex ea regula reformemus minùs puram hoc tempore ſeneſcentis Eccleſiæ doctrinam.

Hanc ego hujus ſectæ peruerſitatem, quam nemo non videt totius fidei Chriſtianæ fundamenta conuellere, vt pro virili reprimerem, monſtrandum ſuſcepi, ex dato à Ianſenianis principio, quòd Eccleſia olim in ſua puritate fuerit circa veram fidei morúmque doctrinam, conſequens eſſe, vt hodieque ſeruare credatur eandem puritatem; antiquam enim Eccleſiam certò promittere puritatem ejuſmodi perſeueraturam: quòd ſi vera fuit promiſſio, perſeuerare igitur in Eccleſia hoc tempore doctrinæ puritatem: ſi vera non fuit, nec illam quam dicunt Eccleſiam fuiſſe puram, quippe quæ falſa ſuæ perpetuitatis imagine ludificata, totam quoque poſteritatem ludos fecerit. Hoc eſt vnicum hujuſce opuſculi argumentum, quod ego ante annos circiter quindecim authore potiſſimùm Auguſtino diſceptatum, quando Ianſeniani vnicum hunc eſſe voluerunt noſtrarum controuerſiarum arbitrum, in lucem dedi.

Erat id temporis, inter eos qui partes Ianſenii ſequebantur, celebris in paucis Fromundi mentio, vt pote quem Ianſenius ipſe *Auguſtini ſui* Tutorem Cura-

torémque teſtamento ſcripſerat. Ad hunc ergo putaui diſceptationem hanc eſſe dirigendam; itáque *Vincentio Leni*, quo ille nomine tegi voluit in his certaminibus, opponendum cenſui *Vincentium Seuerinum.* Quem ego ludum, Erudite Lector, vereor vt ſatis probes, cùm vtriuſque cauſam & merita agendique rationem penitus inſpexeris. Conſtabit enim fortaſſe, neque illum lenitatis, neque me ſeueritatis quidquam habuiſſe præter nomen.

Iam tempus eſſet confutare hoc loco quæ refert ſarmentitium illud & tot mendaciis, tot erroribus, tótque calumniis infame Diarium Santamorij, qui poſtquam librum hunc à me nominatim ſcriptum intellexit, inſigniuit Auctorem duplici titulo, *Impoſtoris* & *Nequam*: vúltque inter eorum exempla numerari, qui errores fingunt vt habeant vnde aliorum innocentiam calumnientur. Hæc ille opponenda putauit ampliſſimo erùditiſſimi Holſtenij teſtimonio, atque ipſius etiam Eminentiſſimi Cardinalis Barberini graui judicio, quos fateri cogitur opuſculum hóc valde probauiſſe. Ego verò viciſſim oppono huic maledicentiæ talium virorum commendationem, quæ in Santamorium cenſura quædam eſt.

3. Par. c. 9. pag. 141.
3. Par. c. 13. pag. 160.
4. Par c. 11. pag. 151.

Poſſem addere illis Approbatoribus Eminentiſſimum Cardinalem Romæ, qui librum hunc proprium habere ſe velle monſtrauit, cum amica expoſtulatione quòd ego illam ſignificationem non præuertiſſem. Et quando incidit tanti viri mentio, dedocendi ſunt ſi qui fortè fidem aliquam habuiſſent Auctori Diarij, qui poſt præclarum atque etiam veriſſimum tanti Cardinalis elogium, indoluiſſe dicit in ejus funere

5. Par. c. 11. pag. 243.

Triumuiros Ianſenianos (quartus enim jam abierat) quòd non dubitarent ſe certum habituros fuiſſe in ejus ſuffragio patrocinium. Quæ cùm ego legerem vix riſum tenui, quòd probè ſcirem, non vt Sanctamorius ex aliorum teſtimonio, ſed ex ipſius ore, quàm eſſet ille alienus à Ianſeniſmo, & quantopere cuperet ejus progreſſui limites figi, cùm diceret, *Nullum hoc tempore in Eccleſia Dei occurrere majoris momenti negotium.* Quare indoluimus quidem omnes in tanti viri funere, ſed Orthodoxi doloris cauſam habuere veriſſimam: Ianſeniani, admodum falſam. Non eſt omittenda egregia quædam & reconditæ plena ſapientiæ cogitatio, qua Santamorius ſuum in tanto luctu dolorem ſolari conatus eſt. Dicit enim occurriſſe animo ſuo "ſpeciem hanc, poſſe Deum vnius patroni jacturam "compenſare mille alios ſuſcitando, vt olim poterat "duodecim legiones Angelorum ad Chriſti defenſio- "nem mittere. ſublimis enimuero, & cordato viro di- "gna contemplatio.

Quod autem dicit me Ianſenianis imponere contrariam ei doctrinæ quæ in hoc libro proponitur, ſententiam, facilè probauerit, ſi poterit oſtendere quæ profero ex Ianſenio, ex Sancyrano, ex Arnaldo, apud eos non legi, vel alium ab eo quem impugno habere ſenſum: quod ſi obtineri non poteſt, tuæ, Lector, æquitatis erit pœnam talionis adjudicare falſo huic *impoſturæ* & *nequitiæ* accuſatori.

CATHOLICA DISCEPTATIO DE ECCLESIA PRÆSENTIS TEMPORIS.

Auctore VINCENTIO SEVERINO *Clarauallenſi.*

VINCENTIVS SEVERINVS
VINCENTIO LENI
SALVTEM.

VINCENTIORVM, *vt video, hæc cauſa eſt, ideóque ad eam normam tractanda quam Auguſtinus Vincentio tradit, cùm dicit*, Melius eſt cum ſeueritate diligere, quàm cum lenitate decipere. *Ea me ratio compulit, Vincenti Lenis, cui periculo tua te, ac ſectatores tuos lenitas exponat admonere, diſputatione fortè quàm velles ſeueriore, ſed amica, ſi me noueris, ſeueritate, & quia exemplo, conſilióque commendatur Auguſtini, etiam ſancta. Mellita quippe venena hujuſmodi lenitate tua & hauris ipſe, & aliis propinas: dúmque Auguſtini colore quæſito, leniter errando, leniter fallendo Caluini rem amplecteris; eos quibus ſupereſt ſenſus aliquis caritatis accurrere cogis, atque conari lethale tibi poculum eripere, vel inuito. Et optandum quidem erat, vt hoc officium ſola lenitas regeret, ſed quando animo es ita obfirmato, vt neque tui Principis mandatis, nec communis omnium Paſtoris voce moueare; tempus eſt quo ſibi qui te amant, dictum intelligant*, Solum lenitatis genus eſt, in hac re eſſe ſeuerum. Epiſt. 48. ad Vincent.

Atque ego quidem mirabar quî fieri poſſet, vt tu Lenis tibi nomen aſſumeres, quando tam aſperè repugnas; cùm mentem ſubiit cogitatio, ita te fortaſſe lenitatem oppugnantibus objeciſſe, vt rebelles aliquando ſolent mattas, culcitras, & id genus tormenta; non parendi ſtudio, ſed amore vincendi: vt oppoſitu mollium munimentorum ſtupefaciant tormentorum bellicorum impulſus, quos fragiles muri ferre non poſſunt. Iuſſu Pii concepta Bulla eſt contra Baium, juſſu Gregorii promulgata, juſſu

Vrbani renouata, & ab Innocentio tandem feliciter Eccleſiam gubernante commendata. Tu tamen, Vincenti, leniter pertinax es: & Eccleſiâ Romanâ nequicquam prohibente, doctrinam toties damnatam reponere non ceſſas. Cúmque ita ſis animo comparatus, Nos, *inquis*, Romanæ & Apoſtolicæ Sedis Matris noſtræ filij obedientiſſimi ſumus, omniáque noſtra dicta, factáque libentiſſimè ei ſubjicimus: eam quippe Magiſtram veritatum, & morum agnoſcimus. *O te Doctorum omnium leniſſimum! Atqui Eccleſia illa damnat Baii propoſitiones quas defendis. Non damnat, inquis, ſed prohibet, idque ad tempus tantùm. Primùm eſto. Solùm prohibeat; cur tu rem à Matre ſanctiſſima prohibitam vſurpas, ô fili obedientiſſime! illâ præſertim ſignificante nondum elapſum eſſe tempus prohibitionis? Nam hoc vt minimum voluêre Vrbanus, & Innocentius, dum Nouum Auguſtinum damnauerunt. Deinde in Bulla quid ſcriptum eſt? Quo modo legis?*

Epiſt. prod pag 93.

Quas quidem ſententias ſtricto coram nobis examine ponderatas, quanquam nonnullæ aliquo pacto ſuſtineri poſſent, in rigore & proprio verborum ſenſu ab Auctoribus intento, hæreticas, erroneas, ſuſpectas, temerarias, ſcandaloſas, & in pias aures offenſionem immittentes, reſpectiuè, ac quæcumque ſuper iis verbo, ſcriptóque emiſſa, præſentium auctoritate, DAMNAMVS, CIRCVMSCRIBIMVS, ET ABOLEMVS. *Quid dicis, Vincenti, non ſunt* damnatæ *propoſitiones, quas* damnat, circumſcribit, abolet *Apoſtolica Sedes; Sed tantùm* prohibitæ? *Sed perge.* Deque eiſdem & ſimilibus poſthac quocumque pacto loquendi, ſcribendi, & diſputandi facultatem quibuſcumque interdicimus...... Cæterum, vt jam commoti his de rebus tumultus, & contracta odia faciliùs comprimi poſſint, ſimúlque

animorum

animorum ſaluti pleniùs conſulatur, dilecto filio noſtro Antonio Tituli S. Bartholomæi Cardinali Granuellano nuncupato, per Apoſtolica ſcripta mandamus, vt ipſe quid ad PERPETVAM dictarum ſententiarum, & ſcripturarum ABOLITIONEM; quid ad arcenda hujuſmodi proloquia & diſputationes: quid denique ad vnionem, & pacem çum communi, & Eccleſiæ Catholicæ ſatisfactione componendam facto opus ſit, in primis diligenter expendat. *Ad tempus tantùm prohibitæ ſunt quarum imperatur* perpetua abolitio, *adimiturque omnibus facultas* de iis poſthac diſputandi? *Et audes qui tam pugnaciter diſputas de earum veritate*, Magiſtram veritatum *agnoſcere cui repugnas? Quis neget te duriſſimæ lenitatis Doctorem eſſe, qui Magiſtræ tam apertè obloqueris?*

Et quid tibi venit in mentem poſtulare, vt promulgetur bulla contra Molinam, veluti finem impoſitura toti huic controuerſiæ? Promulgetur, *inquis*, illa bulla, & debellatum eſt. *Non dico te chimæram inuocare, Vincenti, dum appellas bullam contra Molinam. Non poſtulo vt probes fuiſſe illam non ſolùm promulgatam, non ſolùm ſubſcriptam, ſed vel ſaltem ſcriptam aut etiam conceptam Pontificum juſſu. Non contendo nihil aliud eſſe, quàm otioſum quoddam experimentum, & priuatam, atque vmbratilem exercitationem præludentium, verbi gratiâ, judicio, ante finitam litis conteſtationem. Non defendo ex illis quinquaginta propoſitionibus, quæ in ea cenſentur, multas eſſe, quæ nuſquam apud Molinam reperiuntur, multas, quæ paſſim occurrunt apud Thomiſtas, quippe quæ innoxiæ ſunt, & nullâ dignæ cenſurâ. Et quia dicis à te viſum eſſe ſcriptum hoc, quaſi plurimum juuaret ad faciendam fidem: non addo, & à me pariter viſum eſſe, ſed quo modo vidit aliquando Hieronymus*

Lib 1. Theriac. cap. 9. ſect. 1.

Pauli, & Theclæ periodos, & totam baptizati leonis fabulam. *Denique totam de bulla contra Molinam controuerſiam prætereo, & tua tantùm verba expendo, quibus dicis,* Promulgetur illa bulla, & debellatum eſt. *Ecce promulgata eſt bulla contra Baium, quare igitur bellum trahis? promulgata eſt contra Nouum Auguſtinum, quare tergiuerſaris?* O fili obedientiſſime! *Loquitur* Apoſtolica Sedes: *Loquitur* Mater noſtra, & Magiſtra veritatum, ac morum, *quare non audis? Cur chimæricæ bullæ tantùm tribuis, qui veras flocci pendis? Et quod putas aliis fore ſatis ad faciendam deditionem, & arma ponenda, cur tibi non ſufficit?*

Sed intelligo tuum, Vincenti, conſilium: leniter nimirum illudis, obedientiam pollicitus, ſed conditionatam. Parere vis, dummodò qui jubent tuo velint ſubeſſe judicio. Quid enim Ep. prod. pag. 68. *eſt quod dicis,* Modò illa Sedes, cui adhæremus, & nos, noſtráque ſubjicimus, S. Auguſtini caſtra, in quibus militamus, non proſcribat, parum, aut nihil penſi habemus. *Fieri poteſt, vt caſtra veritatis proſcribat Apoſtolica Sedes, necne? Si poteſt, conclamatum eſt, nec vlla vſquam reſtat* Mater & Magiſtra veritatum. *Si non poteſt, cur times ne dum proſcribitur Noui Auguſtini doctrina, antiqui etiam* caſtra proſcribantur? *Adeo-ne timidus es, vt malis etiam impoſſibilibus terreare? Cui etiam vis committi judicium hoc, an proſcribantur Auguſtini caſtra nuperis ſanctionibus? Tibi, qui damnatione illa,* omnis homo mendax, *concluderis; an Sedi Apoſtolicæ, quæ priuilegio gaudet fidei nunquam defecturæ? Non vides, ſi vera, ſi neceſſaria eſt Auguſtini doctrina, nullibi tutiùs ſeruari poſſe, quàm apud Magiſtram veritatum, ac morum: nec aliunde certiùs repeti? Neque hoc animaduertis, ita te S. Auguſtinum prætexere, quemadmodum hæretici Scripturam ſacram: nec rationem ſupereſſe,*

quâ conuincatur eorum pertinacia, ſi legitimum eſt quod oppo-nis? Quæ te ſuſpicio ſollicitat? Cede Matri, *cede* veritatum Magiſtræ, *promulgata bulla eſt, ſit etiam amabo te, Vincenti, debellatum.*

Non fuimus, inquis, auditi. Deus immortalis! Decem anni ſunt, ex quo veſtris clamoribus cœlum omne perſonat, & non fuiſtis auditi? Tot editiones Noui Auguſtini, tot Apologiæ, tot Theſes, tot Examina, tot Triades, tot Querimoniæ, tot Planctus, tot Monita, tot Notationes, tot approbationum oſtiatim mendicatarum manticæ, incognitam cauſam eſſe ſinunt? Quod vnquam judicium fuit inſtructius vberiore Scripturarum hinc inde propoſitarum varietate? Et vbi eſt illa, quam vos agnoſcere fingitis, Sedis Apoſtolicæ prærogatiua? Quid enim eſt, non fuimus auditi? Ita infallibilem putatis, vt tamen poſſit violare jus naturæ, inauditam partem damnando, & proſcribendo doctrinam incognitam, & ſimul veram? Ergo poſtquam illa controuerſiam aliquam diremerit, promulgatâ toto orbe dogmaticâ definitione doctrinæ, liberum erit priuato cuilibet ſuſpendere aſſenſum ſuum, dum ſciat an vtramque partem audiuerit, & cauſam plenè cognouerit, quam judicabat? Ecquod eſſe poteſt tribunal infelicius, quàm illud, cujus decreta priuatorum cenſuræ ſunt obnoxia, effectum nullum habitura, ſi videatur iis, quorum intereſt, non fuiſſe ritè concepta? Quæ eſt illa infallibilitas, & quid juuat, ſi neminem ſecurum reddit? Quem autem reddat ſecurum, ſi pronuntiare poteſt in cauſis fidei abſque debita cognitione, & dum ita pronuntiat, etiam falli? Neceſſe enim erit hæſitare vnumquemque, quamdiu neſcietur an cauſa fuerit plenè cognita: & hoc vnde poterit ſciri, ab iis præſertim, qui procul degunt?

Sed Baii olim condemnatio, Vincenti, qualis fuit? Num ipſa etiam fuit illegitima, & ante cauſæ cognitionem præcipi-

tata? Si affirmas, errauit ergo Eccleſia tota iſtis ſeptuaginta annis quibus illegitimæ atque injuſtæ damnationi acquieuit, & repugnante nemine ritè proſcriptam putauit Baii doctrinam. Si negas, ergo neque Nouus Auguſtinus incognitâ cauſâ damnatus eſt. Illius enim condemnatio duo tantùm capita continet. Primum eſt, proſcriptam meritò fuiſſe Baii doctrinam, quod jam conceditur. Secundum, doctrinam eo modo proſcriptam fuiſſe à Nouo Auguſtino renouatam. Et hoc profitetur Nouus ipſe Auguſtinus: & tu quoque, Vincenti, cùm negare non poſſis propoſitionum vtriuſque identitatem, cauillaris non fuiſſe in Baio damnatas, ſed prohibitas. Ex hac igitur parte nihil etiam eſt cur quiſquam objiciat damnari reos inauditos, cùm damnentur etiam confitentes. Quid eſt ergo, Vincenti, quod audiri cupis, & cur te inauditum quereris?

Examinandum erat, inquis, an Iprenſis Auguſtini doctrina ſit eadem cum doctrina Hipponenſis. At, inquam, hoc non quæritur, & ea quæ fertur ſententia, nec eandem eſſe dicit, neque diuerſam: alterius judicii materia hæc eſt. Interea quod judicatur eſt, legitimam fuiſſe contra Baium ſententiam, quòd ſi negas, & Eccleſiam totam accuſas, & peculiari ratione Academiam Louanienſem, quæ in illàm damnationem juràuit. Si concedis, reſtat aliud caput, nimirum, geminas eſſe Baii, & Noui Auguſtini propoſitiones. Quod cùm fateamini, vti jam monſtratum eſt, qui damnatas pronuntiauit quas fatemini geminas eſſe damnatis, quid peccauit, aut quid aliud audire debuit quàm quod ipſi vltro fatemini?

Verùm fac integram adhuc eſſe quæſtionem, tibíque, Vincenti, factam eſſe legitimæ defenſionis copiam; rogo quid vis probare? Probabo, inquis, meritò reſtitutam à Nouo Auguſtino doctrinam, quæ fuerat in Baio proſcripta, quando conſtat ipſiſſimam eſſe doctrinam ſenioris Auguſtini.

Bene habet. Ergo cùm non poſſit in perpetuum aboleri *quod quandoque reſtituendum eſt; ſequitur poſtquam, judice te, meritò reſtituta eſt doctrina Baii, immeritò antea fuiſſe* in perpetuum abolitam. *Ergo jugulum ſemper ſtringit idem laqueus: & ſi non ſtat æquitas Bullæ Vrbani, ſtare non poteſt Bullæ Pii, idem enim quod Vrbanus abolet, Pius abolendum decernit: & quod Vrbanus renouari non patitur; Pius etiam prohibet ne poſthac renouetur: & quæcumque ratio probabit contra Vrbanum poſſe renouari, probabit etiam contra Pium non potuiſſe aboleri. Ergo vel errant, qui Vrbano reſiſtunt; vel errauit totus orbis ſeptuaginta & ampliùs annis quibus conſenſit Pio. Habes aliud, Vincenti, quod audire velis?*

Ego verò à te audiri velim non Vrbanum modò, non Pium, non Gregorium; ſed Eccleſiam totam ipſorum ore loquentem, ipſis adhærentem, ipſis conſentientem Baianam doctrinam proſcribentibus. Auguſtinus illam tibi proponit iiſdem quibus olim Donatiſtas alloquebatur verbis. Ecce Eccleſia, rogo quid patimini. *Audiuimus* planctum Auguſtinianæ veritatis in Belgio oppreſſæ, *vidimus inutiles lachrymas. Suſpiria doluimus emiſſa ſine cauſa & grauioribus ſeruanda malis: & quia ſapientis conſilium eſt, offerimus* ſiceram mœrentibus, & vinum iis, qui amaro ſunt corde *ab Auguſtini cellariis miſſum.* Ecce Eccleſia, rogo quid patimini? *Opprimitur veritas in Belgio; rogo quis opprimit? Eccleſia. Opprimere veritatem Eccleſia poteſt? Quis igitur, ſæcularis poteſtas? Quomodò autem veritatem opprimit ſæcularis poteſtas, Eccleſiæ contradicendo, an obediendo? In Belgio quid exigitur? vt aboleantur Pontificiæ ſanctiones, an vt recipiantur? vt recipiantur, inquis. O vos! Ergo veritatem opprimit qui Epiſcopi Romani decreta in rebus fidei recipi curat? Quòd ſi qua vis in eo eſt; ſi qua cuiquam importatur injuria:*

cujus erit illud crimen, exequentis, an mandantis? Ergo Romanus Epiſcopus cujus mandatis obtemperatur, veritatem opprimit in Belgio? factus eſt veritatis perſecutor, qui fuerat à Deo conſtitutus Defenſor? Vincenti quid dicis? Magiſtra veritatis veritatem opprimit? Ego cùm oppreſſam *legi* veritatem, *cogitabam prima Eccleſiæ tempora rediiſſe, & Neronem quendam, vel Decium, vel aliquem Diocletianum Martyria quoquo verſum imperare ſi quis idolothyta non comederet. Fortè Valentem, aut Conſtantinum ab inferis rediuiuum Orthodoxos inſectari, ſuiſque pellere ſedibus: aut quod propius erat, præualuiſſe Batauos, & ademptâ Catholicarum Liturgiarum facultate Romanos cogere inuocare Caluinum: & ecce, quæ veritatem opprimit in Belgio ipſiſſima eſt Romana Sedes. Deus immortalis, adeò ſuſque deque mutata ſunt omnia, & omni prouidentiæ turbatus ordo, atque confuſus! Romana Sedes in Belgio veritatem opprimit!* O *Baiani, fieri poteſt vt in vos cadat qui proprius eſt errantium in fide timor? Permittite hoc Geneuenſibus, vt malè ſibi metuant à Romana Sede. Vt quid cauſam noſtram cum eorum cauſa conjungitis? Hoc vobis dolet, quod vt illis eueniat bonis omnibus optandum eſt! Idem eſt ventus qui tempeſtatem vtriſque facit?*

Sed amabo te, Vincenti, Romanis Pontificibus per Bullas ſub, & obrepticias, *vt dicitis, veritatem opprimentibus, Eccleſia quid facit? Et quia non hodie tantùm hoc accidit, aut nudius tertius, nec clam, nec ab vno; ſed iam ab octoginta ferè annis à Pio, à Gregorio, ab Vrbano, ab Innocentio promulgatis receptiſque orbe toto diplomatibus, Eccleſia vbi fuit, & quid fecit? Reſtitit oppreſſoribus veritatis? Atqui nullum vnquam fuit diſſenſionis veſtigium inter caput & membra. Diſſimulauit? Sed quomodo ſana fide quam ſponſo debet, diſſimulare potuit oppreſſionem veritatis ipſius curæ commiſſæ?*

Neſciuit? Quaſi verò neſcire potuerit quod adeò publicum erat. Conſenſit igitur? Et non vides peremptorium eſſe verbum hoc, & omnem ſolui controuerſiam, cùm dicitur aliqua doctrina Eccleſiâ conſentiente *à Romanis Pontificibus oppreſſa? Non vides eſſe potiùs conuertendam orationem, nec ampliùs dicendum oppreſſam Auguſtinianam veritatem, ſed Ianſenianum errorem: nec eſſe plangendi locum, ſed jubilandi?* Ecce, *inquam*, Eccleſia, quid patimini. *Mater eſt, & maternæ curæ quod impenditur beneficium. Nouerca ſit quæ filios alienos immeritò vexat. Matrem quis credat ſuppeditare filiis materiam planctus, niſi omninò depoſitis, & quorum ſpes omnis bonæ frugis ſit deſperata?*

Tuam tamen, ô Vincenti, cogitationem intelligo. Confugere ad Eccleſiam non renuis, ſed ad illam, quæ ſancti Auguſtini doctrinam approbauit: & abſit vt ego etiam id recuſem. Intereà tamen expone qualem fuiſſe putes Eccleſiam, quæ ſancti Auguſtini doctrinam approbauit, fallibilem, an infallibilem? Si fallibilem, quid facis, dum ejus teſtimonio niteris, quam tutè mendacem profiteris? Non vides ab Eccleſia fallibili non poſſe in Auguſtinum deriuari, niſi magis adhuc fallibilem auctoritatem? Si verò infallibilem, quamdiu vis permanſiſſe illam infallibilitatem? Quando deſiiſſe? Putáſne certo ſæculorum numero circumſcriptam fuiſſe promiſſionem ſpecialis prouidentiæ, quâ fundabatur Eccleſiæ infallibilitas, vt elapſo tempore conſtituto deſierit eſſe infallibilis, cœperit autem poſſe falli? Cedò vbi legatur temporarius ille Chriſti amor in Eccleſiam, & limitata definito temporis ſpatio priuilegia? Quòd ſi eadem eſt, & vniformis Eccleſiæ conditio ſæculis omnibus; ergo vel errare non potuit, quæ jam à ſeptuaginta, & ampliùs annis adhæſit Romano Pontifici Baii doctrinam in perpetuum abolenti; *vel errare potuit, quæ approbauit doctrinam*

Auguſtini. Elige, Vincenti, vtrum mauis. Potuit errare, quæ doctrinam approbauit Auguſtini? Nulla eſt igitur Auguſtini auctoritas, ſequendi neceſſitas nulla. Errare non potuit, quæ conſenſit Romano Pontifici Baii doctrinam proſcribenti? Ergo meritò illa proſcripta eſt: ergo perperam eſt reſtituta: ergo meritò damnatus, qui poſt hujuſmodi proſcriptionem eam reſtituit Nouus Auguſtinus: ergo ſi quem tangit ſolus amor veritatis ſtudiúmque boni communis, non debet plangere, ſed exultare, veluti de medio ſublato, ad quod offendere poterat ſimplicitas bonarum mentium, ſcandalo, ſepultóque fidei communis aduerſario.

Iterùm, ac tertiò, Ecce Eccleſia, *Vincenti. Et quia præterita videri non poteſt,* præſentem *intuere, ac* præſentis temporis. *Si te non fallit, ex illa cognoſces qualis fuerit antiqua, & quantum Auguſtino tribui voluerit; ſi te fallit, quid te ſecurum faciet de fide antiquioris?* Ecce Eccleſia, *nuſquam occurret, apud quam tutiùs deponas dolorem tuum. Si cauſam probauerit* Belgici Planctus, *ſalua res erit, veritate ſtatim illo teſtimonio liberatâ. Si non probauerit, etiam ſic ſalua res erit, veritate, pro qua ſola pugnatur, illo ipſo teſtimonio ſtatim manifeſtatâ. Quò fugis ab Eccleſia præſente: viuentem conſule, audi loquentem. Vetuſtioris, & præteritæ nihil ſupereſt, niſi quantum in præſenti conſeruatur. At, inquis, audiri ſolùm poſtulamus. Sed falleris, Vincenti, auditi enim eſtis, vultis probari. Et quomodo dicitur aliquando Deus ea neſcire, quorum non habet ſcientiam approbationis: ita ſurdam ipſi putatis Eccleſiam; quia vobis non præbet aures approbationis. Hoc quod eſt non audiri vos ab Eccleſia, non probari eſt. Hinc verò intelligatis neceſſe eſt, non eſſe probabilia, quæ proponitis. Et ſi vt oportet animo ad vtrumque parato Eccleſiam conſulitis, ipſa quoque repulſa beneficio deputanda eſt: quippe quâ id*

id obtinetur quod quæritur, vt innoteſcat veritas & error conuincatur. Hæc ſi poteris meditari animo, Vincenti, libero, miniméque occupato, ceſſabit Planctus, *& cithara vertetur in gaudium. Quòd ſi lugere tamen juuat vbi lætandi major eſt occaſio; nec ſe auelli animo ſinit mœror pertinax; per me licet vt ad ſolatium plangentium, & teſtimonium oppreſſæ veritatis ejus ſepulchro inſcribatur hoc Epitaphium:*

Hîc iacet Auguſtiniana veritas, quam Chriſti Vicarii legitimi Petri ſucceſſores, Romanæ, atque Apoſtolicæ Sedis Epiſcopi, communicatis cum totò orbe Chriſtiano decretis, Eccleſiâ infallibili conſentiente, oppreſsêre, adnitentibus piis, atque Catholicis Principibus. Perge, viator, & quia ridere non decet, indignari non licet, vel gratulare feliciter infelicibus, vel iniquorum ſuæ fortunæ interpretum miſerere.

Vale, VINCENTI, *dum expectatur occaſio tecum pluribus agendi.*

CATHOLICA DISCEPTATIO DE ECCLESIA PRÆSENTIS TEMPORIS.

CAPVT PRIMVM.

Duorum nouæ Theologiæ Principum ſenſus circa præſentis Eccleſiæ infallibilitatem.

1\. NOV-AVGVSTINIANI vehementer queruntur grauari ſe ſuſpicionibus & rumoribus, ipſorum fidei & obſeruantiæ erga vniuerſalem Eccleſiam & Sedem Apoſtolicam contrariis. Et ſi quidem vel falſus rumor, vel temeraria eſt illa ſuſpicio; meritò queruntur. grauis enim calumnia eſt. Sin autem objiciuntur illis aut certò comperta, aut conjecturis adeò probabilibus nixa, vt vim faciant negare cupientibus; juſtiſſima eſt accuſatio, atque inſuper neceſſaria lupis auertendis, qui ſub ouina pelle inter agnos latitantes Dei gregem deuaſtant. Neque verò mouere nos debent con-

Apol. Ianſ. 2. lib. 4. c. 13. teſtationes illæ quibus vti ſolent *perfectæ*, vt dicunt, *ſubmiſſionis erga Eccleſiam, & S. Sedem,* quam & eorum Magiſtri exhibuerint ſemper, & exhibere pergant diſcipuli, *humilitatis eorum, & obedientiæ, ſicut & ſententiarum hæredes.* Sunt enim hæ ſolemnes naſcentium hæreticorum cantilenæ. Qui cùm intelligant Eccleſiaſticæ auctoritatis mole ſe ſtatim opprimendos, ſi apertè reſiſterent; animum ſimulant parere promptum, & fictitiâ ſubmiſſæ voluntatis ſignificatione tamdiu declinant propoſitas pertinacibus pœnas, donec adulto jam errore latiúſque propagato, ſperent ſe impunè repugnaturos. Fraudis hujus atque perfidiæ luculentiſſimum exemplum dedit Lutherus. Qui cùm ſe pedibus Leonis Decimi proſtratum abjiceret initio, *Cum omnibus*, inquit, *quæ ſum & habeo*, clamarétque, *viuifica, occide: voca, reuoca: approba, reproba vt placuerit. Vocem tuam, vocem Chriſti præſidentis & loquentis agnoſcam. Si mortem merui mori non recuſabo, &c.* Paulò pòſt appellare cœpit *à ſanctiſſimo*, vt ipſe loquitur, *Domino noſtro Papa non bene informato, ad ſanctiſſimum D. noſtrum D. Leonem diuinâ prouidentiâ Papam Decimum, meliùs informandum.* Et deinde an. 1518. menſe Nouembri audaciâ creſcente, appellauit *à Leone non rectè conſulto, ad futurum Concilium legitimè, & in loco tuto congregatum*, pollicitus *ſe nihil velle dicere contra vnam ſanctam Catholicam & Apoſtolicam Eccleſiam, quam eſſe totius orbis Magiſtram & principatum tenere non ambigeret.* Verùm hæc quoque repagula breui perrupit indomitus furor & deſperatio. Siquidem biennio circiter qui priùs erat pater & dominus; & Chriſti præſidentis in terris Vicarius, factus illi eſt *Anti-Chriſtus, immo et s ad eum extinguendum omnibus Principibus.* Hinc ſequuta celebris illa Decretalium & Iuris Canonici ad flammas condemnatio; primatus Eccleſiæ Romanæ, frigidiſſimis, vt ipſi videtur, argumentis ab Echio probati, oppugnatio, & abjuratio totius Catholicæ doctrinæ, cùm diceret in ſuis theſibus an. 1523. *Nullam fuiſſe hæreſim & malitiam majorem quàm Papiſtarum.* Talia quædam apparere Nou-Auguſtinianorum initia haud temerè judicabit, qui notauerit Conſtitutionem Vrbani VIII. contra Nouum Auguſtinum reputatam ab illis fuiſſe primùm ſuppoſititiam: deinde cùm vrgeret Pontifex, & veram eſſe teſtaretur, dictam eſſe *ſub & obrepticiam*,

Ep. ad Leonem anno 1517.

Luth. to. 1.

Apologiſta Ianſ. apol. 2.

circumuentum enim fuiſſe Papam Moliniſtarum arte, falſiſque delationibus, & quidquid continet contra illum Auctorem, *in eam irrepſiſſe præter & contra intentionem Pontificis.* Hoc verò quid eſt aliud quàm quod dicebat Lutherus *malè informatum fuiſſe Papam?* Et ideo Romam iuere qui cauſam agerent Noui Auguſtini, & meliùs informarent, quæ fuit quaſi appellatio quædam *à malè informato ad meliùs informandum.* Sed cùm poſt omnes hujuſmodi informationes perſtaret nihilominus Pontifex, & repetitis Breuibus ad Gubernatores, ad Epiſcopos, ad Academias, ad priuatos Doctores acceptationem vrgeret Bullæ; vlteriores promere cœperunt cogitationes; & jam ſcripta quædam circumferuntur queis dicunt. *Si ea Bullæ ſententia eſſet, quam aſſerunt, qui Nouo Auguſtino aduerſantur, verendum eſſe ne tandem reuocetur, & pari atque olim animorum motu agitetur antiqua illa controuerſia, an in cauſis fidei à Pontifice ad futurum Concilium prouocare non liceat. Nec deeſſe qui Bullas pontificias etiam in materia fidei & doctrinæ licitè ſuſpendi poſſe exiſtiment*, nimirum ab iis quibus proponuntur. Hæc eſt *perfecta* illa *ſubmiſſio* diſcipulorum Noui Auguſtini erga ſanctam Sedem, *hæc hæreditaria humilitas & obſeruantia*, quam ab eo vnà cum patrimonio doctrinæ acceperunt.

Atque hoc probarunt noſtri quoque Bicephali, qui cùm eſſent, vt dixi, profeſſi ſe de S. Sede Apoſtolica, non niſi præclaras & obſeruantiæ, ac religionis plenas fouere cogitationes: agnoſcere ſe illud eſſe vnitatis centrum, à quo nefas eſſet vſpiam deflectere: eſſe petram immobilem, cui neceſſe ſit inniti Chriſtianorum fidem: velle ſe quod etiam debere probè ſcirent, ſuos omnes ſenſus illius judicio ſubjicere, & id genus alia; quando tandem damnata eſt à Summo Pontifice, *duorum Capitum aſſertio*, quid non fecere filii obedientiſſimi, quid non dixere? non legiſſe Cenſores libros quos damnabant: certè non intellexiſſe, vt pote Gallicè ſcriptos; eoſdem huic judicio partes ſimul ac judices præfuiſſe: Cardinalem de Lugo teneri adhuc obedientiæ voto erga Generalem Ieſuitarum: Cardinalem Carrafam ejuſdem Generalis eſſe fratrem; periti, ſcilicet, genealogi: Cardinalem Spadam qui jam antea cenſuram fruſtra tentauerat, pudore conſiliorum minimè ſuccedentium ſtimulatum, *exiſtimationis vindicandæ ſtudio coi-*

In Notationibus ad Decretum *tione cum Ieſuitis factâ exarſiſſe*, ad eandem cenſuram tandem aliquando extorquendam: falſa & Gallico nomini contumelioſa inſuſurrata Pontifici: & rem totam *politicis magis quàm Eccleſiaſticis & Theologicis momentis expenſam atque libratam eſſe.* Hæc eſt illa Bicephalorum erga S. Sedem obſeruantia. Iudicari nimirum apud illam volunt, ſed eâ lege vt ſecundùm ipſorum voluntatem pronunciet. Præjudicâtas enim afferunt cauſas, & quod de Donatiſtis Auguſtinus refert in ipſos cadit. *Quod volumus ſanctum eſt,* iniquum, illegitimum, irritúmque reputabitur Sedis Apoſtolicæ judicium omne quod repugnabit.

Reſtat vt Eccleſiam ipſam, & Concilia ſuſpicentur. Sed neque hoc reſtat, jam enim perfectum eſt. Duo ſunt Eccleſiæ reformandæ capita, quæ in ſeceſſu Cantabrico poſt collata multis annis ſtudia & conſilia ſua, magnâ animorum conſenſione in vnum coaluerunt, & quamuis loco poſtea diſtarent, non deſtitere tamen idem opus promouere. Nouus Auguſtinus, Louanii, doctrinæ; Pariſiis alter (quem vocare poſſis Aurelium) morum ac diſciplinæ reformationem adornauit. Et ſcitum eſt ſolitos illos præterea ex interuallo Rothomagum condicere apud certos cœnobitas, vt ſuſcepti negotii progreſſus, & impedimenta, & rationes inuicem communicarent. Quid ille de Eccleſia ſentiret oſtendit quod aliàs notatum eſt, ſcholaſticorum irruptione adeò turbatam eſſe fidei doctrinam, vt capitalia quædam dogmata fuerint *oblit rata*, atque à duobus Pontificibus Pio V. & Gregorio XIII. ad tempus ideo prohibita, quòd eorum propoſitio ſcandalum daret fidelium animis per contrarios errores occupatis: Eccleſiam ſeruare quidem rectam fidem in ſuis canonibus & oratione dominica, ſed in concluſionibus deinde, vel in expreſſiori eorum intelligentia & interpretatione, contingere poſſe tale quidpiam, quale contingit iis, qui in adminiſtratione Sacramentorum intentionem habent vniuerſalem bonam faciendi quod Chriſtus inſtituit, particularem verò malam & erroneam: contingere inquam hoc poſſe *in maiori parte Eccleſiæ.* Et quia nihil obſtat quominus ex hac maiori parte Concilium cogatur, facile eſt ad intelligendum quid hinc ſequatur.

De ſtatu puræ naturæ lib. 3. cap. 22.

Lib. Proœm. cap. 3.

Alter eodem ſe ſpiritu afflatum multis manifeſtíſque ar-

gumentis probauit. Extant ipſius litteræ, *quibus profitetur ſe nihil ſcire præter Eccleſiam duodecim ſæculorum.* neſcire quippe volebat illam quæ ſæcula numerat ſeptemdecim. Extant inſtructiones quibus monet Sacerdotes *vt amorem erga Eccleſiam primis ſæculis addicant, ad eum modum quo ille qui hominem amat* COR ET CAPVT POTISSIMVM T. Quæ nugatoria eſſet atque inſulſa cogitatio, niſi ſupponeret poſtremis hiſce ſæculis reſtare tantùm pedes Eccleſiæ: & quâ illâ parte nos tangit, *excordem eſſe ac ſine cerebro.* Vnde ſubjungit, *cùm fuerit Eccleſia primis illis temporibus in maxima virtutis ac diſciplinæ perfectione, qui eam ſincerè quærit, aliàs minimè reperturum.* Nec virtutem ergo, nec diſciplinam inueniet in hodierna Eccleſia qui eam quærit? Inueniet, inquit, ſed deriuatam ex antiqua. Verùm vndecumque ſit deriuata parum intereſt, ſatis eſt quòd in ea ſit, vt poſſimus attendere ad illius vocem, ex eáque diſcere perfectionem virtutis ac diſciplinæ. Non eſſet ſcutica dignus aut fuſte, qui propterea quòd auri fodinæ ſint in Potoſino, negaret aurum *alibi reperiendum?* Nebulo, quare non reperiatur vbicumque inde portatum eſt? Et quare cum laboris & periculorum compendio quæri non poſſit in omni loco in quem ſcitur eſſe delatum? Quis non videt ſub his imaginibus latere venenum Theologiæ nefandæ, dum putant adulteratum eſſe in decurſu quidquid ex antiqua in hodiernam Eccleſiam defluxit?

Extat hujuſce rei confirmatio ab teſtibus omni exceptione majoribus. Publica enim eſt Epiſtola Illuſtriſſ. Epiſcopi Lingon. quâ teſtatur ſe comperiſſe hominem hunc ab *vſu & ſenſu præſentis Eccleſiæ alienum:* Inter arcana ipſius myſteria hoc etiam eſſe, *Concilium Tridentinum non eſſe verum Concilium: nec haberi poſſe fidem ipſius deciſionibus, propterea quòd non eſſet antiquorum Conciliorum ritu celebratum.* Addit, Moniales quaſdam hiſce placitis imbutas, eò adductas vt rarò admodum ad Pœnitentiæ, multo verò rariùs ad Euchariſtiæ Sacramentum ſibi accedendum crederent: nihilque frequentius haberent, vel in cogitatione, vel in ſermone quàm S. Auguſtinum de Gratia, ſanctum Paulum de Prædeſtinatione, Concilia antiqua, Canones, Patres, Eccleſiam denique primitiuam. His conſonant quæ circumferuntur earum literæ quibus Confeſſarium

Reliq. Sancyr. 2. edit. pag. 44. quemdam Eccleſiæ primitivæ requirunt: aliúmque repudiant, quòd ſequatur methodum præſentis temporis. Publica eſt Illuſtriſſimi Vabrenſis narratio, quâ refert in ſua *fidei defenſione*, hunc Myſtem ſuos diſcipulos initiare ſolitum impreſſo doctrinæ communis & receptarum Eccleſiæ conſuetudinum contemptu, dum *clauſis oculis, pendente in partem alteram capite, ſublimi geſtu manúque propulſante exclamaret, Ignorantia, ignorantia, tenebræ, errorum prodigia, vbique cæcitas.*

Ib. pag. 25. Publica teſtificatio viri eruditione ac dignitate conſpicui Abbatis Ciſtercienſis Ordinis, qui juratus affirmat quibuſdam in congreſſibus quos habuit cum Doctore illo dicente *abſolutionem ſacramentalem ſupponere peccatorum remiſſionem vi contritionis perfectæ jam peractam: & ideo eſſe judicium tantùm declaratiuum: abuſum eſſe quod paſſim vſurpatur, dum confeſſionem peccatorum ſtatim ſequitur abſolutio.* Et cùm ipſe opponeret argumenta, quæ Theologia ſuppeditat, id illum vehementer improbaſſe, aſſerentem, ſcholaſticam Theologiam, quæ vulgò traditur, *perniciosam eſſe doctrinam.* Addidiſſe cùm Eccleſiæ auctoritas objiceretur, *Eccleſiam nihil eſſe quàm quod erat ante ſexcentos annos: Quæ nunc eſt Eccleſia, nec alio ſenſu, nec aliâ ratione veram Eccleſiam eſſe, quàm quia ſucceſſit in locum veræ, ad eum modum quo aqua lutulenta & corrupta quæ in alueum ſucceſſiſſet quò anteà defluebat illimis & nitida, ejuſdem nominis flumen eſſet: Tempus eſſe ædificandi & tempus deſtruendi: Eccleſiæ veræ deſtructionem iamdiu cœpiſſe: Sanctum Thomam veram Theologiam perdidiſſe, adductis in eam humanis rationibus: In Concilio Tridentino præcipuas fuiſſe partes Papæ & Scholaſticorum, qui doctrinam Eccleſiæ plurimùm immutarunt.* Et alia id genus, quæ ab aliis etiam juratis teſtibus ſunt confirmata, inter quos annumeratur qui nunc eſt Apamienſis Epiſcopus, tunc autem Fuxenſis Abbas. Quæ ſi quis conferat cum iis, quæ ſcripta ſunt in ejus Apologia, vbi dicitur Deus *impleuiſſe ſanctorum ſcientiâ, conjunxiſſe diuinum ignem cum igne illo cæleſti quo ingenium ejus inter homines emicabat: Extinctis humanis omnibus cogitationibus in ejus pectore, vnicam remanſiſſe de rebus cæleſtibus, de diuina gloria, & obſequiis Eccleſiæ præſtandis ſollicitudinem: Non aliud fuiſſe illius conſilium quàm vt euaderet defenſor idoneus Catholicarum veritatum & Eccleſiæ jurium: Conueniſſe in eundem hominem ad componendum vnum ex perfectiſſimis hujus ſæculi Theologis, incredibilem ingenii*

viuacitatem

viuacitatem, ſoliditatem iudicij admirabilem, conſummatam eruditionem, & quod pluris intereſt, ſublimiorem illis omnibus ornamentis pietatem. Qui hæc, inquam, & ſimilia quamplurima quæ in eo libro referuntur, deſcripta non ex Aurelii vita, ſed ex perfectiſſima quadam ſanctitatis idea, contulerit cum iis quæ jurati teſtes de moribus illius, déque doctrina juridicè manifeſtarunt; meritò requiret, quid cogitarit Apologiſta, vel quid intenderit tam immoderatâ mendaciorum profuſione, apologiam texere an comœdiam?

CAPVT II.

Quid ſentiant eorum diſcipuli?

1. DVORVM nouæ Theologiæ capitum diſcipuli, ſunt quod ſe eſſe profitentur, earumdem ſcilicet hæredes ſententiarum. Id facilè intelligi poteſt ex iis, quæ tradunt de *Primitiua Eccleſia.* Illam enim definiunt, *Eccleſiam in ſua puritate*, adduntque definitionem hanc eſſe *propriam*. Vnde colligunt Eccleſiam primitiuam non eſſe aliam, quàm *Eccleſiam temporis S. Baſilij, S. Ambroſij, S. Auguſtini:* Et rationem afferunt, quòd id temporis Eccleſia fidelium laxitate nondum eſſet mutata. Quod cùm dicunt, apertè ſignificant ſe illam Eccleſiam diſtinguere contra Eccleſiam quam vocant *ſeneſcentem, deficientem, finalem*, & jam mutatam, ſeu, vt illi loquuntur, *alteratam*. Age ergo, poſtquam propria eſt illa Eccleſiæ primitiuæ deſcriptio, conſequens omninò eſt, vt non poſſit aptari *non primitiuæ*, hoc eſt, noſtræ huic ſeneſcenti. Ergo neganda eſt hæc noſtra eſſe *Eccleſia in ſua puritate*, mutandúmque Symbolum, atque dicendum, *Credo in Spiritum ſanctum, & impuram Eccleſiam Catholicam*, ſi profitemur nos credere in Eccleſiam præſentis temporis, quòd ea non ſit ampliùs Eccleſia in ſua puritate.

Vide præfationem lib. de Frequenti communione.

2. Sed hîc ſtatim occurrunt, immobilibus principiis confici, Eccleſiam nequaquam dici poſſe *Eccleſiam præſentis temporis.* Eccleſiam enim eſſe Chriſtum, de quo ſcriptum eſt, IESVS *Chriſtus heri & hodie ipſe, & in ſecula.* Ita iſti Theologiæ cenſores Scripturæ verbis abutuntur ad ſuas præſtigias, vt ludificentur

Apolog. Sancyr.

oculos imperitorum, & improuiſa cogitationum perturbatione rationes confundant, quibus error conuincitur. Age enim, quæ ſunt amabo illa principia, quæ potiùs probant non poſſe dici Eccleſiam præſentis temporis, quàm Eccleſiam præteriti? Qui dicit Eccleſiam primitiuam, & temporis S. Baſilij, non dicit Eccleſiam præteriti temporis? Rectè loquitur qui appellat Eccleſiam temporis ſancti Ambroſii, non fuerit autem rectè loquutus, qui appellauerit Eccleſiam temporis S. Caroli.

3. At, inquis, ideo appellatur Eccleſia præſentis temporis, vt opponatur Eccleſiæ antiquæ, quod nefas eſt, cùm eadem ſit Eccleſia. Bene habet. Ergo cùm ipſe appellas Eccleſiam *primitiuam*, & *temporis S. Baſilii*, hoc eſt, Eccleſiam præteriti temporis, vis illam opponere hodiernæ, & admittis quod nefas eſt. An non eſt ita? Quòd ſi propter identitatem Eccleſiæ quolibet tempore exiſtentis, non licet præſentis temporis Eccleſiam dicere, ne non videatur eadem eſſe cum Eccleſia temporis antiqui; quare liceat laudare Eccleſiam antiqui temporis, cùm ſit idem periculum ne non videatur eadem eſſe cum Eccleſia temporis præſentis? Eccleſia, inquiunt, ſicut Chriſtus, eſt heri & hodie. Eſto illud. Sed ſi rectè dicitur Eccleſia heri & hodie, ſequitur verè quoque dici heſternam, & hodiernam. Quid eſt autem verè dici heſternam, & hodiernam, quàm rectè dici & temporis præteriti & præſentis? Quid igitur peccat, qui dicit Eccleſiam præſentis temporis, cùm non neget eamdem eſſe & præteriti? Et cùm liceat illis heſternam dicere, ac temporis præteriti, dum recurrunt ad tempus ſancti Baſilii & ſancti Ambroſii; quo jure licere nolunt aliis hodiernam vocare, ac temporis præſentis, Vrbani & Innocentii pontificatu deſignato.

4. Et quando timent ne violetur vnitas, & identitas Eccleſiæ ab iis, qui ita loquuntur; dicant nobis, num reuera ſentiant ſicuti Chriſtum, ita & Eccleſiam eamdem eſſe heri & hodie, hoc eſt eamdem eſſe heſternam, & hodiernam? Si non eſt eadem, quare à nobis poſtulant vnitatis, & identitatis confeſſionem, quam priores ipſi repudiant? Si eſt eadem; quare nolunt hodiernam aſpicere, vt intelligant cujuſmodi fuerit heſterna. Alios videlicet terrent, vnde ipſi nihil for-

midant: & qui præſumptione identitatis nos vrgent, *alterationem* vltrò profitentur, opponúntque ipſi antiquam hodiernæ, hoc eſt, *puram* vt loquuntur *alteratæ*, quo ſcilicet hanc, hoc eſt hodiernam impuram, reformare poſſint ad imaginem antiquæ, quippe quæ aliàs extitit in ſua puritate.

5. Quòd ſi dum ita ſentiunt, ſpectarent mores tantùm antiquorum, & hodiernorum Chriſtianorum; ferendi fortaſſe fuerint. Verùm id ipſi de diſciplina interpretantur, quæ regulis agendorum, & fugiendorum in Eccleſia continetur. In quibus ſi pura non eſt Eccleſia hodierna, ſi eſt alterata, quid ſupereſt niſi vt ipſam accuſemus, ſicuti cauſam illius corruptionis, quæ moribus ineſt malorum Chriſtianorum, doleamúſque nos traditos eſſe illius curæ non tam inſtituendos, quàm deprauandos.

6. Neque diſciplinam tantùm accuſant Eccleſiæ hodiernæ; ſuſpectam etiam eſſe doctrinam ſatis oſtendunt. Vide enim quid colligant ex illa Eccleſiæ temporis antiqui puritate. Nempe, *Nullam aliam agnoſcendam eſſe regulam Catholicarum veritatum, præter Eccleſiaſticam traditionem*: atque hoc colligi *ex ſolida illa Eccleſiæ cognitione*. Ex illa videlicet cognitione, quòd Eccleſia *primitiua*, ſeu temporis ſancti Baſilii & ſancti Ambroſii ſit *Eccleſia in ſua puritate*: quòd *non ſit dicenda Eccleſia præſentis temporis*: quòd *Eccleſia* poſt ſæcula illa ſanctorum Patrum ſit *alterata*, rectè colligitur, *nullam aliam agnoſcendam eſſe regulam Catholicarum veritatum, niſi traditionem. Catholicarum*, inquam, *veritatum*: hoc eſt ſanæ doctrinæ atque hæreſibus oppoſitæ. Ac proinde quemadmodum neceſſitatem recurrendi ad Eccleſiæ antiquæ traditionem in iis quæ ſpectant ad Eccleſiaſticam diſciplinam in eo fundant, quòd Eccleſiæ hodiernæ diſciplina ſit *alterata* atque etiam *corrupta*: ita neceſſe eſt, vt ſimilis recurſus neceſſitatem in his, quæ ſpectant ad *veritates Catholicas* pariter fundent, in quadam alteratione doctrinæ, quam eſſe ſuſpicantur in Eccleſia hodierna. Si enim integram eſſe doctrinam miniméque alteratam ſupponerent, ridiculi eſſent dum ex ſola diſciplinæ corruptione argumentantur, vt probent ex antiqua Eccleſia repetendas etiam eſſe Catholicas veritates.

CAPVT III.

Certitudo Traditionis Eccleſiæ antiquæ ſtare non poteſt ſine infallibilitate hodiernæ.

1. SED excutere iuuat tantiſper hanc Traditionem. Traditio, inquiunt, nos certos facit Catholicarum veritatum. Aſſentior. Sed cùm nulla poſſit eſſe traditio niſi ab aliquo tradente, interrogo, Cujus ſit illa Traditio, ſeu quis tradat ejuſmodi veritates? Eccleſiam dicent, ideo enim vocatur traditio *Eccleſiaſtica*. Verùm, ſi Eccleſia eſt quæ veritates Catholicas certò tradit, accipite ergo quod illa vobis per Concilium Tridentinum porrigit, & ſit vobis Catholica veritas, poſſibilitas mandatorum, & adiuuans gratia, vt ea implere poſſint ii, quibus imputatur tranſgreſſio. Sit Catholica veritas, liberi arbitrii ſub gratia mouente poteſtas diſſentiendi, atque adeò indifferentia ad conſentiendum, vel diſſentiendum. Sit Catholica veritas, Chriſtum mortuum eſſe pro iis quoque, qui mortis ejus beneficium non recipiunt: itaque latiùs patere intentionem moriendi pro ſalute hominum, quàm ejus fructum. Sit Catholica veritas, firmiſſimam ſpem à juſtificatis in diuino auxilio collocandam, eo quòd Deus non deſerat niſi deſeratur: vnde certò colligitur gratia ſufficiens ad perſeuerandum, iis etiam conceſſa qui non perſeuerant. Sit Catholica veritas, poteſtatis eſſe hominis, non impoſitæ neceſſitatis, quod vias ſuas malas faciat. Sit Catholica veritas, honeſtum eſſe pœnarum timorem, etiamſi non ſit actus caritatis: & cum ſacramento etiam ſufficientem ad juſtificationem, &c.

2. Et quia non modò per manus Conciliorum Catholicas veritates tradit Eccleſia, ſed per manus etiam ſummorum Pontificum; accipite quas tradidêre quatuor ſummi Pontifices Pius V, Gregorius XIII, Vrbanus VIII, Innocentius X, in condemnatione Michaëlis Baii: atque hoc etiam reponite inter Catholicas veritates, damnatam fuiſſe doctrinam quam Nouus Auguſtinus reduxit, ideóque ſcandalum ab eo Eccleſiæ datum: ſpretam ſanctæ Sedis Apoſtolicæ authorita-

tem; & inuectam orbi Chriſtiano perniciem. Ecce, manus adhuc extentas habet Innocentius, vt Bullam tradat prædeceſſoris, quâ id explicatur, quámque omnino ſeruandam eſſe tum verbis oſtendit, quæ referre potuerunt Louanienſes Deputati; tum ſcriptis ad multos Breuibus; tum factis, dùm ob eam cauſam ad Epiſcopatus aſpirare vetuit addictos Nouo Auguſtino Calenum atque Fromundum. Traditio hæc eſt indubitata ipſius Eccleſiæ; accipite igitur regulam hanc, atque hac metimini Catholicas veritates.

3. Hic videas hos præcones Traditionis, vt accuſatores olim adulteræ, alium poſt alium terga vertere, ad hunc vſque diem accipere recuſantes quod Eccleſia Romana per ſummos Pontifices porrigere non ceſſat, aliis atque aliis ad euadendum cuniculis apertis. Eccleſiam enim traditionis auctricem, non aliam intelligunt quàm antiquam: & ideo vetant appellari *Eccleſiam præſentis temporis:* eadémque cauſa eſt, cur eos, quos putant SS. Patrum ſcriptis addictos, elogio ſingulari vocent, *Diſcipulos Traditionis:* & qui ritus antiquos hodiernis præferunt, *Defenſores Traditionis*: & qui doctrinam nudius tertius damnatam propugnant, per ſpeciem conformitatis cum doctrina SS. Patrum, Auguſtini præſertim, *verſatos in Theologia Traditionis:* vnde eſt illa Noui Auguſtini commendatio, qua vocatur *Magnus diebus noſtris Epiſcopus*, magnitudine petita ex eo, quòd mentem ſuam non alia impleuerit ſcientia, quàm Scripturæ & *Theologia Traditionis*, id eſt, inquiunt, *Conciliorum & Patrum.* Vbi vides Traditionem dici, non qua Catholicæ veritates accipiuntur ab Eccleſia, quæ nobis præſens eſt; ſed qua petuntur ab antiqua & jam inde à temporibus Sanctorum Patrum.

Apolog. Sancyr. de frequenti comm.

4. Nec aliud ſentire poſſunt qui omnia queruntur à Scholaſticis Doctoribus peſſundata, & *aberraſſe hoc tempore* clamitant *ferè omnes ab antiquorum doctrina: facem veritatis ab Auguſtino accenſam in Eccleſia, humanæ philoſophiæ nebulis ſenſim inuolutam*: ideóque eductum ſingulari Dei prouidentia Nouum Auguſtinum: vt *caliginem illam diſſiparet, reddita veritatis die.* Ex quibus patet, Eccleſiam hoc tempore his Doctoribus ita videri *alteratam*, in his etiam quæ ſpectant ad cognitionem veritatis, vt quæ illi reſtituendæ neceſſaria putatur regula tra-

Apol. Ianſ. lib. 3. cap. 29. Examinator excet. pt. prop. p. 4.

ditionis, longiùs petenda ſit; nimirùm ab Eccleſia quidem ipſa, ſed vt exiſtente in ſua puritate, hoc eſt, vt exiſtente ſancti Auguſtini, atque aliorum ſanctorum Patrum temporibus. Hac igitur ratione emendari, & corrigi volunt Eccleſiam ab Eccleſia in rebus fidei, hodiernam à præterita, & ſeneſcentem ab adoleſcente, & hoc quidem per regulam traditionis.

5. Sed cùm in traditione coëxiſtentia quædam neceſſaria ſit, hoc eſt, mutua inter eum qui tradit, & qui accipit præſentia: neque fieri poſſit vt vel ipſi manus extendamus ad vſque tempora ſanctorum Patrum, vel ſancti Patres ad vſque noſtra produxerint; agite, ô *Diſcipuli Traditionis*, quo medio ad vos pervenêre, quas ſancti Patres tradiderant, Catholicæ veritates? Quod nunc accipitis, quis dat? Eccleſiane ad nos detulit, an membranæ ſcriptis eorum conſignatæ? Eccleſiam omninò reſpondere debetis, ſi vultis audire Baſilium, qui ſeruari vult in Eccleſia *dogmata illa quæ ex traditione Apoſtolica ad nos deferuntur:* nec fieri poteſt vt alia deferat ad nos hæc dogmata, quàm ea quæ ſeruat. Si igitur in Eccleſia ſeruantur, accipite ab Eccleſia non ſcripta modò ſanctorum Patrum, ſed & ſenſum & germanam intelligentiam. Quòd ſi membranas præponitis, nec aliud vos debere putatis Eccleſiæ, quàm quòd ſanctorum Patrum ſcripta ſeruarit ad hunc vſque diem; primùm, quid amplius datis Eccleſiæ, quàm quod Eccleſia concedit Iudæis, quos non negat Scripturas ſeruaſſe quibus confutantur? Quid amplius quàm quod eidem Eccleſiæ Lutherus, Caluinúſque acceptum referunt, dum & eamdem ſcripturam & ſanctorum etiam Patrum monumenta ſe ab ea ſumpſiſſe non diffitentur? An hoc eam tantùm vobis debere vultis quod per vos liceat illi dicere ſe veritatem in tabulis conſeruaſſe, & ſua ſecum inſtrumenta ferre quibus hodierna ejus prædicatio & doctrina erroris conuincatur? An vobis ſatis ſalua videbitur ejus authoritas, ſi cadat in illam quod dici ſolet, *contra ſuas Bullas ipſam prædicare?*

Lib. de Sp. S. cap. 27.

6. Deinde, quam habebimus regulam vt naſcentes circa ſenſum & veram ſanctorum Patrum interpretationem controuerſias definiamus? Vnica, vt dicitis, regula eſt traditio. Quid ſi non ſatis intelligamus quid tradatur? Quid ſi verea-

mur ne mutatum in itinere ſit quod tradebatur, neve admixtum aliquid aliunde? Quid ſi periculum ſit, ne ipſius quoque accipientis manus erret; vel excidere quidpiam patiatur; vel ſibi videatur apprehendere, quod revera non traditur? Dicite amabo quænam hîc erit tenenda regula ne fallamur? Quærite fidelem manum, quæ depoſitam veritatem & religiosè ſeruarit, & tutò reddat. Agnoſcite columnam veritatis, quæ monumentis antiquitatis & integritatem præſtet, & germanam addat intelligentiam. Illa eſt Eccleſia, quæ fluminis inſtar à primis temporibus ad hæc noſtra decurrens, quas accepit initio veritatis merces vehit ſecum, populiſque fidelibus quos alluit, ſuccedentibus ſæculis ad propriam cujuſque ripam exponit. Excipere quiſque debet ex ſuo portu, hoc eſt ab Eccleſia vt ſibi præſente, quod procul miſſum eſt. Quid intenditis in Eccleſiam heſternam quæ nec eſt, nec agit, nec loquitur niſi per hodiernam? Quod heri dicebatur? hodie quis audiat, niſi ſit à quo fideliter hodie quoque referatur? Ecquæ ridicula eſt cogitatio, vt qui ſecundùm idem flumen diſpoſiti ſunt, ſua quilibet ex ripa haurire non debeant vnde bibant? Quis Auenionenſes jubeat Lugduno petere vndam Rhodani quam potent? *Potum vitæ* vocat Irenæus Catholicas veritates, quas Eccleſia propinat, manum manui admouete, nec ſitis adeò inepti, vt de manu alterius temporis vos cuppam apprehenſuros ſperetis. Sed quia Dogmatiſtæ Auguſtinum, Auguſtinum ingeminant, conſentio vt controuerſiam hanc Auguſtinus dirimat. Lib. 3. cont. hæret.

CAPVT IV.

Auguſtinus docet in Eccleſia ſeruari depoſitum Catholicæ doctrinæ, à Patribus traditæ.

1. NON negabunt, opinor, Nou-Auguſtiniani doctrinæ Catholicæ, atque antiquæ traditionem ab eo fieri debere cui ſeruanda commiſſa eſt. hoc enim per ſe ſtatim apparet manifeſtum. Sed neque hoc etiam negare poſſunt, neceſſariæ rem eſſe prouidentiæ, vt qui decedens alteri depoſi-

tum committit, committat ſuperſtiti, & qui pertingat ad idem tempus quo ſunt victuri qui depoſitum repetent. Eſſet enim ridicula conuentio, atque illuſoria, qua quis dum abit depoſitum relinqueret in manu depoſitarii, ſimul etiam abeuntis. Vnde ſequitur, ſi majores noſtri quidquam ſapiebant, & ſi ſapiens etiam erat diuinus ille Spiritus, quo agebantur, & qui futuris ſæculis proſpiciebat, Catholicarum veritatum depoſitum, quod tradendum nobis erat, ſi fuit ab illis Eccleſiæ commiſſum, committi debuiſſe Eccleſiæ ſuperſtiti, & ad noſtra tempora peruenturæ: nec proinde accipi aliunde poſſe depoſitum illud, quàm de manu præſentis Eccleſiæ. Sunt enim hæc neceſſariâ deductione connexa. Nec aliud ſupereſt, quàm vt videamus cuinam ſancti Patres Catholicam doctrinam commendauerint ad poſteros deferendam, & quando ita lubet ea de re Auguſtinum conſulamus de ſanctis Patribus ita differentem: *Quod inuenerunt in Eccleſia tenuerunt; quod à patribus acceperunt, hoc filiis tradiderunt. Hauſerunt Catholicam fidem in lacte, in cibo deinde ſumpſerunt: ac demùm, & lac, & cibum paruis, magniſque miniſtrarunt. his poſt Apoſtolos plantatoribus, rigatoribus, ædificatoribus, nutritoribus Eccleſia creuit: ideo profanas voces veſtræ nouitatis expauit, & cauta, ac ſobria ex admonitione Apoſtolica, ne ſicut ſerpens Euam ſeduxit aſtutia ſua, ſic & mens ejus corrumperetur à caſtitate quæ eſt in Chriſto, Catholicæ fidei virginali inſidias veſtri dogmatis ſurrepentis exhorruit, & tanquam caput colubri calcauit, obtriuit, abjecit.* Addit accuſatores ſanctorum Patrum, quorum meminerat, accuſatores eſſe *vniuerſæ Eccleſiæ, cui diuina familiæ dominica cibaria fideliter miniſtrantes, ingenti in Domino gloria claruerunt.* Tota ergo ſanctorum Patrum intentio circa Eccleſiam occupata fuit. Quidquid in ea ſuxerunt doctrinæ cæleſtis à prioribus, facti ex diſcipulis Magiſtri, idipſum poſterioribus tradidere. Vnde contigit, vt quos Eccleſia heri pepererat, poſtridie parentes haberet, ab eis videlicet *plantata, rigata, nutrita, ædificata.* Accepit ab illis *dominica cibaria*, quæ ſeruaret, quibuſque velut antidoto vteretur contra ſubnaſcentes poſteà errores, perſtante illibata ejus *virginitate.* Ergo in Eccleſiæ theſauro, & non ſolùm in chartis doctrina Patrum quærenda eſt. Quid timemus? vt aruerit humor ille quo rigata eſt? vt alimenta neſciat quibus creuit? vt in oleaſtrum

a. con. Iul. lib.

ſtrum degenerauerit, quæ olea fuerat plantata? vt amiſerit formam, quam accepit à ſuis architectis? vt tanto interuallo cibaria dominica conſumpſerit, quæ ſancti Patres miniſtrauerant? Denique vt virginitatem amiſerit, quam illi contra corruptores munierant? Ergo illam interrogemus, vt ſciamus & quas illi Catholicas veritates ſancti Patres tradiderint, quæue fuerit eorum doctrina, vel quæ interpretatio ſcriptorum illorum, quæ ad nos peruenerunt: & tunc demum erit indubitata regula traditionis.

3. Atque vt conſtet ita omninò faciendum eſſe ex Auguſtini præſcripto, quærere iuuat ex Nou-Auguſtinianis, vtra illis videatur potior traditio, Apoſtolorum an Patrum? Opinor Apoſtolorum. Atqui Auguſtinus Apoſtolorum traditioni non fidit, niſi Eccleſia ſecuritatem præſtet: nec aliam agnoſcit cuſtodem doctrinæ ab illis depoſitæ. Quid enim aliud ſibi vult illud, *Euangelio non crederem, niſi me auctoritas Eccleſiæ commoueret?* Apoſtolorum ſcripta, niſi de manu Eccleſiæ, ſecurè Auguſtinus non accipit; quid igitur Nou-Auguſtinianis perſuaſit, & alteri traditas à SS. Patribus, & aliunde accipiendas Catholicas veritates, quàm ab eadem Eccleſia? Ecquis certam facere poterit traditionem, quam ejus auctoritas non confirmauerit? Quæ verò alia intelligitur Eccleſia, niſi illa in qua viuimus; quemadmodum illam etiam Auguſtinus deſignabat, in qua viuebat ipſe? Con. Ep. fund. c. 5.

4. Huc etiam pertinet quod Auguſtinus argumentum Apoſtolicæ traditionis petit ex *communi obſeruatione per omnes Eccleſias*, & argumentum non Apoſtolicæ, ſed *liberæ obſeruationis*, ex eo quòd per *Eccleſias* aliquid *varietur*. Quis enim dubitet quin is qui ſic erat animo diſpoſitus, Catholicam veritatem à Patribus atque adeò ab Apoſtolis traditam crediturus non fuerit, quæ communi per omnes Eccleſias fidei repugnaret? Ejuſmodi autem eſſe quæ ab Nou-Auguſtinianis proferuntur dogmata, ne ipſi quidem negare audent. An ergo putauerit, quod iſti putant, adeò fuiſſe obliteratas per omnem Eccleſiam veritates Catholicas, vt earum propoſitio ſcandalum daret, omnium animis opinione contraria occupatis? Adde quòd etiam contra Donatiſtas Auguſtinus vrget. *Nec nos ipſi tale aliquid auderemus aſſerere*, de valore ſcilicet 2. De bapt. cont. Donat. cap. 7. Epiſt. 118. Ibid. cap. 5.

baptiſmi ab hæreticis collati, *niſi vniuerſæ Eccleſiæ concordiſſima authoritate firmati. Cui & ipſe* Cyprianus *ſine dubio cederet, ſi illo tempore quæſtionis hujus veritas eliquata & declarata per Concilium plenarium ſolidaretur.* De traditione loquitur Auguſtinus, quâ vult conſtare qui ſint idonei miniſtri baptiſmi. Petit autem illius firmitatem à *concordiſſima* authoritate Eccleſiæ ſui temporis, quæ quia non tam explorata fuerat tempore S. Cypriani, exiſtimat inde habere illum potuiſſe aliquam excuſationem erroris, quem fuerit ſine dubio retractaturus, contrario Eccleſiæ ſenſu perſpicuè cognito. Putat ergo Eccleſiæ tantùm traditam eſſe à Deo veritatem illam cuſtodiendam, quando negat ſe poſſe illam tutò aliunde accipere, atque ita certiſſima eſt illi, firmiſſimáque traditionis regula; conſenſus Eccleſiæ pro illo tempore quo quiſque viuit. Regula, inquam, hæc illi vnica eſt, ad omnem controuerſiam dirimendam, *Credendum teſtimonio Eccleſiæ, quam veracem eſſe Chriſtus teſtatus eſt: ſufficere Catholicis quòd eam teneant Eccleſiam, quæ manifeſtiſſimis ſanctarum, & canonicarum Scripturarum teſtimoniis demonſtratur:* Si quis ſapiens exiſteret, cui Dominus teſtimonium perhiberet, quale perhibuit Eccleſiæ, faciendum quod ille diceret, *ne non tam ipſi, quàm Domino Ieſu Chriſto cujus teſtimonio commendabatur, repugnare iudicaremur*: Qui igitur Eccleſiæ non aſſentiatur, *ipſi Saluatori contra ſalutem ſuam perniciosiſſimè reluctaturum*, quòd Eccleſiæ non credat ejus teſtimonio commendatæ, cui non credere *nefarium eſt. In apertis immorari* qui contradicunt *ne aperta cogantur fateri. Ecce Eccleſia*, inquit, *rogo quid patimini. Ecce Eccleſia tot manifeſtiſſimis ſanctarum Scripturarum teſtimoniis commendata & expreſſa, prædicta & demonſtrata ... Quid tergiuerſaris quomodo ſuſcipiaris*, Donatiſta, *cur detrectas ſic ſuſcipi, quomodo ſuſcipit cui teſtimonium perhibet qui mentiri non poteſt?* Et quamuis hæc à ſancto Doctore in peculiari controuerſia de baptiſmo hæreticorum dicantur, eſt tamen manifeſtum concludere illum contra Donatiſtas ex principiis communibus, ac ſupponere in vniuerſum, Eccleſiam à Deo conſtitutam cuſtodem vnicam earum veritatum quas Chriſtus & per ſe ipſe, & per ſuos Apoſtolos, pérque ipſos ſanctos Patres proponi hominibus voluit.

De vnit. Eccleſ. cap. 19.

5. Et ideo non ſolùm Donatiſtis, ſed Manichæis etiam

Eccleſiam opponit Auguſtinus, tanquam idoneum confutandis eorum erroribus argumentum. Nam cùm ſupponat pertinuiſſe ad diuinam circa ſalutem hominum prouidentiam, mediam quamdam auctoritatem conſtitui, quâ homines ab inſipientia perducerentur ad Deum, hanc dicit in Eccleſia conſtitutam, idque *per Prophetarum vaticinia per humanitatem doctrinámque Chriſti, per Apoſtolorum itinera, per Martyrum contumelias, cruces, ſanguinem, mortes; per ſanctorum prædicabilem vitam, atque in his vniuerſis digna rebus tantis, atque virtutibus pro temporum opportunitate miracula.* Vnde concludit: *Cùm igitur tantum auxilium Dei, tantum profectum, fructúmque videamus, dubitabimus nos ejus Eccleſiæ condere gremio, quæ vſque ad confeſſionem generis humani ab Apoſtolica Sede per ſucceſſiones Epiſcoporum fruſtrà hæreticis circumlatrantibus, & partim plebis ipſius judicio, partim Conciliorum grauitate, partim miraculorum majeſtate damnatis, culmen auctoritatis obtinuit.* Vides vt ex Auguſtini ſententia, omnes diuinæ prouidentiæ curæ, conſilia omnia, operáque id vnum ſpectauere potiſſimùm, vt Eccleſiæ conciliaretur auctoritas, & ad præcipiendum & ad perſuadendum neceſſaria? Iam verò quis ſit adeò ridiculus, vt alteri creditam putet doctrinam quæ perſuadenda erat, alteri verò auctoritatem ad perſuadendum? Eccleſiæ igitur credita doctrina eſt: Ergo quicumque tutò accipere illam cupit, ab Eccleſiæ traditione accipere debet. De vtilit. cred. c. 17.

6. Hinc eſt illud quod etiam dicit contra Donatiſtas Eccleſiam matrem eſſe, *quæ omnibus gentibus & regenerandis ſinum pandit, & regeneratis vbera infundit*, qua imagine aliàs quoque ſæpiſſimè Eccleſiam exprimit, vt in oratione contra Paganos, Iudæos, & Arrianos, cùm dicit, *Nec mirum, ſi has ruinas quotidie fabricatis, qui Chriſtum in fundamento habere noluiſtis: qui à veſtro errore ſeparat veritatis filios, quos ſic fouet vt nutriat, non ſic blandiendo decipit vt occidat.* Et vt intelligatur vbinam hi veritatis filii nutriantur, ſubjungit ſtatim: *Apud Catholicam, dilectiſſimi, noueritis tantùm eſſe veram fidem, germanam pacem, perpetuam ſalutem. Non enim in angulo eſt, ſed vbique tota eſt.* Et paulò pòſt; *Hæc eſt mater vera, pia mater, & caſta, intrinſecùs viri ſui dignitate ornata, non forinſecùs mendacio fallente turpiter colorata.* Sola igitur Eccleſia ex Auguſtino ma- Epiſt. 103. Cap. 19. Cap. 20.

ter illa eſt, cui veritatis pabulum eſt commiſſum, vt inde nutriantur veritatis filii : Ergo qui pabulum hoc ſe aliunde accepturum ſperat, quàm de manu Eccleſiæ; non pabulum veritatis, ſed erroris venenum accepturus eſt.

Cap. 11. & 13. 7. Et in ſecundo libro de ſymbolo ad Catechumenos, cùm dicit, *Certè ex me nemo ſcire quærat quod me neſcire ſcio, niſi fortè vt neſcire diſcat, quod ſciri non poſſe ſciendum eſt. Sed per fidem & patientiam,* ET SANCTAM MATREM ECCLESIAM SPEREMVS NOS ACCIPERE QVIDQVID MAGNIS ET PVSILLIS DIGNATVS FVERIT ILLE DONARE. *Sancta Eccleſia, in qua omnis hujus ſacramenti terminatur authoritas, mater & virgo, corpore caſta, prole fæcunda, ſponſa Chriſti ſuperiùs declarata, piè nutrit filios, quos Deo patri dignos aſſignare contendit. Filii boni amate tantam matrem,* &c. Et paulò pòſt, *Vos autem dilectiſſimi, qui ab initio vberibus ſanctæ matris Eccleſiæ nutriti, vſque ad ſolidum cibum eſtis ab ea perducti, manete in ea:* hîc neceſſariò compellandi ſunt *Traditionis diſcipuli* vt regulam ſequantur, quam præſcribunt. Ex traditione cognoſci volunt Catholicas veritates; & nos quoque. Traditionis hujus Auctorem Auguſtinum nominant; agnoſcimus. Accipite ergo quod tradit Auguſtinus, ô Diſcipuli Traditionis, Monitum tradit vt ad Eccleſiam potiùs, quàm ad ipſum recurramus: vt ab illa nos ſperemus accipere quidquid Deus dat puſillis, & magnis: vt & lac fidei ab ejus vberibus, & cibum ſolidum ab ejus penu expectemus: vt in ea credamus terminari auctoritatem omnem, qua niti debet traditio. Riuus eſt igitur omnis Auguſtini doctrina, qui ad locum vnde exierat reuertitur, hoc eſt, ad Eccleſiam; Et quemadmodum id, quod Deus dat per ſemetipſum, Eccleſiæ tradit puſillis & magnis diſtribuendum; ita & quod dat per ſanctos ſuos Eccleſiæ Paſtores, & Doctores, eidem Eccleſiæ tradit per ſuccedentes alios paſtores, doctoreſque diſtribuendum poſteris: & quando auctoritas omnis ex Auguſtino in illa terminatur, interroganda illa eſt vt ſciamus quæ fuerit Auguſtini fides: & quidquid conjiciemus aliunde commentando, vel falſum erit, vel incertum, vtpote auctoritate neceſſaria deſtitutum, quæ ſufficiens nulla niſi ab Eccleſia haberi poteſt. Accipite, ô Nou-Auguſtiniani, traditionem hanc ab Auguſtino.

8. Et in libro de moribus Eccleſiæ dum ſic eam appellat, *Meritò Eccleſia Catholica mater Chriſtianorum veriſſima, non ſolùm ipſum Deum, cujus adeptio vita eſt beatiſſima, puriſſimè atque caſtiſſimè colendum prædicas, nullam nobis adorandam creaturam inducens, cui ſeruire jubeamur: & ab illa incorrupta, & inuiolabili æternitate, cui ſoli homo ſubjiciendus eſt, cui ſoli rationalis anima cohærendo non miſera eſt, excludens omne quod factum eſt*, &c. *Sed etiam proximi dilectionem, atque caritatem ita complecteris, vt variorum morborum quibus pro peccatis ſuis animæ ægrotanti, omnis apud te medicina præpolleat. Tu pueriliter pueros, fortiter juuenes, quietè ſenes, prout cujuſque non corporis tantùm, ſed & animi ætas eſt, exerces ac doces. Tu fœminas*, &c. ac decurſis omnibus officiis Chriſtianæ vitæ, quorum diſciplinam ab Eccleſia tradi oſtendit, addit. *Quod vnum iſti hæretici intelligere ſi valerent, nuſquam profectò Deum niſi apud te, atque in tuo gremio minimè ſuperbi, & bene pacati venerarentur.* Ecce Doctrinam fidei omnem, & ſpeculatiuam & practicam, qua, & Dei cognitio & officia Chriſtianæ vitæ omnia continentur, Auguſtinus Eccleſiæ tanquam veriſſimæ Chriſtianorum matri acceptam refert. Ab illa petenda dicit *omnia remedia* ſpritualium morborum, vtpote apud quam *præpollet omnis* hujuſmodi morborum *medicina*. Et vt ſciamus inter eos morbos ignorantiam quoque, atque infirmitatem fidei numerari; ab ea doceri docet *pueros, juuenes, ſenes, prout cujuſque non corporis tantùm; ſed & animi ætas eſt.* Denique hæreticorum ſuperbiæ tribuit quod alibi quàm apud Eccleſiam, & in Eccleſiæ gremio Deum quærant. Eſt igitur indubitatum apud Auguſtinum, omnem doctrinam quâ voluit Deus, vt errores hominum pellerentur, in Eccleſiæ gremio fuiſſe depoſitam, ac proinde etiam illam quæ traditur per ſanctos Patres, quippe quæ ipſa quoque neceſſaria eſt, & indiget cuſtode ac depoſitario fideli. Vnde ſequitur ex lege prouidentiæ per Eccleſiam fieri debere illius traditionem: & hanc eſſe regulam ad certitudinem traditionis neceſſariam: Et alienos eſſe à Chriſtiana humilitate, qui aliunde haurire volunt Catholicas veritates, quòd hoc ſit proprium ſuperbiæ tantùm hæreticorum. Cap. 30.

9. Addit quod dicit in tractatu de cantico nouo, vbi ne- Cap 5.

gat audiendam eſſe prædicationem, qua prædicatur Chriſtus, niſi Eccleſiæ authoritate fulciatur. *Si quis tibi Chriſtum prædicat*, inquit, *attende, & conſidera qualem prædicet, vbi prædicet. Chriſtus enim veritas eſt, per Scripturas ſanctas prædicatur, non in angulis, non occultè, ſed palam, publicè. In Sole poſuit tabernaculum ſuum: hoc eſt in manifeſto collocauit Eccleſiam ſuam.* & paulò pòſt, *Si veritate fulcitur prædicatio tua, publica ſit doctrina tua, demonſtra mihi Eccleſiam tuam.* Demonſtrare Nou-Auguſtiniani non poſſunt niſi contradicentem, poſtquam conſtat, ipſorum etiam confeſſione, obliteratam in ea eſſe doctrinam quam prædicant, & ob receptas contrarias opiniones, ſcandaloſam.

Cap. 6.

10. Atque hoc principium de auctoritate Eccleſiæ ad confirmandas doctrinæ traditiones, Auguſtinus ipſe fatetur ſibi à Deo penitùs impreſſum ab initio ſuæ conuerſionis, cùm adhuc circa cætera fluctuaret: quod videlicet & neceſſarium eſſet fundamentum ad totam illam, quæ ſuperædificanda erat fidei, atque doctrinæ molem fulciendam: & certa etiam regula quâ deinde facile erat cæterorum quæ adhuc ſupererant dubiorum rationem inuenire. *Sed me non ſinebas*, inquit, *vllis fluctibus cogitationis auferri ab ea fide quâ credebam, & eſſe te, & eſſe incommutabilem ſubſtantiam tuam, & eſſe de hominibus curam & judicium tuum, & in Chriſto filio tuo Domino noſtro, atque in Scripturis ſanctis,* QVAS ECCLESIÆ TVÆ CATHOLICÆ COMMENDARET AVCTORITAS, *viam te poſuiſſe ſalutis humanæ ad eam vitam, quæ poſt hanc mortem futura eſt.* Hæc erat Auguſtino regula credendæ ſcripturæ, traditio ſcilicet Eccleſiæ Catholicæ, non corticem tantùm literæ tradentis, ſed & interpretationem. Loquitur autem Auguſtinus de Eccleſia, in qua viuebat ipſe, & quam ſibi ſuperſtitem fore putabat, vt eſſet etiam poſteris eadem regula, idémque recurſus ad Eccleſiam in qua quiſque viuit, vt monſtratum eſt, & vberiùs adhuc eſt monſtrandum.

Lib. 7. Confeſſ. cap. 7.

CAPVT V.

Eccleſia primitiua infallibilitatem aſſerit Eccleſiæ non primitiuæ ex Auguſtino.

1. VIDENTVR Nou-Auguſtiniani dum dicunt vnicam regulam Catholicarum veritatum eſſe traditionem Eccleſiæ primitiuæ, idem facere quod ille qui dicebat ſe ſomniaſſe non eſſe credendum ſomniis. Supponimus enim ita diſtingui Eccleſiam primitiuam à non primitiua, vt diſtinguitur homo iuuenis à ſeipſo ſene. Ad illam verò diſtinctionem pertinere dicunt tanquam propriam Eccleſiæ primitiuæ differentiam, quòd ſit *Eccleſia in ſua puritate*, cùm non primitiua *alterata* ſit: ex quo conſequens eſſe putant, vt Eccleſia primitiua propter illam *puritatem* ſit vnica regula Catholicarum veritatum, quod non primitiua eſſe non poteſt, eo quòd ſit *alterata*. Iuuat autem in hunc modum argumentari. Eccleſia primitiua eſt vnica regula Catholicarum veritatum, ergo quod illa tradit eſt Catholica veritas. Sed illa tradit Eccleſiam etiam non primitiuam eſſe infallibilem in doctrina fidei: ergo Eccleſiam non primitiuam eſſe infallibilem in materia fidei eſt Catholica veritas. Iam verò, Omnis Eccleſia infallibilis in materia fidei eſt regula Catholicarum veritatum. Sed Eccleſia non primitiua eſt infallibilis: Eſt igitur regula Catholicarum veritatum: ergo vnica regula Catholicarum veritatum dicit ſe non eſſe vnicam, quia dicit non ſolùm Eccleſiam primitiuam eſſe regulam, ſed etiam non primitiuam. Atque ita qui credunt Eccleſiam primitiuam eſſe vnicam regulam ad diſtinctionem non primitiuæ, credunt dicentem ſe in eo non diſtingui à non primitiua, ſed eſſe illam quoque perinde regulam earumdem veritatum, deberéque illas ex ejus traditione perinde recipi. Nec aliud reſtat quàm vt hoc probemus, nimirum Eccleſiam primitiuam non primitiuæ, adoleſcentem ſeneſcenti, & incipientem finali teſtimonium hoc infallibilitatis dediſſe, quod, quando ita volunt, ex vno Auguſt. probandum eſt.

2. Probatur ergo primò. Quia alioqui Auguſtinus aërem verberaret, dum ad omnem hæreſim confutandam Manichæorum, Arianorum, Donatiſtarum, Pelagianorum, adhibet au-ctoritatem Eccleſiæ aliunde probatam. Si enim putaſſet caſualem fuiſſe puritatem illam doctrinæ, quam Eccleſia prædicauerat ad ſuum vſque ſæculum, nec quidquam vetare quo minùs conſequentibus annis corrumperetur; quid dicere poterat reſpondentibus jam cœpiſſe quod ipſe breui futurum non negaret: & cùm fortuita eſſet atque contingens puritas illa, nulla certa, perpetuáque promiſſione firmata, nullóque certo tempore definita; nullam habere ipſum rationem, cur hucuſque perſeueraſſe diceret contra negantes, deinceps autem perſeueraturum negaret. Atque hîc Manichæi retorquere poſſent Auguſtini objectionem, cùm dicit: *Si autem dixeris, rectè credidiſti Catholicis laudantibus Euangelium, ſed non rectè illis credidiſti vituperantibus Manichæum: vſque adeò me ſtultum putas, vt nulla reddita ratione quod vis credam, quod non vis non credam?*

Con. Ep. fund. cap. 5.

Diceret, inquam, Manichæus Auguſtino: Si dixeris, rectè credidiſti Catholicos annis ſequentibus non ſeruaturos doctrinæ puritatem: ſed non rectè credis annis præcedentibus vſque ad meam ætatem incluſiuè non ſeruaſſe; vſque adeò me ſtultum putas, vt nulla reddita ratione quod vis credam, quod non vis non credam?

3. Retorqueri poſſet & quod viget etiam contra Fauſtum, qui cùm diceret mendoſas eſſe ſancti Pauli Epiſtolas: & quod in eis fauere videbatur doctrinæ Manichæorum, ſcriptum eſſe ab Apoſtolo, quod autem repugnaret, irrepſiſſe aliunde; Auguſtinus ridiculum reddit cùm infert: *Tu es ergo regula veritatis, quidquid contra te fuerit non eſt verum.* Atenim quia ſtatim objicit, *Eccleſiæ Catholicæ authoritatem, quæ ab ipſis fundatiſſimis ſedibus Apoſtolorum, vſque ad hodiernum, diem ſuccedentium ſibimet Epiſcoporum ſerie, & tot populorum conſenſione firmatur:* ſi crederet Auguſtinus non duraturam authoritatem illam & firmitatem annis ſequentibus, ſed erraturam Eccleſiam; Fauſtus regereret, ſucceſſio Epiſcoporum à fundatiſſimis ſedibus Apoſtolorum, & populorum conſenſio Eccleſiæ dat authoritatem vſque ad hoc tempus; poſteà verò tametſi perſeueret eadem & ſucceſſio, & conſenſio, non dabit, nec illi tutò

Lib. 11. c. 2.

credi

credi poterit. Tu es ergo regula veritatis, qui ſucceſſioni illi & conſenſioni, quandiu tibi fauet, aſſentiris, quandiu non fauet, contradicis: & cùm ſit eadem ſemper authoritatis ratio, pro tempore quo tibi placet, illam agnoſcis, pro tempore quo non placet, repudias: Tu es ergo regula veritatis. Supponit igitur Auguſtinus *authoritatem illam Catholicam*, qua ſe cogi putat vt perinde credat veteri, ac nouo Teſtamento, & Actibus Apoſtolorum ſicuti & Euangelio, perpetuitatem habere in diuina promiſſione fundatam.

4. Atque hoc eſt argumentum, quo Auguſtinus Donatiſtas premit, tale aliquid Eccleſiæ contigiſſe calumniantes ante Auguſtini tempora, quale conſequentibus ſæculis Nou-Auguſtiniani contigiſſe ſuſpicantur. Dicebant enim Eccleſiam periiſſe, perdita videlicet illa, quam Auguſtinus toties celebrat, virginitate fidei, & doctrinæ caſtitate. Vrget autem illos Auguſtinus Scripturarum teſtimoniis, quibus vel prædicta, vel promiſſa eſt Eccleſia, quibus conſtat illam Eccleſiæ prærogatiuam non alio tempore circumſcriptam eſſe, quàm quo duratio ipſius mundi. hoc enim ſibi velle quod dicitur, *Fundamenta ejus in montibus ſanctis, fundatam eſſe ſupra firmam petram, portas inferi non prænaliturας aduerſus eam*, non deſerendam à ſponſo ſuo dicente, *Ecce ego vobiſcum ſum vſque ad conſummationem ſæculi*. & alia id genus, ex quibus Auguſtinus colligit, ſalua Dei fidelitate, ac veracitate, non potuiſſe contingere defectionem illam Eccleſiæ, quam ſomniabant Donatiſtæ. Quæ dico perinde probare nec illam in doctrina fidei impuritatem, quam Nou-Auguſtiniani delirant, contingere poſſe.

5. Et hæc eſt ſecunda probatio, collecta ex interpretatione, quam dat Auguſtinus Scripturæ teſtimoniis de Eccleſiæ firmitate, cujus quanta ſit vis intelligetur facilè ex ipſis Auguſtini verbis.

6. Occurrit ergo primò quod dicit in Epiſtola ad Vincentium, vbi ſponſum Chriſtum Eccleſiæ ſponſæ dicenti, *Indica mihi vbi paſcas, vbi cubes in meridie*, reſpondentem repræſentat. *Ipſa eſt cui continuò reſpondetur, niſi cognoueris temetipſam, ô pulchra inter mulieres, exi tu in veſtigiis gregum, & paſce hædos tuos in tabernaculis paſtorum. O reſponſio dulciſſimi Sponſi! Niſi cogno-* Epiſt. 48.

F

tum committit, committat ſuperſtiti, & qui pertingat ad id em tempus quo ſunt victuri qui depoſitum repetent. Eſſet enim ridicula conuentio, atque illuſoria, qua quis dum abit depoſitum relinqueret in manu depoſitarii, ſimul etiam abeuntis. Vnde ſequitur, ſi majores noſtri quidquam ſapiebant, & ſi ſapiens etiam erat diuinus ille Spiritus, quo agebantur, & qui futuris ſæculis proſpiciebat, Catholicarum veritatum depoſitum, quod tradendum nobis erat, ſi fuit ab illis Eccleſiæ commiſſum, committi debuiſſe Eccleſiæ ſuperſtiti, & ad noſtra tempora peruenturæ: nec proinde accipi aliunde poſſe depoſitum illud, quàm de manu præſentis Eccleſiæ. Sunt enim hæc neceſſariâ deductione connexa. Nec aliud ſupereſt, quàm vt videamus cuinam ſancti Patres Catholicam doctrinam commendauerint ad poſteros deferendam, & quando ita lubet ea de re Auguſtinum conſulamus de ſanctis Patribus

a. con. Iul. lib. ita differentem: *Quod inuenerunt in Eccleſia tenuerunt; quod à patribus acceperunt, hoc filiis tradiderunt. Hauſerunt Catholicam fidem in lacte, in cibo deinde ſumpſerunt: ac demùm, & lac, & cibum paruis, magniſque miniſtrarunt. his poſt Apoſtolos plantatoribus, rigatoribus, ædificatoribus, nutritoribus Eccleſia creuit: ideo profanas voces veſtræ nouitatis expauit, & cauta, ac ſobria ex admonitione Apoſtolica, ne ſicut ſerpens Euam ſeduxit aſtutia ſua, ſic & mens ejus corrumperetur à caſtitate quæ eſt in Chriſto, Catholicæ fidei virginali inſidias veſtri dogmatis ſurrepentis exhorruit, & tanquam caput colubri calcauit, obtriuit, abjecit.* Addit accuſatores ſanctorum Patrum, quorum meminerat, accuſatores eſſe *vniuerſæ Eccleſiæ, cui diuina familia dominica cibaria fideliter miniſtrantes, ingenti in Domino gloria claruerunt.* Tota ergo ſanctorum Patrum intentio circa Eccleſiam occupata fuit. Quidquid in ea ſuxerunt doctrinæ cæleſtis à prioribus, facti ex diſcipulis Magiſtri, idipſum poſterioribus tradidere. Vnde contigit, vt quos Eccleſia heri pepererat, poſtridie parentes haberet, ab eis videlicet *plantata, rigata, nutrita, ædificata.* Accepit ab illis *dominica cibaria*, quæ ſeruaret, quibuſque velut antidoto vteretur contra ſubnaſcentes poſteà errores, perſtante illibata ejus *virginitate.* Ergo in Eccleſiæ theſauro, & non ſolùm in chartis doctrina Patrum quærenda eſt. Quid timemus? vt aruerit humor ille quo rigata eſt? vt alimenta neſciat quibus creuit? vt in oleaſtrum

ſtrum degenerauerit, quæ olea fuerat plantata? vt amiſerit formam, quam accepit à ſuis architectis? vt tanto interuallo cibaria dominica conſumpſerit, quæ ſancti Patres miniſtrauerant? Denique vt virginitatem amiſerit, quam illi contra corruptores munierant? Ergo illam inrerrogemus, vt ſciamus & quas illi Catholicas veritates ſancti Patres tradiderint, quæue fuerit eorum doctrina, vel quæ interpretatio ſcriptorum illorum, quæ ad nos peruenerunt: & tunc demum erit indubitata regula traditionis.

3. Atque vt conſtet ita omninò faciendum eſſe ex Auguſtini præſcripto, quærere iuuat ex Nou-Auguſtinianis, vtra illis videatur potior traditio, Apoſtolorum an Patrum? Opinor Apoſtolorum. Atqui Auguſtinus Apoſtolorum traditioni non fidit, niſi Eccleſia ſecuritatem præſtet: nec aliam agnoſcit cuſtodem doctrinæ ab illis depoſitæ. Quid enim aliud ſibi vult illud, *Euangelio non crederem, niſi me auctoritas Eccleſiæ commoueret?* Con. Ep. fund. c. 5. Apoſtolorum ſcripta, niſi de manu Eccleſiæ, ſecurè Auguſtinus non accipit; quid igitur Nou-Auguſtinianis perſuaſit, & alteri traditas à SS. Patribus, & aliunde accipiendas Catholicas veritates, quàm ab eadem Eccleſia? Ecquis certam facere poterit traditionem, quam ejus auctoritas non confirmauerit? Quæ verò alia intelligitur Eccleſia, niſi illa in qua viuimus; quemadmodum illam etiam Auguſtinus deſignabat, in qua viuebat ipſe?

4. Huc etiam pertinet quod Auguſtinus argumentum Apoſtolicæ traditionis petit ex *communi obſeruatione per omnes Eccleſias*, 2. De bapt. cont. Donat. cap. 7. & argumentum non Apoſtolicæ, ſed *liberæ obſeruationis*, ex eo quòd per *Eccleſias* aliquid *varietur*. Epiſt. 118. Quis enim dubitet quin is qui ſic erat animo diſpoſitus, Catholicam veritatem à Patribus atque adeò ab Apoſtolis traditam crediturus non fuerit, quæ communi per omnes Eccleſias fidei repugnaret? Ejuſmodi autem eſſe quæ ab Nou-Auguſtinianis proferuntur dogmata, ne ipſi quidem negare audent. An ergo putauerit, quod iſti putant, adeò fuiſſe *obliteratas* per omnem Eccleſiam veritates Catholicas, vt earum propoſitio ſcandalum daret, omnium animis opinione contraria occupatis? Adde quòd etiam contra Donatiſtas Auguſtinus vrget. Ibid. cap. 5. *Nec nos ipſi tale aliquid auderemus aſſerere*, de valore ſcilicet

E

baptiſmi ab hæreticis collati, *niſi vniuerſæ Eccleſiæ concordiſ-ſima authoritate firmati. Cui & ipſe* Cyprianus *ſine dubio cederet, ſi illo tempore quæſtionis hujus veritas eliquata & declarata per Concilium plenarium ſolidaretur.* De traditione loquitur Auguſtinus, quâ vult conſtare qui ſint idonei miniſtri baptiſmi. Petit autem illius firmitatem à *concordiſſima* authoritate Eccleſiæ ſui temporis, quæ quia non tam explorata fuerat tempore S. Cypriani, exiſtimat inde habere illum potuiſſe aliquam excuſationem erroris, quem fuerit ſine dubio retractaturus, contrario Eccleſiæ ſenſu perſpicuè cognito. Putat ergo Eccleſiæ tantùm traditam eſſe à Deo veritatem illam cuſtodiendam, quando negat ſe poſſe illam tutò aliunde accipere, atque ita certiſſima eſt illi, firmiſſimáque traditionis regula; conſenſus Eccleſiæ pro illo tempore quo quiſque viuit. Regula, inquam, hæc illi vnica eſt, ad omnem controuerſiam dirimendam, *Credendum teſtimonio Eccleſiæ, quam veracem eſſe Chriſtus teſtatus eſt: ſufficere Catholicis quòd eam teneant Eccleſiam, quæ manifeſtiſſimis ſanctarum, & canonicarum Scripturarum teſtimoniis demonſtratur:* Si quis ſapiens exiſteret, cui Dominus teſtimonium perhiberet, quale perhibuit Eccleſiæ, faciendum quod ille diceret, *ne non tam ipſi, quàm Domino Ieſu Chriſto cujus teſtimonio commendabatur, repugnare iudicaremur*: Qui igitur Eccleſiæ non aſſentiatur, *ipſi Saluatori contra ſalutem ſuam perniciosiſſimè reluctaturum*, quòd Eccleſiæ non credat ejus teſtimonio commendatæ, cui non credere *nefarium eſt. In opertis immorari* qui contradicunt *ne aperta cogantur fateri. Ecce Eccleſia*, inquit, *rogo quid patimini. Ecce Eccleſia tot manifeſtiſſimis ſanctarum Scripturarum teſtimoniis commendata & expreſſa, prædicta & demonſtrata... Quid tergiuerſaris quomodo ſuſcipiaris*, Donatiſta, *cur detrectas ſic ſuſcipi, quomodo ſuſcipit cui teſtimonium perhibet qui mentiri non poteſt?* Et quamuis hæc à ſancto Doctore in peculiari controuerſia de baptiſmo hæreticorum dicantur, eſt tamen manifeſtum concludere illum contra Donatiſtas ex principiis communibus, ac ſupponere in vniuerſum, Eccleſiam à Deo conſtitutam cuſtodem vnicam earum veritatum quas Chriſtus & per ſe ipſe, & per ſuos Apoſtolos, pérque ipſos ſanctos Patres proponi hominibus voluit.

De vnit. Eccleſ. cap. 19.

5. Et ideo non ſolùm Donatiſtis, ſed Manichæis etiam

Eccleſiam opponit Auguſtinus, tanquam idoneum confutandis eorum erroribus argumentum. Nam cùm ſupponat pertinuiſſe ad diuinam circa ſalutem hominum prouidentiam, mediam quamdam auctoritatem conſtitui, quâ homines ab inſipientia perducerentur ad Deum, hanc dicit in Eccleſia conſtitutam, idque *per Prophetarum vaticinia per humanitatem doctrinámque Chriſti, per Apoſtolorum itinera, per Martyrum contumelias, cruces, ſanguinem, mortes; per ſanctorum prædicabilem vitam, atque in his vniuerſis digna rebus tantis, atque virtutibus pro temporum opportunitate miracula.* Vnde concludit: *Cùm igitur tantum auxilium Dei, tantum profectum, fructúmque videamus, dubitabimus nos ejus Eccleſiæ condere gremio, quæ vſque ad confeſſionem generis humani ab Apoſtolica Sede per ſucceſſiones Epiſcoporum fruſtrà hæreticis circumlatrantibus, & partim plebis ipſius judicio, partim Conciliorum grauitate, partim miraculorum majeſtate damnatis, culmen auctoritatis obtinuit.* Vides vt ex Auguſtini ſententia, omnes diuinæ prouidentiæ curæ, conſilia omnia, operáque id vnum ſpectauere potiſſimùm, vt Eccleſiæ conciliaretur auctoritas, & ad præcipiendum & ad perſuadendum neceſſaria? Iam verò quis ſit adeò ridiculus, vt alteri creditam putet doctrinam quæ perſuadenda erat, alteri verò auctoritatem ad perſuadendum? Eccleſiæ igitur credita doctrina eſt: Ergo quicumque tutò accipere illam cupit, ab Eccleſiæ traditione accipere debet. De vtilit. cred. c. 17.

6. Hinc eſt illud quod etiam dicit contra Donatiſtas Eccleſiam matrem eſſe, *quæ omnibus gentibus & regenerandis ſinum pandit, & regeneratis vbera infundit*, qua imagine aliàs quoque ſæpiſſimè Eccleſiam exprimit, vt in oratione contra Paganos, Iudæos, & Arrianos, cùm dicit, *Nec mirum, ſi has ruinas quotidie fabricatis, qui Chriſtum in fundamento habere noluiſtis: qui à veſtro errore ſeparat veritatis filios, quos ſic fouet vt nutriat, non ſic blandiendo decipit vt occidat.* Et vt intelligatur vbinam hi veritatis filii nutriantur, ſubjungit ſtatim: *Apud Catholicam, dilectiſſimi, noueritis tantùm eſſe veram fidem, germanam pacem, perpetuam ſalutem. Non enim in angulo eſt, ſed vbique tota eſt.* Et paulò pòſt, *Hæc eſt mater vera, pia mater, & caſta, intrinſecùs viri ſui dignitate ornata, non forinſecùs mendacio fallente turpiter colorata.* Sola igitur Eccleſia ex Auguſtino ma- Epiſt. 103. Cap. 19. Cap. 20.

ter illa eſt, cui veritatis pabulum eſt commiſſum, vt inde nutriantur veritatis filii: Ergo qui pabulum hoc ſe aliunde accepturum ſperat, quàm de manu Eccleſiæ; non pabulum veritatis, ſed erroris venenum accepturus eſt.

Cap. 11. & 13. 7. Et in ſecundo libro de ſymbolo ad Catechumenos, cùm dicit, *Certè ex me nemo ſcire quærat quod me neſcire ſcio, niſi fortè vt neſcire diſcat, quod ſciri non poſſe ſciendum eſt. Sed per fidem & patientiam*, ET SANCTAM MATREM ECCLESIAM SPEREMVS NOS ACCIPERE QVIDQVID MAGNIS ET PVSILLIS DIGNATVS FVERIT ILLE DONARE. *Sancta Eccleſia, in qua omnis hujus ſacramenti terminatur authoritas, mater & virgo, corpore caſta, prole fœcunda, ſponſa Chriſti ſuperiùs declarata, piè nutrit filios, quos Deo patri dignos aſſignare contendit. Filii boni amate tantam matrem*, &c. Et paulò pòſt, *Vos autem dilectiſſimi, qui ab initio vberibus ſanctæ matris Eccleſiæ nutriti, vſque ad ſolidum cibum eſtis ab ea perducti, manete in ea:* hîc neceſſariò compellandi ſunt *Traditionis diſcipuli* vt regulam ſequantur, quam præſcribunt. Ex traditione cognoſci volunt Catholicas veritates; & nos quoque. Traditionis hujus Auctorem Auguſtinum nominant; agnoſcimus. Accipite ergo quod tradit Auguſtinus, ô Diſcipuli Traditionis, Monitum tradit vt ad Eccleſiam potiùs, quàm ad ipſum recurramus: vt ab illa nos ſperemus accipere quidquid Deus dat puſillis, & magnis: vt & lac fidei ab ejus vberibus, & cibum ſolidum ab ejus penu expectemus: vt in ea credamus terminari auctoritatem omnem, qua niti debet traditio. Riuus eſt igitur omnis Auguſtini doctrina, qui ad locum vnde exierat reuertitur, hoc eſt, ad Eccleſiam; Et quemadmodum id, quod Deus dat per ſemetipſum, Eccleſiæ tradit puſillis & magnis diſtribuendum; ita & quod dat per ſanctos ſuos Eccleſiæ Paſtores, & Doctores, eidem Eccleſiæ tradit per ſuccedentes alios paſtores, doctoreſque diſtribuendum poſteris: & quando auctoritas omnis ex Auguſtino in illa terminatur, interroganda illa eſt vt ſciamus quæ fuerit Auguſtini fides: & quidquid conjiciemus aliunde commentando, vel falſum erit, vel incertum, vtpote auctoritate neceſſaria deſtitutum, quæ ſufficiens nulla niſi ab Eccleſia haberi poteſt. Accipite, ô Nou-Auguſtiniani, traditionem hanc ab Auguſtino.

8. Et in libro de moribus Eccleſiæ dum ſic eam appellat, *Meritò Eccleſia Catholica mater Chriſtianorum veriſſima, non ſolùm ipſum Deum, cujus adeptio vita eſt beatiſſima, puriſſimè atque caſtiſſimè colendum prædicas, nullam nobis adorandam creaturam inducens, cui ſeruire jubeamur: & ab illa incorrupta, & inuiolabili æternitate, cui ſoli homo ſubjiciendus eſt, cui ſoli rationalis anima cohærendo non miſera eſt, excludens omne quod factum eſt*, &c. *Sed etiam proximi dilectionem, atque caritatem ita complecteris, vt variorum morborum quibus pro peccatis ſuis animæ ægrotanti, omnis apud te medicina præpolleat. Tu pueriliter pueros, fortiter juuenes, quietè ſenes, prout cujuſque non corporis tantùm, ſed & animi ætas eſt, exerces ac doces. Tu fœminas*, &c. ac decurſis omnibus officiis Chriſtianæ vitæ, quorum diſciplinam ab Eccleſia tradi oſtendit, addit. *Quod vnum iſti hæretici intelligere ſi valerent, nuſquam profectò Deum niſi apud te, atque in tuo gremio minimè ſuperbi, & bene pacati venerarentur.* Ecce Doctrinam fidei omnem, & ſpeculatiuam & practicam, qua, & Dei cognitio & officia Chriſtianæ vitæ omnia continentur, Auguſtinus Eccleſiæ tanquam veriſſimæ Chriſtianorum matri acceptam refert. Ab illa petenda dicit *omnia remedia* ſpritualium morborum, vtpote apud quam *præpollet omnis* hujuſmodi morborum *medicina*. Et vt ſciamus inter eos morbos ignorantiam quoque, atque infirmitatem fidei numerari; ab ea doceri docet *pueros, juuenes, ſenes, prout cujuſque non corporis tantùm; ſed & animi ætas eſt.* Denique hæreticorum ſuperbiæ tribuit quod alibi quàm apud Eccleſiam, & in Eccleſiæ gremio Deum quærant. Eſt igitur indubitatum apud Auguſtinum, omnem doctrinam quâ voluit Deus, vt errores hominum pellerentur, in Eccleſiæ gremio fuiſſe depoſitam, ac proinde etiam illam quæ traditur per ſanctos Patres, quippe quæ ipſa quoque neceſſaria eſt, & indiget cuſtode ac depoſitario fideli. Vnde ſequitur ex lege prouidentiæ per Eccleſiam fieri debere illius traditionem: & hanc eſſe regulam ad certitudinem traditionis neceſſariam: Et alienos eſſe à Chriſtiana humilitate, qui aliunde haurire volunt Catholicas veritates, quòd hoc ſit proprium ſuperbiæ tantùm hæreticorum. Cap. 30.

9. Addit quod dicit in tractatu de cantico nouo, vbi ne- Cap 5.

gat audiendam eſſe prædicationem, qua prædicatur Chriſtus, niſi Eccleſiæ authoritate fulciatur. *Si quis tibi Chriſtum prædicat*, inquit, *attende, & conſidera qualem prædicet, vbi prædicet. Chriſtus enim veritas eſt, per Scripturas ſanctas prædicatur, non in angulis, non occultè, ſed palam, publicè. In Sole poſuit tabernaculum ſuum: hoc eſt in manifeſto collocauit Eccleſiam ſuam.* & paulò pòſt, *Si veritate fulcitur prædicatio tua, publica ſit doctrina tua, demonſtra mihi Eccleſiam tuam.* Demonſtrare Nou-Auguſtiniani non poſſunt niſi contradicentem, poſtquam conſtat, ipſorum etiam confeſſione, obliteratam in ea eſſe doctrinam quam prædicant, & ob receptas contrarias opiniones, ſcandaloſam.

Cap. 6.

10. Atque hoc principium de auctoritate Eccleſiæ ad confirmandas doctrinæ traditiones, Auguſtinus ipſe fatetur ſibi à Deo penitùs impreſſum ab initio ſuæ conuerſionis, cùm adhuc circa cætera fluctuaret: quod videlicet & neceſſarium eſſet fundamentum ad totam illam, quæ ſuperædificanda erat fidei, atque doctrinæ molem fulciendam: & certa etiam regula quâ deinde facile erat cæterorum quæ adhuc ſupererant dubiorum rationem inuenire. *Sed me non ſinebas*, inquit, *vllis fluctibus cogitationis auferri ab ea fide quâ credebam, & eſſe te, & eſſe incommutabilem ſubſtantiam tuam, & eſſe de hominibus curam & iudicium tuum, & in Chriſto filio tuo Domino noſtro, atque in Scripturis ſanctis*, QVAS ECCLESIÆ TVÆ CATHOLICÆ COMMENDARET AVCTORITAS, *viam te poſuiſſe ſalutis humanæ ad eam vitam, quæ poſt hanc mortem futura eſt.* Hæc erat Auguſtino regula credendæ ſcripturæ, traditio ſcilicet Eccleſiæ Catholicæ, non corticem tantùm literæ tradentis, ſed & interpretationem. Loquitur autem Auguſtinus de Eccleſia, in qua viuebat ipſe, & quam ſibi ſuperſtitem fore putabat, vt eſſet etiam poſteris eadem regula, idémque recurſus ad Eccleſiam in qua quiſque viuit, vt monſtratum eſt, & vberiùs adhuc eſt monſtrandum.

Lib. 7. Confeſſ. cap. 7.

CAPVT V.

Eccleſia primitiua infallibilitatem aſſerit Eccleſiæ non primitiuæ ex Auguſtino.

I. VIDENTVR Nou-Auguſtiniani dum dicunt vnicam regulam Catholicarum veritatum eſſe traditionem Eccleſiæ primitiuæ, idem facere quod ille qui dicebat ſe ſomniaſſe non eſſe credendum ſomniis. Supponimus enim ita diſtingui Eccleſiam primitiuam à non primitiua, vt diſtinguitur homo juuenis à ſeipſo ſene. Ad illam verò diſtinctionem pertinere dicunt tanquam propriam Eccleſiæ primitiuæ differentiam, quòd ſit *Eccleſia in ſua puritate*, cùm non primitiua *alterata* ſit: ex quo conſequens eſſe putant, vt Eccleſia primitiua propter illam *puritatem* ſit vnica regula Catholicarum veritatum, quod non primitiua eſſe non poteſt, eo quòd ſit *alterata*. Iuuat autem in hunc modum argumentari. Eccleſia primitiua eſt vnica regula Catholicarum veritatum, ergo quod illa tradit eſt Catholica veritas. Sed illa tradit Eccleſiam etiam non primitiuam eſſe infallibilem in doctrina fidei: ergo Eccleſiam non primitiuam eſſe infallibilem in materia fidei eſt Catholica veritas. Iam verò, Omnis Eccleſia infallibilis in materia fidei eſt regula Catholicarum veritatum. Sed Eccleſia non primitiua eſt infallibilis: Eſt igitur regula Catholicarum veritatum: ergo vnica regula Catholicarum veritatum dicit ſe non eſſe vnicam, quia dicit non ſolùm Eccleſiam primitiuam eſſe regulam, ſed etiam non primitiuam. Atque ita qui credunt Eccleſiam primitiuam eſſe vnicam regulam ad diſtinctionem non primitiuæ, credunt dicentem ſe in eo non diſtingui à non primitiua, ſed eſſe illam quoque perinde regulam earumdem veritatum, deberéque illas ex ejus traditione perinde recipi. Nec aliud reſtat quàm vt hoc probemus, nimirum Eccleſiam primitiuam non primitiuæ, adoleſcentem ſeneſcenti, & incipientem finali teſtimonium hoc infallibilitatis dediſſe: quod, quando ita volunt, ex vno Auguſt. probandum eſt.

2. Probatur ergo primò. Quia alioqui Auguſtinus aërem verberaret, dum ad omnem hæreſim confutandam Manichæorum, Arianorum, Donatiſtarum, Pelagianorum, adhibet au-ctoritatem Eccleſiæ aliunde probatam. Si enim putaſſet caſualem fuiſſe puritatem illam doctrinæ, quam Eccleſia prædicauerat ad ſuum vſque ſæculum, nec quidquam vetare quo minùs conſequentibus annis corrumperetur; quid dicere poterat reſpondentibus jam cœpiſſe quod ipſe breui futurum non negaret: & cùm fortuita eſſet atque contingens puritas illa, nulla certa, perpetuáque promiſſione firmata, nullóque certo tempore definita; nullam habere ipſum rationem, cur hucuſque perſeueraſſe diceret contra negantes, deinceps autem perſeueraturum negaret. Atque hîc Manichæi

Con. Ep. fund. cap. 5. retorquere poſſent Auguſtini objectionem, cùm dicit: *Si autem dixeris, rectè credidiſti Catholicis laudantibus Euangelium, ſed non rectè illis credidiſti vituperantibus Manichæum: vſque adeò me ſtultum putas, vt nulla reddita ratione quod vis credam, quod non vis non credam?* Diceret, inquam, Manichæus Auguſtino: Si dixeris, rectè credidiſti Catholicos annis ſequentibus non ſeruaturos doctrinæ puritatem; ſed non rectè credis annis præcedentibus vſque ad meam ætatem incluſiuè non ſeruaſſe; vſquè adeò me ſtultum putas, vt nulla reddita ratione quod vis credam, quod non vis non credam?

3. Retorqueri poſſet & quod viget etiam contra Fauſtum, qui cùm diceret mendoſas eſſe ſancti Pauli Epiſtolas: & quod in eis fauere videbatur doctrinæ Manichæorum, ſcriptum eſſe ab Apoſtolo, quod autem repugnaret, irrepſiſſe aliunde;

Lib. 11. c. 2. Auguſtinus ridiculum reddit cùm infert: *Tu es ergo regula veritatis, quidquid contra te fuerit non eſt verum.* Atenim quia ſtatim objicit, *Eccleſiæ Catholicæ authoritatem, quæ ab ipſis fundatiſſimis ſedibus Apoſtolorum, vſque ad hodiernum, diem ſuccedentium ſibimet Epiſcoporum ſerie, & tot populorum conſenſione firmatur:* ſi crederet Auguſtinus non duraturam authoritatem illam & firmitatem annis ſequentibus, ſed erraturam Eccleſiam; Fauſtus regereret, ſucceſſio Epiſcoporum à fundatiſſimis ſedibus Apoſtolorum, & populorum conſenſio Eccleſiæ dat authoritatem vſque ad hoc tempus; poſteà verò tametſi perſeueret eadem & ſucceſſio, & conſenſio, non dabit, nec illi tutò credi

credi poterit. Tu es ergo regula veritatis, qui ſucceſſioni illi & conſenſioni, quandiu tibi fauet, aſſentiris, quandiu non fauet, contradicis: & cùm ſit eadem ſemper authoritatis ratio, pro tempore quo tibi placet, illam agnoſcis, pro tempore quo non placet, repudias: Tu es ergo regula veritatis. Supponit igitur Auguſtinus *authoritatem illam Catholicam*, qua ſe cogi putat vt perinde credat veteri, ac nouo Teſtamento, & Actibus Apoſtolorum ſicuti & Euangelio, perpetuitatem habere in diuina promiſſione fundatam.

4. Atque hoc eſt argumentum, quo Auguſtinus Donatiſtas premit, tale aliquid Eccleſiæ contigiſſe calumniantes ante Auguſtini tempora, quale conſequentibus ſæculis Nou-Auguſtiniani contigiſſe ſuſpicantur. Dicebant enim Eccleſiam periiſſe, perdita videlicet illa, quam Auguſtinus toties celebrat, virginitate fidei, & doctrinæ caſtitate. Vrget autem illos Auguſtinus Scripturarum teſtimoniis, quibus vel prædicta, vel promiſſa eſt Eccleſia, quibus conſtat illam Eccleſiæ prærogatiuam non alio tempore circumſcriptam eſſe, quàm quo duratio ipſius mundi. hoc enim ſibi velle quod dicitur, *Fundamenta ejus in montibus ſanctis, fundatam eſſe ſupra firmam petram, portas inferi non prævalituras aduerſus eam*, non deſerendam à ſponſo ſuo dicente, *Ecce ego vobiſcum ſum vſque ad conſummationem ſæculi*. & alia id genus, ex quibus Auguſtinus colligit, ſalua Dei fidelitate, ac veracitate, non potuiſſe contingere defectionem illam Eccleſiæ, quam ſomniabant Donatiſtæ. Quæ dico perinde probare nec illam in doctrina fidei impuritatem, quam Nou-Auguſtiniani delirant, contingere poſſe.

5. Et hæc eſt ſecunda probatio, collecta ex interpretatione, quam dat Auguſtinus Scripturæ teſtimoniis de Eccleſiæ firmitate, cujus quanta ſit vis intelligetur facilè ex ipſis Auguſtini verbis.

6. Occurrit ergo primò quod dicit in Epiſtola ad Vincentium, vbi ſponſum Chriſtum Eccleſiæ ſponſæ dicenti, *Indica mihi vbi paſcas, vbi cubes in meridie*, reſpondentem repræſentat. *Ipſa eſt cui continuò reſpondetur, niſi cognoueris temetipſam, ô pulchra inter mulieres, exi tu in veſtigiis gregum, & paſce hædos tuos in tabernaculis paſtorum. O reſponſio dulciſſimi Sponſi! Niſi cogno-* Epiſt. 48.

F

ueris temetipſam, inquit, *quia vtique non poteſt ciuitas abſcondi ſupra montem conſtituta: & ideo non es operta vt incurras in greges ſodalium tuorum. Ego enim ſum mons paratus in cacumine montium, ad quem venient vniuerſæ gentes: Niſi ergo cognoueris temetipſam, non in verbis calumnioſorum, ſed in teſtimoniis libro ... meorum: Niſi cognoueris temetipſam, quia de te dictum eſt: porrige longiùs funiculos, & palos validos; confirma etiam atque etiam in dextram atque ſiniſtram extende. Semen enim tuum hæreditabit gentes & ciuitates quæ deſertæ erant inhabitabis. Non eſt quod metuas, præualebis enim; nec erubeſcas quod deteſtabilis fueris*, &c. Vbi vides velle Auguſtinum vt Eccleſia ſe intelligat in illis teſtimoniis ſcripturæ, quæ perpetuitatem aſſerunt, vt cùm dicitur ciuitas ſupra montem, qui Chriſtus eſt, poſita, & abſcondi non poteſt: & in illis quibus promittitur omnium gentium poſſeſſio, quod nec tempore Auguſtini impletum erat, necdum etiam impletum eſt: & in illis quibus promittitur illi victoria de inimicis, *non metuas, præualebis enim.* quod eſſe verum nequit, ſi aliquando corrumpatur. Et ideo paulò pòſt dicit Auguſtinus: *Ac ſic Eccleſia quæ per omnes gentes creſcit in frumentis Dominicis, conſeruata eſt*, ET VSQVE IN FINEM DONEC OMNINO GENTES OMNES ETIAM BARBARAS TENEAT, CONSERVABITVR. Et hoc ipſum Iſaias promittit illo ipſo loco, quem Auguſtinus interpretatur de Eccleſia, ſubjungit enim poſt citata verba:

Iſa. cap. 54. *In momento indignationis abſcondi faciem meam parumper à te, & in miſericordia ſempiterna miſertus ſum tui... ſicut in diebus Noë iſtud mihi eſt, cui juraui ne inducerem aquas Noë vltra ſuper terram, ſic juraui vt non iraſcar tibi, & non increpem te. Montes enim commouebuntur & colles contremiſcent, miſericordia autem mea non recedet à te, & fœdus pacis meæ non mouebitur.* In illis verbis vult Auguſtinus vt Eccleſia, quæ peregrinatur & hîc militat, & de qua diſputat contra Donatiſtas, contra quos hanc Epiſtolam ſcribit, intelligat ipſa ſe. Vult ergo vt intelligat ſe perpetuam.

7. Dicere aliquis poſſet velle quidem Auguſtinum vt Eccleſia ſe perpetuam intelligat, ſed non perpetuò infallibilem. Sed ridicula eſt cauillatio. hoc enim ille vult eſſe perpetuum in Eccleſia, quòd Donatiſtæ negabant, & quòd tum ipſi, tum aliis hæreticis conuincendis neceſſarium eſt. Atqui

Donatiſtæ quando dicebant Eccleſiam periiſſe, non negabant eſſe formam ejus aliquam externam, & aliquam diuini verbi prædicationem, & aliquam Sacramentorum adminiſtrationem, & vniuerſale quoddam caput ſummum Pontificem, & paſtores alios illi adhærentes. Negabant ergo tantùm infallibilitatem & doctrinæ puritatem. Corruptam enim eſſe volebant in vno aut altero puncto, quod ſpectabat ad valorem baptiſmi ab hæreticis collati, & ad communionem cum improbis, quam nolebant admittere : & Eccleſiam illis periiſſe non erat aliud quàm in hoc erraſſe, itáque amiſſa infallibilitate authoritatem quoque perdidiſſe. Auguſtinus ergo dum ex ſcriptura probat ejus perſeuerantiam, nihil facit, niſi probet perſeuerantiam in recta fide, & in authoritate illa, quam fundat rectæ fidei infallibilitas. hæc autem Auguſtinus apertè ſignificat, quando vult Eccleſiam in illis verbis *non poteſt ciuitas abſcondi ſupra montem poſita* ità ſeipſam intelligere, *vt non ſit operta, vt incurrat in greges ſodalium*, qui ſodales ſunt hæretici. vult ergo non poſſe incurrere in errorem, & fieri talem, quales ſunt illorum Eccleſiæ, quæ non aliter differunt à Catholica, quàm quia illæ corruptæ ſunt in doctrina fidei, & hæc virgo manet.

8. Item hoc ſignificat Auguſtinus dum contendit ſtare perpetuitatem hanc, etiam tum cùm videntur hæreſes præualere, quale fuit tempus illud Arianorum, de quo loquitur Hilarius quem laudat. Inuictam enim tunc quoque perſtitiſſe vult Eccleſiam : nec inuictam modò, ſed etiam *eminentem in ſuis firmiſſimis*. Interrogo autem quis tunc fuerit eorum caſus, qui non perſtiterunt ? Nempe, quia fauere Arianis viſi ſunt. Quæ autem *firmitas eminentium* aliorum ? Nempe quia non permiſerunt afflari ſe illa, communis erroris aura. Ergo ille caſus, à quo vult Auguſtinus vt Eccleſia ſe ipſa intelligat ſecuram, eſt caſus in errore : & illa firmitas quæ perpetuam facit, non eſt aliud quàm ab errore ſecuritas.

9. Confirmatur. Quia inſana eſſet cogitatio, ſi quis illas Dei promiſſiones de futura Eccleſiæ legis nouæ felicitate ita intelligeret, vt eſſet quidem futura perpetua, ſed non habitura perpetuam authoritatem. Amiſſuram enim illam, amiſſâ doctrinæ puritate. Atqui perdere dignitatem, & authorita-

tem idem eſt. Quis autem ſit adeò demens, vt ſtare contendat illius fortunas, qui dignitatem & authoritatem perdit? Et quo modo verum eſſet quod per Iſaiam Eccleſiæ promiſſum Auguſtinus aſſerit, nullum ampliùs fore periculum erubeſcendi? Non erubeſceret irriſa & ſine honore, quæ perdidiſſet dignitatem? Quo modo autem retineret doctrinã fidei corruptâ? Quis putaret ampliùs incumbere ſibi obligationem illi adhærendi? Quis fidem erranti committeret, ſi tutam vellet ab errore? Et Auguſtinus quid conſequeretur, dum tanto niſu contendit Eccleſiam præſtare? Intendit enim illâ vt aliàs loquitur *fundatiſſima authoritate* cogere hæreticos ad parendum Eccleſiæ, eique adhærendum. fac ergo non eſſe authoritatem, quòd nec ſecuritas ſit in Eccleſiæ doctrina, poſtquam errare ſupponitur, poterit Auguſtinus exigere, vt teneri ſe credant hæretici ad conſentiendum illi, quæ fallitur? Sit Eccleſia, dicet Donatiſta, dicet Arianus, ſed mendax, præcipere poteſt, vt errantem ſequar, vt credam mentienti? Eſt ergo manifeſtiſſimum, Auguſtinum aut probare prorſus nihil, aut probare perpetuitatem illam, quæ promittitur Eccleſiæ, eſſe perpetuitatem authoritatis & dignitatis, & juris ad exigendam à Chriſtianis obedientiam, & adhæſionem fidei: ac proinde eſſe perpetuitatem infallibilitatis, & integritatis in fide, atque doctrina.

10. Occurrit ſecundò quod eſt in Epiſtola quæ nomine Fortunati, Alipij, & Auguſtini ſcribitur ad Generoſum, vbi anathema dicit euangelizanti aliter quàm euangelizatum eſt à Chriſto Domino, quando dixit *annuntiandum Euangelium omnibus, & tunc finis erit.* Quibus verbis prædictam putat Eccleſiam perſeueraturam vſque ad finem mundi. Et quia Donatiſtæ ſuorum Epiſcoporum ſeriem, ac ſucceſſionem jactabant, vt aliquam inde authoritatem conciliarent ſuo ſchiſmati: Subdit Auguſtinus: *Si enim ordo Epiſcoporum ſibi ſuccedentium conſiderandus eſt; quanto* CERTIVS ET VERE SALVBRITER *ab ipſo Petro numeramus, cui totius Eccleſiæ figuram gerenti Dominus ait, Super hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferorum non vincent eam. Petro enim ſucceſſit Linus*, & ſubjicit Romanorum Epiſcoporum ſeriem vſque ad Anaſtaſium, qui tunc viuebat, quando hæc ſcribebat Auguſtinus. Quibus tandem hæc addit:

In illum ordinem Epiſcoporum, qui ducitur ab ipſo Petro vſque ad Anaſtaſium qui nunc eandem cathedram ſedet, etiam ſi quiſquam traditor per illa tempora ſubrepſiſſet, nihil præjudicaret Eccleſiæ, & innocentibus Chriſtianis, quibus Dominus prouidens ait de præpoſitis malis, quæ dicunt facite, quæ autem faciunt facere nolite. dicunt enim & non faciunt. VT CERTA SIT SPES FIDELIBVS, QVÆ NON IN HOMINE, SED IN DOMINO COLLOCATA NVNQVAM TEMPESTATE SACRILEGI SCHISMATIS DISSIPETVR, *ſicut iſti diſsipati ſunt.* Vbi vides primò Auguſtinum Eccleſiam Catholicam Eccleſiæ Donatiſtarum, & cuicumque aliæ præferre eo nomine, quòd fundata ſit ſupra petram, & quòd portæ inferi non ſint præualituræ contra eam, ex Chriſti promiſſione. Eſſet autem falſa promiſſio, ſi potuiſſet Eccleſia illa, ſicut & aliæ, poſt aliquot ſæcula, & veram fidem perdere: & quod inde ſequitur, auctoritatem ad perſuadendum neceſſariam: & jus obligandi Chriſtianorum conſcientiam ad adhærendum ſibi, illa igitur omnia etiamnum perſeuerant. Vides ſecundò, Auguſtinum proponere ſucceſſionem Epiſcoporum in Eccleſia ſic fundata, velut *certum* & *ſalubre* argumentum ad perſuadendam vnionem cum tali Eccleſia, hoc eſt, conſenſionem fidei, & voluntatis obedientiam. Sed perſtat hodieque illa ſucceſſio: & quàm facilè numerabat Auguſtinus Romanos omnes Epiſcopos à Petro ad Anaſtaſium, tam facilè ipſi numerare poſſumus ab Anaſtaſio ad Innocentium: nec hujuſce rei controuerſiam faciunt vel ipſi hæretici. Ergo perinde valet argumentum hodie, vt valebat ætate Auguſtini. Vides tertiò ex Auguſtino nihil obfuturum, ſi aliquis fortè in illam Pontificum ſeriem irreperet officij proditor, eo quòd morum corruptio non impediat doctrinæ puritatem. Hoc enim ſignificant illa verba, *Quæ dicunt facite, quæ autem faciunt facere nolite*: non valet igitur argumentum à moribus ad doctrinam. Vides quartò, quam afferat rationem, cur *certa ſit ſpes* eorum, qui fidem habent etiam malè viuentibus Pontificibus, *quia* inquit, *non in homine, ſed in Domino collocata, nunquam tempeſtate ſacrilegi ſchiſmatis diſſipatur.* Promiſſio igitur Dei eſt, quæ facit vt nulla tempeſtate fallatur eorum ſpes, qui ſe tutò putant Eccleſiæ conſentire. Vides quintò, quomodo non in Africanis Eccleſiis, quarum vnam Augu-

ſtinus regebat, non in Aſiaticis, non in Orientalibus aut Græcis, ſed in Romana, in qua erat ſucceſſio Epiſcoporum à Petro ad Anaſtaſium, auctoritatem illam, & ſtabilitatem in diuina promiſſione, ac protectione ſpeciali fundatam agnoſcat. Iſta igitur eſt, quæ juxta doctrinam Auguſtini perſeueratura eſt donec *ſit finis*, vel, vt dicit etiam paulo pòſt, vſque ad *tempus meſſis*, quod eſt tempus vltimi iudicii. Illa eſt, in qua reperitur ſucceſſio, quam *certò & ſalubriter* attendere debemus, vt cognoſcamus Eccleſiam quam debemus ſequi. Illa, contra quam portæ inferi non præualent. Illa, quam nunquam tempeſtates diſſipabunt. Illa, cujus doctrina, non caſu aliquo, & fortè fortuna, ſed immobili Dei promiſſione talis eſt, vt qui ei adhærent, fidelitate Dei, atque infallibilitate, non hominum fide, ſint ſecuri. Quæ omnia manifeſtè conuincunt, vel non eſſe credendum Eccleſiæ temporis Auguſtini: vel perinde credendum eſſe Eccleſiæ temporis Innocentii decimi.

11. Eadem mens eſt, eadémque Auguſtini ſententia in Pſalmo contra partem Donati, dum dicit: *Numerate ſacerdotes vel ab ipſa Petri ſede, & in ordine illo Patrum quis cui ſucceſſit videte. Ipſa eſt petra, quam non vincunt ſuperbæ inferorum portæ.* Quibus verbis talis quædam Auguſtini argumentatio continetur, eſſe quandam Eccleſiam, contra quam inferi portæ præualere non poſſint, ex Chriſti promiſſione, & conſequenter, à qua nec Donatiſtæ, nec alii vlli hæretici poſſint meritò recedere, quaſi verò non ſit ampliùs tutum illi conſentire: Ejuſmodi Eccleſiam aliam eſſe non poſſe, qnàm illam quam repræſentat is cui facta eſt promiſſio illa Chriſti, & qui veluti nomine Eccleſiæ promiſſionem illam acceptauit, & is Petrus fuit: A Petro non potuiſſe aliam Eccleſiam repræſentari, quàm illam, ad quam ipſe pertineret tanquam primus ejus Epiſcopus, & fundamentum Chriſto ſubnixum: Nullam Eccleſiam ſupereſſe, ad quam Petrus ea ratione pertinuerit, aut eſſe illam, in qua eſt ejus ſedes continua Epiſcoporum ſucceſſione conſeruata: Sedem illam, & ſucceſſionem in Eccleſia Romana tantùm reperiri: Ergo Romanam tantùm Eccleſiam illam eſſe, cui facta eſt perpetuitatis illa promiſſio: cæteris autem eatenus tantùm quatenus

& quandiu per adhæſionem titulum illum participant quòd ſint Romanæ : Donatiſtas ergo , & pari ratione alios quoſcumque hæreticos Eccleſiam Romanam reſpicere debere tanquam illam , quæ numquam deficit , vi promiſſionis Chriſti ; & quæ proinde ptiuilegio illo perpetuitatis jus ſemper habet adhæſionem exigendi ab omnibus qui cadere nolunt.

12. Occurrit tertiò, quod docet Auguſtinus toto libro de vnitate Eccleſiæ, contra Epiſtolam Petiliani , ex quo perſpicuè colliguntur hæc quatuor. Primum eſt , Eccleſiam à Spiritu ſancto in ſacris paginis tum noui , tum veteris Teſtamenti promiſſam , eſſe Eccleſiam ex conuerſione gentium omnium congregatam , ac proinde toto orbe diſperſam , contra ſtultam Donatiſtarum cogitationem , qui putabant Eccleſiam nuſquam eſſe , niſi in angulo quodam Africæ , atque in parte Donati. Secundum eſt , hujuſmodi Eccleſiam duraturam vſque ad finem ſæculorum , quod erit tempus meſſis , & ſeparationis frumenti & zizaniorum , & bonorum malorúmque piſcium , qui miſcentur hoc tempore in ejus ſagena. Hoc autem dicit , vt refellat Donatiſtarum reſponſionem, qui dicebant fuiſſe quidem Eccleſiam ex vocatione gentium congregatam , ſed jam petiiſſe. *Credimus* , aiebant, *iſta , & completa eſſe fatemur , ſed poſteà orbis terrarum apoſtatauit & ſola remanſit Donati communio.* Auguſtinus è contrario adeò clara eſſe dicit ſcripturæ teſtimonia quæ perſeueraturam Eccleſiam dicunt , *vt interpretatione non egeant.* Tertium eſt , Eccleſiam hanc ita duraturam vſque ad finem , eſſe illam *amicam* , illam *ſponſam* , *lilium illud* inter ſpinas , cujus fit mentio in Cantico canticorum : Eſſe Hieruſalem illam , de qua Iſaias propheta , *Lætare ſterilis , quæ non paris* , & quæ vocatur *voluntas mea in ea* , &c. Quæ non poſſunt conuenire niſi Eccleſiæ infallibilis fidei. Nam vt omittam amorem illum & voluntatem Dei , vix eſſe poſſe in Eccleſia errante ; certè intelligi non poteſt quo modo Synagoga ideo repudianda fuerit vt Eccleſiam perinde infidelem Chriſtus aſſumeret : nec ſatis prouidè diſpenſatus fuiſſet Chriſti ſanguis , vt compararet ſibi talem ſponſam. Lilium verò inter ſpinas quo modo diceretur ; aut quo modo à ſpinis diſtingueretur ; cùm

Cap. 13.

Cap. 19.

per illas deſignentur errantes Eccleſiæ, & conuenticula hæreticorum ex Auguſtino ? Sed ne videatur infallibilitas illa per quandam tantùm deductionem eruta ex verbis Auguſtini. Quartum quod docet eſt, Illi Eccleſiæ credendum eſſe eadem neceſſitate, quâ credendum eſt diuino teſtimonio. Cùm enim ſupponerent Donatiſtæ nullum eſſe modum ſatis idoneum, quo poſſent ipſi recipi in eam Eccleſiam, quam Auguſtinus contendebat eſſe veram, videbantur enim ſibi rebaptizandi, & interrogarent, *Quomodo me ſuſcipis ? Ciò reſpondeo*, inquit Auguſtinus, *ſicut ſuſcipit Eccleſia, cui Chriſtus*
Cap. 21. *perhibet teſtimonium.* & deinde, *Quo modo ergo ſuſcipit iſta Eccleſia per omnes gentes incipientibus ab Hieruſalem, remotis omnibus ambag.bus & tergiuerſationibus, ſic ſuſcip:endus es. Quod ſi non vis, non mihi aut cuiquam hominum qui vult ita ſuſcipere, ſed ipſi Saluatori contra ſalutem tuam perniciosiſſimè reluctaris, cui te ſic ſuſcipiendum eſſe non vis credere, quemadmodum ſuſcepit illa Eccleſia quam teſtimonio ſuo commendat ille, cui fateris nefarium eſſe non credere.* Vbi vides quò tendat tota illa contentio Auguſtini cum Donatiſtis pro Eccleſia & vniuerſali & perpetua. Nempe vt ad manum habeamus, quo cætera deinde dubia ſine ambagibus & tergiuerſatione reſoluamus. Interrogandam enim tantùm Eccleſiam, ejúſque reſponſis aſſentiendum, niſi ab ipſo Chriſto à quo illa commendatur, velimus diſſentire. Atque ita euidenter ſupponit Auguſtinus, illam Chriſti commendationem, eſſe commendationem Eccleſiæ cui ſit credendum. Et quia putare aliquid falſum ab Eccleſia proponi, eſt illi non credere, conſequenter cenſet eadem commendatione vetari, ne quis putet falſum aliquid poſſe ab Eccleſia proponi: hoc autem putare nefarium eſſe, quando nefarium eſt non credere Deo id vetanti. Quòd ſi verum eſt de Eccleſia vſque ad finem duratura; verum eſt de Eccleſia præſentis temporis. Et quia aliis in locis ſæpiùs anathema dixit contradicentibus Nou-Auguſtinianis, qui putant aliunde petendas eſſe Catholicas veritates, quàm ab Eccleſia præſentis temporis, quòd ea ſit alterata, cogitandum erit quem alium ſint adituri, vt ſoluantur anathemate quo eos compediuit, quem ſuum eſſe mentiuntur Auguſtinus.

13. Occurrit quartò, quod eſt in commentario Pſalmi 70. vbi quod dicitur, *Deus docuiſti me à iuuentute mea, & vſque nunc pronuntiabo mirabilia tua, & vſque in ſenectam, & ſenium,* dicit eſſe vocem Eccleſiæ; cujus iuuentus fuit. *Quando venit Chriſtus, mortuus eſt, crucifixus eſt, ſurrexit, vocauit gentes, cœperunt conuerti, facti ſunt martyres fortes in Chriſto, fuſus eſt ſanguis fidelis, ſurrexit ſeges Eccleſiæ: progredientibus autem temporibus confiteatur Eccleſia, dicat, vſque nunc pronuntiabo mirabilia tua. Quid poſtea? Et vſque ad ſenectam & ſenium annuntiabo mirabilia tua: vſque ad finem ſæculi erit hîc Eccleſia. Si enim non hîc futura eſt vſque in finem ſæculi, quibus Dominus dixit, Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus, vſque in conſummationem ſæculi?* & deinde, *Sed cùm iſta dicunt, & ſine fine moriuntur, & permanet Eccleſia prædicans brachium Domini generationi omni ſuperuenturæ.* Vbi vides clarè perſeuerantem vſque ad finem ſæculorum Eccleſiam. Quam verò Eccleſiam? Illam ipſam, quæ fuit Apoſtolorum, & Martyrum tempore: Illam quam Deus docuit à iuuentute: Illam quæ Dei mirabilia ſemper pronuntiat: Illam quæ prædicat brachium Domini omni generationi: Illam cui Deus ſe adfuturum promiſit omnibus diebus vſque ad conſummationem ſæculi. Et quia hoc continetur in Pſalmo, quem Auguſtinus de Eccleſia interpretatur: Illam quæ Dei juſtitiam & potentiam cantat: quæ veritatem confitetur: cujus lingua tota die juſtitiam meditatur, &c. hæccine conuenire poſſunt erranti Eccleſiæ? Illi ſemper Deus adeſt, cujus fidem corrumpi ſinit? Illa brachium Domini prædicat & juſtitiam, & potentiam, & veritatem, quæ mendacia ſpargit? Illa ejus mirabilia annuntiat? Illa fuit ab eo edocta, quæ aberrat à veritate, & reſpondet virilis ætas, quæ falſas admittit opiniones, illi juuentuti, quæ tantùm ſanguinis fudit, vt profeſſionem veritatis conſeruaret? Nulli ergo dubium eſſe poteſt, quin Auguſtinus vniformem ſtatum Eccleſiæ vſque ad finem perſeueraturæ intellexerit: nec putauerit tam vniformem illius commendationem quadrare in Eccleſiam quandam monſtroſam & chimæricam, vtpote media ſui parte veracem, altera media fallacem. Perſtat ergo etiamnum Eccleſia verax, & diuinâ promiſſione ſic perſtat: ac proinde perſtat infallibilis. verſ. 17. 18.

14. Adde quintò quod dicitur in commentario Pſalmi 77. *Quis fidelium dubitet Eccleſiam, etiamſi aliis abeuntibus, aliis venientibus ex hac vita mortaliter tranſit, tamen in æternum eſſe fundatam?* Quod iterùm inculcatur in commentario Pſalmi 85. vbi etiam additur, Vnam dici Eccleſiam, & vnam fidelium gentem, quia eſt omnium *vna fides, vna ſpes, & vna caritas, vna expectatio.* Vnde manifeſtè ſequitur, Eccleſiam illam quam dicit in æternum fundatam, ita fundatam eſſe debere, vt eandem fidem retineat. Si enim mutaretur fides, mutaretur vnitas, eſſéntque duæ, non vna Eccleſia, rectè ſentiens, & errans: nec poſſet vlla dici in æternum fundata. non enim illa, cujus amiſſa jam eſſet veritas, & veracitas: & multò minùs, illa, quæ mendacium foueret.

15. Adde ſextò, quod eſt in commentario Pſalmi 101. vbi refertur calumnia hæreticorum qui dicunt, *Iam hoc factum eſt, Reſpondit ei in omnibus gentibus Eccleſia, pariens filios plures, quàm illa, quæ habebat virum.... Sed illa Eccleſia, quæ fuit omnium gentium jam non eſt, periit.* Quibus ita reſpondet Auguſtinus, *Hoc dicunt qui in illa non ſunt, ô impudentem vocem! Illa non eſt, quia tu in illa non es? vide ne tu ideo non ſis: nam illa erit, etſi tu non ſis. Hanc vocem abominabilem, & deteſtabilem, præſumptionis, & falſitatis plenam, nulla veritate ſuffultam, nulla ſapientia illuminatam, nullo ſale conditam, vanam, temerariam, præcipitem, perniciosſam præuidit Spiritus Dei, & tanquam contra illos cùm annuntiaret vnitatem: in conueniendo populos in vnum, & regna vt ſeruiant Domino; cúmque ſubdidiſſet, reſpondit ei, vtique laus ejus, vtique Hieruſalem mater noſtra de peregrinatione reuocanda, fœtoſa cum multis filiis magis, quàm ea quæ habet virum. Quoniam quidam dicturi erant contrà, fuit & non eſt: Exiguitatem, inquit, dierum meorum nuncia mihi. Quid eſt, quòd neſcio qui recedentes à me, murmurant contra me? Quid eſt, quòd perditi me periiſſe contendunt? Certè enim hoc dicunt, quia fui, & non ſum: annuncia mihi exiguitatem dierum meorum....... propter illos qui dicunt, impletæ ſunt ſcripturæ, crediderunt omnes gentes, ſed apoſtatauit & periit Eccleſia de omnibus gentibus.* Atque his in hunc modum propoſitis, Eccleſiæ quærenti quantitatem ætatis ſuæ in hoc mundo, Chriſtum inducit reſpondentem: *Ecce ego vobiſcum ſum vſque ad conſummationem ſæculi.* Et hanc

eſſe dicit *exiguitatem dierum* Eccleſiæ, *Quia exiguum eſt omne quod finitur*, *vt jam in æternitatem ab iſta exiguitate tranſeatur.* Et quaſi proprium hoc eſſet hæreticorum maledictum, dicit poſteà, *Pereant hæretici*, *Non ſibi blandiantur hæretici*, *Non ſe extollant hæretici.*

Amabo, quid dicebant hæretici? *Periit Eccleſia.* Et quid intelligebant quando dicebant, periit Eccleſia? An putabant factam eſſe inuiſibilem: nec vllam ampliùs illius ſpeciem ſupereſſe? Minimè verò. Eccleſiam illis periiſſe non aliud erat, quàm *apoſtataſſe*, vt conſtat ex hoc loco. Apoſtatare verò quid eſt aliud, quàm deſerere rectam fidem? & quo alio ſenſu apoſtatare dicuntur Eccleſiæ, quæ ſeparantur & fiunt hæreticæ, quàm quia fidem perdunt: neque hoc in omnibus articulis, ſed vel in vno? Sed quia conſtans erat communiſque tum hæreticorum, tum Catholicorum ſuppoſitio, non eſſe ampliùs Eccleſiam Chriſti, quæ aberraſſet ab ejus veritate; ideò Donatiſtæ, qui rebantur id contigiſſe Eccleſiæ toto orbe diſperſæ, dicebant periiſſe, hoc eſt, deſiiſſe eſſe Chriſti ſponſam, quæ ſimul etiam virgo eſſe debet, & integræ fidei. Auguſtinus verò quid reponit? Negat id poſſe contingere, ſuppoſita diuina promiſſione, qua dixit Chriſtus, *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus vſque ad conſummationem ſæculi.* Negat, inquam, Eccleſiam, cui hoc eſt promiſſum, *apoſtatare* poſſe. Et contendit Eccleſiam, cui promiſſa eſt illa perennitas, eſſe Hieruſalem illam dilectam, quæ dicitur *laus Dei*; Hieruſalem, quæ eſt *mater fœtoſa multorum filiorum*, habétque ideo maternum jus obſequium ab illis, & adhæſionem exigendi; Hieruſalem, in qua gentes omnes, & regna *in vnum conueniunt*, quod intelligi non poteſt, niſi ratione vnitatis fidei. Quomodo *laus Dei* eſſe poteſt Eccleſia errans? Qualis mater, quæ filios gignit infideles? & quod jus habere poteſt vt ſe filii ſequantur in errores ducendi? Quænam etiam fidei vnitas, dum nunc fallitur & fallit, nunc recta ſentit & docet? Nihil ergo tale Auguſtinus putauit Eccleſiæ poſſe contingere.

16. Et notandum eſt, quòd cùm Donatiſtæ dicerent parti ſuæ contingere fructum diuinæ illiùs promiſſionis: & dictum eſſe, *vobiſcum ſum vſque ad conſummationem ſæculi*, *Quia*

illos præuidebat, Quia pars Donati erat in terra; Auguſtinus vrget hoc promitti *Eccleſiæ, in qua conueniunt in vnum populi, & reges, vt ſeruiant Domino.* Quaſi diceret, non quocumque modo promitti Eccleſiæ, quæ aliquando fuit vniuerſalis, ipſam fore perpetuam, ſed illi promitti perpetuam fore ipſius vniuerſalitatem: & fore vt vſque ad finem ſæculi gentium varietatem in vnum colligat. Quod ipſum eadem prorſus ratione locum habet in fidei, atque doctrinæ integritate, ita vt promittatur perpetuum fore quòd ſit *laus Dei*, quòd ſit *fidelium mater*, quòd populos omnes conjungat *in vnitatem fidei*, quòd habeat poteſtatem, quæ neceſſaria eſt ad conſeruandam illam vnitatem, & conſequenter jus imperandi fidem & conſenſionem: quod Eccleſiæ mentienti competere non poteſt. Perpetuum ergo in Eccleſia fore Auguſtinus credidit, hoc quod eſt, eſſe veram, veracem & veridicam. Plurimum verò refert, Nou-Auguſtinianos aduertere quid Auguſtinus dicat contradicentibus, *Impudentem eſſe vocem, abominabilem, deteſtabilem, præſumptionis, & falſitatis plenam, nulla ſapientia illuminatam, nullo ſale conditam, vanam, temerariam, præcipitem, pernicioſam.* Nam quia delicati ſunt ſenſus, & impatientis ad increpationes animi, ſcire illos expedit, ſi malè ſentire, ac loqui pergant de Eccleſia præſentis temporis, impudentiam abominatione dignam & deteſtatione, præſumptionem, mendacia, inſipientiam, fatuitatem, vanitatem, & alia id generis maledicta, quæ meritò de illis prædicari poterunt, fuiſſe priùs ab Auguſtino non ampliùs ſuo conſecrata.

17. Adde ſeptimò, quod in commentario Pſalmi 47. vbi poſtquàm dixit Eccleſiam eſſe montem illum, & ciuitatem, in qua *Magnus Dominus & laudabilis nimis*, ſeu eſſe ciuitatem ſupra montem poſitam, quæ abſcondi non poteſt, & lucernam, quæ ſub modio non occultatur: & poſtquàm monuit, *vt fundamentum noſtrum ibi ſit; debere nos ibi* STABILIRI, ET NON PERFLARI OMNI VENTO DOCTRINÆ. *Extra illam qui eſt nec audire, nec videre: in illa qui eſt, nec ſurdum eſſe, nec cæcum.* ſubdit poſteà, *Non inſultent hæretici per partes conciſi: non ſe extollant qui dicunt, Ecce hîc eſt Chriſtus, ecce illic. Qui dicit, Ecce hic eſt, ecce illic, ad partes inducit, vnitatem promiſit Deus. Reges in vnum collecti ſunt, non per ſchiſmata diſſipati. Sed fortè iſta*

ciuitas, quæ mundum tenuit, aliquando euertetur. Abſit. Deus fundauit eam in æternum. Quid times, ne cadat firmamentum? Ecce perpetuitatem Eccleſiæ: & illius Eccleſiæ, in qua nos oportet *ſtabiliri, & ſtatuere doctrinæ fundamentum*, ne circumferamur omni vento: Eccleſiæ, cui adhærendo, nec cæci, nec ſurdi ad veritatem eſſe poſſumus: Eccleſiæ, cui contradicendo nec audiri verum poteſt, nec videri: Eccleſiæ ab hæreticorum conuentibus diſtinctæ, hoc eſt, ab Eccleſiis, quæ labuntur in errorem: Eccleſiæ demùm in qua eſt vnitas fidei gentium omnium. O Nou-Auguſtiniani, hæccine Eccleſia falli poteſt? Si poteſt, ſupponamus factum quod eſt poſſibile. Iam quomodo poterimus in tali Eccleſia ſtatuere fundamentum fidei noſtræ, in eâque ſtabiliri? Quomodo veritatem audiet aut videbit, qui erranti credet? Quomodo ad illam cæcus erit, aut ſurdus, qui contradicet? Vbi erit vnitas in illa errantium & non errantium differentia? Et quomodo ab hæreticis diſtinguetur quæ ſimiliter errabit? Fatemini ergo perpetuam eſſe apud Auguſtinum incorruptæ atque intemeratæ fidei Eccleſiam, atque adeò Eccleſiam vi diuinæ promiſſionis infallibilem, & quia illa perpetua eſt, infallibilem eſſe præſentis temporis Eccleſiam, eſſéque non ridiculos modò, ſed tanquam de matris ſuæ integritate malè ſuſpicaces ad tribunal ſancti Auguſtini plectendos, qui neceſſe putant regredi ad tempora Baſilij, vt *ſtabiliantur* & *fundamentum* inueniant Catholicarum veritatum.

18. Octauò idem eodémque ſenſu docet Auguſtinus in commentario Pſalmi 61. *Hîc tamen fratres, quia non modico tempore futura erat Eccleſia in hac terra, ſed hîc erit Eccleſia vſque in finem ſæculi; ideo hîc dixit, inquilinus ero in tabernaculo tuo vſque in ſæcula. Non vincetur Eccleſia, non eradicabitur, non cedet quibuſlibet tentationibus, donec veniat hujus ſæculi finis.* & deinde, *Bene, paucorum dierum velles eſſe tentationes, ſed quomodo colligeret natos omnes niſi diu hîc eſſet; niſi vſque in finem protenderetur. Noli inuidere cæteris poſt futuris. Noli quia jam tranſiſti, pontem miſericordiæ velle præcidere. Sit hîc vſque in ſæcula. Et quid de tentationibus quæ neceſſe eſt vt abundent, quanto magis veniunt ſcandala? Sed illa Eccleſia quæ clamat à finibus terræ, in his eſt de quibus ſequitur dicens, Qui perſeuerauerit vſque in finem hic ſaluus erit.*

Vires autem ad perſeuerandum trahendas dicit ex eo quod ſubjungit Propheta, *Cooperiar in velamento alarum tuarum*. Vides vt hîc quoque Auguſtinus ex certitudine diuinæ protectionis colligit Eccleſiam nec vincendam, nec ceſſuram vnquam tentationibus aut ſcandalis. Iam autem ceſſiſſet & victa eſſet, ſi conuinci poſſet alicujus erroris. De qua enim re potiſſimùm certatur? nonne de doctrina? In hoc autem certaminum genere quis vincitur, quiſve cedit, niſi ille qui erraſſe conuincitur? Nulla igitur talis conuictio cadere in Eccleſiam poteſt, nec conſequenter vlla talis accuſatio.

19. Nonò, idem quoque in commentario Pſalmi 148. vbi dicit Eccleſiam Sanctorum vſque ad tempus meſſis perſeueraturam, hoc eſt, vſque ad finem ſæculi. Et addit, *Ergo Eccleſia Sanctorum Eccleſia Catholica eſt. Eccleſia Sanctorum non eſt Eccleſia hæreticorum. Eccleſia Sanctorum illa eſt, quam præſignauit Deus antequam videretur, & exhibuit vt videretur. Eccleſia Sanctorum erat anteà in codicibus, modò in gentibus. Eccleſia ſanctorum anteà tantummodò legebatur, nunc, & legitur, & videtur. Quando ſolùm legebatur, & colebatur: modò videtur, & contradicitur.* Vix eſt vt Nou-Auguſtiniani cunctentur accipere Catholicas veritates *ab Eccleſia Sanctorum:* aut vt ſperent ſe illas aliunde tutiùs accepturos quàm ab illa. Atqui Eccleſia Sanctorum futura eſt vſque ad finem ſæculi: & nunquam eſt futura Eccleſia hæreticorum, hoc eſt, errantium. Poſſunt igitur ſemper accipi Catholicæ veritates ab Eccleſia Sanctorum, & conſequenter etiam hoc tempore: ſeu ab Eccleſia hujus temporis, poſtquàm hujus temporis Eccleſia eſt Eccleſia Sanctorum, & non eſt Eccleſia hæreticorum.

20. Decimò, idem & in tractatu 124. in Ioannem, vbi dicit quando Petro dictum eſt, *Tibi dabo claues regni cælorum*, ſignificaſſe illum *Eccleſiam quæ in hoc ſæculo diuerſis tentationibus, velut imbribus, fluminibus, tempeſtatibus quatitur, & non cadit, quoniam fundata eſt ſuper petram, vnde Petrus nomen accepit.* vel vnica, vel præcipua eſt Eccleſiæ illa tentatio, qua conatur inimicus auulſam à veritate in errorem impellere. Sed vides vt Auguſtinus nequaquàm putat poſſe ſuccumbere. Poſſet autem, ſi poſſet errare vel præſentis vel alterius cujuſcumque temporis Eccleſia.

21. Vndecimò, idem in libro primo de Symbolo ad Catechumenos, cùm dicit, *Demonſtratus Deus, & templum ipſius. Templum enim Dei ſanctum eſt, ait Apoſtolus, quod eſtis vos. Ipſa eſt Eccleſia ſancta, Eccleſia vna, Eccleſia vera, Eccleſia Catholica, contra omnes hæreſes pugnans. Pugnare poteſt, expugnari tamen non poteſt. Hæreſes omnes de illa exierunt tanquam ſarmenta inutilia de vite præciſa. Ipſa autem manet in radice ſua, in vite ſua, in caritate ſua. Portæ inferi non præualebunt aduerſus eam.* Cap. 6.

22. Adde quod repetit libro quarto, *Propterea hujus concluſio ſacramenti per ſanctam Eccleſiam terminatur, quoniam ſi quis abſque ea inuentus fuerit, alienus erit à numero filiorum..... Eccleſia mater eſt ſpiritalis. Eccleſia ſponſa Chriſti eſt, gratia ejus dealbata, pretioſo ſanguine dotata. Totum poſſidet quod à viro ſuo accepit in dote. Lego tabulas matrimoniales ejus, recitabo. Audite hæretici quid ſcriptum ſit.* Oportebat pati Chriſtum, *&c. Omnes gentes totus mundus eſt. Eccleſia totum poſſidet quod à viro ſuo accepit in dote. Quæcumque congregatio cujuſlibet hæreſis, in angulis ſedet: concubina eſt, non matrona. O hæreſis Arriana, quid inſultas? quid exſufflas? quid etiam ad tempus multa vſurpas? Injuriam à te patitur Domina ab ancilla, multas ei ingeris contumelias. Licèt hæc doleat, non te magna metuit ſponſa Chriſti, ſancta Catholica. Cùm enim reſpexerit ille ſponſus, ejicieris tu, vt ancilla cum filiis tuis ... Cognoſcatur vna ſancta & vera regina Catholica, cui Chriſtus regnum tale dedit: quod eam per totum mundum diffundens, ab omni macula & ruga mundans, totam pulchram ſuo aduentu præparauit.* Cap. 5.

Vel fuit expugnata Eccleſia quæ eſt præſentis temporis, vel non: ſi fuit expugnata, fallitur Auguſtinus: ſi non fuit; ergo ab illa tutò accipi poſſunt Catholicæ veritates: ergo non eſt neceſſarium aſcendere retrorſum vſque ad tempus Baſilii, vt illæ accipiantur. Item, vel manet in radice ſua, & vite, vel non: ſi non manet, fallitur Auguſtinus: ſi manet, ergo nuſquam meliùs, aut tutiùs fidem inferimus. Item, vel perinde perſtat inuicta contra cæteras hæreſes, ac contra Arianam, vel non: ſi non perſtat, fallitur Auguſtinus, qui nihilo fortiorem putauit contra Arrianos, quàm contra alios hæreticos: ſi perſtat, ergo nullam ab eis accepit erroris impreſſionem, hoc enim eſſet vinci. Item, vel conſeruat adhuc jus maternum & dotale, & illam ſanctitatem, veritatem, vnitatem, auctoritatem, & dignitatem

regiam, & nitorem illum ſine macula, & ruga, vel non: Si non conſeruat, fallitur Auguſtinus, qui Chriſto credidit dicenti, *Portæ inferi non prævalebunt aduerſus eam:* multùm enim præualuiſſent, ſi partem aliquam tam pretioſæ dotis detraxiſſent: Si conſeruat, nullum igitur habet errorem, nullam peruerſam legem, aut conſuetudinem. Quia ſi haberet, non eſſet ſine macula, & ruga: nec eſſet ſancta, & vera: nec ſeruaret illam, quæ debet eſſe talis ſponſæ cum tali ſponſo conſenſionem: nec eſt auctoritas vlla, nec jus, nec poteſtas, quæ poſtulet, vt certò, & ſine hæſitatione credatur matri, quæ putatur à patre diſſentire, atque illi contradicere. Denique illi, qui putant errores eſſe, quæ ſunt generalia Scholaſticorum dogmata, & majorem Eccleſiæ partem illis poſſe conſentire; cùm deſerant ipſi ſenſum vniuerſalem, & vnitatem communis fidei, vt paucorum opinionem, & exiguæ factionis placita ſequantur; videant in quod diuerſorium intraturi ſint. Auguſtinus enim illis hoſpitium conſignauit apud concubinam.

Ep. 56. 23. Duodecimò, inſignis locus eſt in epiſtola ad Dioſcorum, vbi ſic loquitur: *Conantur ergo* AVCTORITATEM STABILISSIMAM FVNDATISSIMÆ ECCLESIÆ *quaſi rationis nomine, & pollicitatione ſuperare. Omnium hæreticorum quaſi regularis eſt iſta temeritas. Sed ille fidei Imperator clementiſſimus, & per conuentus celeberrimos populorum, atque gentium, ſedeſque ipſas Apoſtolorum,* ARCE AVCTORITATIS MVNIVIT ECCLESIAM: *& per pauciores piè doctos, & verè ſpirituales viros, copioſiſſimis apparatibus etiam inuictiſſimæ rationis armauit. Verùm illa rectiſſima diſciplina eſt,* IN ARCEM FIDEI *quàm maximè recipi infirmos, vt pro eis jam tutiſſimè poſitis fortiſſima ratione pugnetur.* Duos ad perſuadendum modos Auguſtinus proponit: auctoritatem, qua fides imperatur; rationem, qua probatur id quod proponitur. Et auctoritatem quidem vides qualem & in quo ponat, *ſtabiliſſimam* nimirum *in Eccleſia fundatiſſima.* Vides etiam ſtabilitatem illam, & firmitatem Eccleſiæ fundatiſſimæ, qua ſpecie repræſentet, *arcis* videlicet, & quidem inexpugnabilis, poſtquàm *tutiſſimè poſiti* dicuntur qui ſe in eam receperunt. Iam quæro à Nou-Auguſtinianis, vel durat hactenus Eccleſiæ authoritas illa, vel non: Si non durat, fallitur Auguſtinus, qui

ſtabi-

ſtabiliſsimam vocauit, & *fundatiſsimam.* Si durat, ergo eſt à quo recipiamus certò, ac ſine periculo errandi, Catholicas veritates, Eccleſia, in qua viuimus, quam videmus, & loquentem audimus: nec eſt neceſſe recurrere ad tempora Baſilii: nec quiſquam meliùs docere nos poteſt quid ſentiret Eccleſia tempore Baſilii, quàm Eccleſia, quæ fidem imperat *ſtabiliſſima* hodieque authoritate. Item, vel arcem illam error occupauit, vel non: ſi occupauit, fallitur Auguſtinus, qui *tutiſſimè poſitos* dixit eos, qui ſe in eam recepiſſent: & vel malus fuit Architectus, qui fundauit, & fabricauit tam malè fundatam Eccleſiam: vel Imperator ille fidei parum prouidus, qui arcem auctoritatis, qua cuſtodiebatur, occupari paſſus eſt: Si non occupauit, ſtat igitur hodieque in arce illa pura fides nullis erroribus permixta: ac prouidè nullum eſt periculum, ne Catholicas veritates poſtulantibus offerat. Et quis non videt, Auguſtino judice, rem hanc non eſſe liberæ optionis, ſed adigi quemlibet parendi neceſſitate, vt aſſentiatur Eccleſiæ præſentis temporis? Ecce, *Imperator fidei* authoritatem ad credendum neceſſariam in Eccleſia poſuit, & ſtabilem poſuit, ac proinde ad hoc tempus duraturam, ex Auguſtino: ergo imperat vt credamus Eccleſiæ ad hoc vſque tempus duranti. Qui enim fidem imperat, imperat vt credamus ei, cui dedit authoritatem, qua fides niti debet: Sed Deus, qui fidem imperat, dedit illam auctoritatem Eccleſiæ, vt dicit Auguſtinus, & ad hoc vſque tempus dat, poſtquam ſtabilem dedit, & quam ipſe ſemper eſſet conſeruaturus: ergo Deus imperat vt credamus Eccleſiæ: ergo quicumque contradicit, vel ſuſpicatur communem Eccleſiæ hodiernæ fidem, & dubitabile putat, ac diſputabile quod illa ſtatuit, Auguſtino judice, præcipienti Deo repugnat. Sunt ergo ridiculi *Diſcipuli Traditionis*, qui Eccleſiam præteriti temporis quærunt in monumentis tantùm ſanctorum Patrum, cùm conſtet ex Auguſtino, Eccleſiam præteriti temporis authoritatem dare Eccleſiæ temporis præſentis, cui neceſſe ſit ſubjici.

Et tandem interrogandi ſunt, qua ſe potiſſimùm arce tutos putent, an illa, quæ fuit & non eſt; an illa, quæ fuit & adhuc eſt? Si primum, ſunt, vt dicebam, ridiculi, qui ſecuritatem ſperant ab arce deſtructa. Si ſecundum,

H

etiamnum ridiculi ſunt, qui ſe tutandos putant, non ab hac arce quatenus eſt, ſed quatenus fuit, quaſi verò juuare aliquid poſſit, niſi quatenus eſt.

Ep. 119. 24. Denique vt conſtet qualem Eccleſiam commendet Auguſtinus, vt ei credamus; audiendus eſt cùm dicit, *Sed Eccleſia Dei inter multam paleam, multáque zizania conſtituta, multa tolerat: & tamen* QVÆ SVNT CONTRA FIDEM, VEL BONAM VITAM NON APPROBAT, NEC TACET, NEC FACIT.

Lib. 3. de ſtat. pur. nat. cap. 22. Dicant Nou-Auguſtiniani an non tacuerit Eccleſia, quando, vt volunt ipſi, tacere juſſit Doctores omnes, ne vulgarent fundamentales antiquæ fidei veritates, néve contradicerent contrariis erroribus jam quaquauerſum per Eccleſiam receptis? Addendum & illud, *Eccleſiæ conceſſit Chriſtus in ſpiritu, quod mater ejus habet in corpore, vt & mater, & virgo ſit.* Et

De verbis Dom. ſer. 50. loquitur de Eccleſia toto orbe diffuſa, & vſque ad finem perſeueratura contra Donatiſtas, qui contendebant eſſe illam in parte tantùm Africæ. Quòd ſi ſcire cupis qualis ſit

Serm. 119. de temp. Eccleſiæ virginitas, ille ipſe docet cùm dicit, *Et venit, & virginem fecit, Eccleſiam virginem fecit.* IN FIDE VIRGO EST. Vt quid ergo Nou-Auguſtiniani malum cogitant in cordibus ſuis contra matris dignitatem, contra gloriam diuini illius ſponſi, contra ſuum ſuorúmque fratrum proprium quoddam, & ſingulare decus? Videri nolunt virginis filii, neque alios dici patiuntur: & quam Deus dotalem fecit, eſſe negant incorruptam Eccleſiæ fœcunditatem. *Alteratam* dicunt. Sed res eſt delicata virginitas, & quæ pati nequit alterationem. Et verò quæ poteſt eſſe alteratio ſine admixtione contrarii? Contrarium ſi miſcetur, vbi eſt puritas? Quæ autem & qualis eſſe poteſt virgo cui puritas deeſt? Sed errent illi quantum volent vſque ad patris, & matris, & fratrum, & ſui etiam ipſorum injuriam, dum conſtet, teſte Auguſtino, id eos facere contra poſitam ab ipſis regulam, & Eccleſiam primitiuam quam definiunt *Eccleſiam in ſua puritate*, doctrinæ puritatem illam extendere in omnem ætatem: ac proinde puram eſſe doctrinam Eccleſiæ præſentis temporis.

CAPVT VI.

Nullis minùs quàm Nou-Auguſtinianis exploratam eſſe traditionis diſciplinam.

1. TRADITIONIS vſus, atque authoritas ad doctrinæ confirmationem, Eccleſiæ res eſt: vixque reperiantur extra qui eo principio nitantur. Platonicæ, Ariſtotelicæ, Hipocraticæ, Galenicæ doctrinæ traditionem qui jactet non facilè inuenias; nec vlli ſunt qui Ptolomæi, vel Euclidis, ſed neque Iuſtiniani, aut aliorum id genus in qualibet facultate principum hæreditariam penes ipſos doctrinam ſeruari *ex traditione* contendant. Cujus rei non abs re fortaſſe fuerit cauſam cognoſcere. Nam ſi nihil aliud requireretur, quàm vt haberemus monumenta, quibus antiqui ſuam doctrinam tradiderunt, nemo eſt qui non poſſit, & Ariſtotelis, & Platonis, & aliquorum etiam quos olim habuêre diſcipulorum libros oſtendere. Nemo etiam impeditur quo minus totam in eis verſandis & commentandis ætatem poſſit conterere. Quòd ſi cuipiam libuerit, velitque ille quaſi ſingulari quadam nota Philoſophiam ſuam deſignare, quod ſit *Philoſophia traditionis*; ſeque ipſum veluti proprio charactere diſcernere ab aliis, quòd ſit *Diſcipulus Traditionis*, nemo etiam erit qui non liberaliter rideat ineptam nouorum titulorum ambitionem. Nempe quia inſitum animo eſt, non ſatis eſſe quod eorum libri qui tradendis olim ſcientiis incubuerunt per manus ad nos peruenerint, & à nobis legantur diligenter, & attentè, vt cenſeamur accipere doctrinam *ex traditione*: Sed aliud quippiam requiritur. Quid verò illud eſt? Si vna quædam eſſet ſchola, in qua conſtaret Ariſtotelem docuiſſe, ac fuiſſe continuam deinceps in eadem ſucceſſionem diſcentium, ac docentium id quod erat initio traditum; qui ſcholam illam frequentarent dici poſſent *diſcipuli traditionis*: & illa Philoſophia eſſet *Philoſophia traditionis*. Sed quia nulla vſquam eſt talis ſchola, ideo neque vlla vſquam eſt talis Philoſophia,

nec tales diſcipuli. Non eſt itaque doctrina traditionis illa quæ non eſt ſucceſſiua, nec ſi quis ingenii, ac diligentiæ ſuæ beneficio in antiquorum libris verum detegat mediis temporibus incognitum, ideo dici poteſt didiciſſe verum *ex traditione*; quod illa interruptio ſucceſſionem doctrinæ tollat ad traditionem neceſſariam.

2. Vnde ſequitur minimè ſufficere inter Theologos quod aliquis Auguſtini libros per manus ad nos delatos habuerit, eiſque intelligendis continuo viginti duorum annorum ſtudio impalluerit, vt dici poſſit callere ipſum *Theologiam traditionis*. Quidni enim pari ratione diceretur ille callere Philoſophiam traditionis, qui Platonis libris ad hoc vſque tempus etiam ſeruatis ſimiliter incubuiſſet? Auguſtini ſcientia inquies, erat ſcientia traditionis; vnde qui conantur illam ſtudendo participare, cenſendi ſunt participare ſcientiam traditionis. Verùm ſupponamus Epicteti, Plotini, Iamblici Philoſophiam fuiſſe Philoſophiam traditionis; quin & ipſam Platonis Philoſophiam non à Socrate modò, ſed à Chaldæis etiam acceptam; num ideo qui totus erit in legenda, & comprehendenda Platonis, & Platonicorum Philoſophia, Philoſophus traditionis appellabitur? minimè verò. Nec ſi daremus Galenum didiciſſe Medicinam ex traditione, ideo dicerentur ſtudioſi operum Galeni, Medici traditionis. Vt enim non eſt conſequens vt ſi quis quippiam didicerit ex reuelatione, omnis qui ab iſto quocumque modo idipſum accipit dicatur id ſcire per reuelationem: ita nec ſequitur vt ſi quis ſucceſſiua, & continua traditione quippiam acceperit à majoribus, id ipſum eadem ratione peruenire dicatur ad eos, qui rem eandem eruunt ex ejus ſcriptis poſt hiatum multorum ſæculorum quibus ea manſit incognita. Vt omittam ne ipſum quidem Auguſtinum, ſi fides habenda Nou-Auguſtinianis ex traditione accepiſſe quæ docuit: ſed ex propria quadam, atque diuina illuſtratione. Quis enim illi tradere potuit veritates illas, quæ in Eccleſia incognitæ ante ipſum erant, cæteris Patribus, vt dicunt, Origenem ſecutis Semipelagianiſmo præludentem? Et quid eſt quod dicunt *altiſſimam illam Theologiam quam omnis poſteritas admiratur*, NEMINE PRÆEVNTE, *mox è baptiſmo illi cœlitus inſpiratam?* Ex traditione acceperit,

Ianſ. to. 3. l. 1. de ſtatu puræ nat. c. 15.

quod accepit *nemine præeunte?* Reſtat ergo nihilo magis dici poſſe diſcipulum traditionis qui diſcit Auguſtini libros legendo, quàm qui diſcit legendo libros Ariſtotelis.

Neceſſaria ergo ſucceſſio eſt, quâ dum continuò manus tradentium, atque accipientium connectuntur, catena fiat: vnde qui vltimum tradit annulum dicere poſſit & primum ſequi. Ac proinde qui repudiata præſentium temporum doctrina, & vno ſaltu prætergreſſus duodecim ſæcula, reſilit in auerſum ad ætatem Auguſtini, vt Catholicas veritates inueniat tot annis ſepultas; non dico quàm ille ſapienter faciat, quantumve ſperare poſſit ejus operæ pretium; ſed hoc pugnaciter contendo, quicumque tandem eſſe poſſit hujus conſilii fructus, dici tamen illum non poſſe *diſcipulum traditionis*, niſi ab iis qui notionem vocum perdiderunt. Quòd ſi hoc etiam conſequutus eſt labore improbo, quod videmus accidiſſe Nouo Auguſtino, vt occupatus iis opinionibus quas ſe haurire putat ex prioribus ſæculis, contradicat iis quæ tradit Eccleſia in qua viuit: vt quid ille traditionem jactet, cùm ejus nec rationem ſcire nec regulam tenere clariſſimum ſit.

3. Neque aliud Auguſtinus voluit quando toties inculcat continuam Romanorum Pontificum ſucceſſionem ad refellendos hæreticos. Duo quippe intendebat illa probatione; Primum, vbi non eſſet illa ſucceſſio, eſſe non poſſe traditæ doctrinæ certitudinem. Agitur enim de doctrina fidei, ad quam perſuadendam diuina quærenda eſt authoritas, qua carent ii, qui recurrere non poſſunt ad diuinum fidei magiſtrum: & hic recurſus impeditur interrupta ſerie diſcipulorum ab illo continuè deſcendentium; Secundum, vbi eſſet ſucceſſio, non poſſe non eſſe certitudinem doctrinæ, quando in ſerie ſibi ſuccedentium inueniri non poteſt aliud doctrinæ, quam docemur, exordium? Ita enim Auguſtinus, contra Donatiſtas diuinam inſtitutionem coniicit ex conſuetudine, *quam homines ſurſum verſus reſpicientes non vident à poſterioribus inſtitutam. Quod vniverſa tenet Eccleſia, nec Conciliis inſtitutum, ſed ſemper retentum eſt, non niſi authoritate Apoſtolica traditum rectiſſimè creditur.* Nec alia fuit ratio, cur Eccleſiam, in qua notum erat ſucceſſionem hujuſmodi fuiſſe, dixerit Lib. 4. de bapt. cap. 6. & cap. 24.

Epiſt. 56. Auguſtinus *authoritatis arce à Deo munitam.*

4. Atque hoc ipſum intendunt alii SS. Patres, vt S. Irenæus, qui cùm dixiſſet, *Apoſtolos quaſi in depoſitorium diues pleniſſimè in Eccleſiam contuliſſe omnia quæ ſunt veritatis*, addit poſteà, *Obaudire nos oportet presbyteris Eccleſiæ, qui ſucceſſionem habent ab Apoſtolis*, QVI CVM EPISCOPATVS SVCCESSIONE CHARISMA VERITATIS CERTVM, SECVNDVM PLACITVM PATRIS ACCEPERVNT. Vbi clarè vides depoſitum veritatis Eccleſiæ manibus ab Apoſtolis ita commiſſum, vt ad nos non aliter, quàm ſucceſſionis beneficio perueniret. Iam verò non negabunt, opinor, Nou-Auguſtiniani, *Eccleſiæ presbyteros eſſe* Pium V. Gregorium XIII. Vrbanum VIII. Innocentium X. ſed neque hoc negabunt, quod fateri coguntur hæretici, ſucceſſionem ad illos fuiſſe continuam jam inde à Diuo Petro Chriſti Vicario. Petimus autem inſuper, an fateantur accepta pariter fuiſſe *cum Epiſcopatus ſucceſſione veritatis chariſmata*, necne? Si negare audent, actum eſt de traditionis certitudine. Quis enim illi fidem faciet, & vnde ſciam non fuiſſe inuentum quod dicunt traditum? Si concedunt, quare quas illi tradunt veritates non accipiunt, contra Conſtitutiones eorum diſputantes.

Lib. 3. con. hæreſ. c. 4.

Lib. 4. c. 43.

5. Eadem eſt Athanaſij ſententia, lib. I. de decretis Nicænæ Synodi. *Ecce nos quidem*, inquit, *à patribus ad patres per manus traditam fuiſſe hanc ſententiam demonſtrauimus, vos, ô noui Iudæi, & Caïphæ filij, quos tandem nominum veſtrorum poteſtis oſtendere progenitores?* Vides hîc quoque quomodo beneficio ſucceſſionis veritas ad nos deſcendit, dum *à patribus ad patres per manus traditur.* Annon igitur ita tradiderunt Baſilius, Ambroſius, Auguſtinus? An non ſimiliter, & illi, quibus ipſi tradiderant, & conſequenter ad nos vſque? Ergo qui modò ſunt, & qui nudius tertius in Eccleſia ſucceſſores ſanctorum Patrum, per manus acceperint traditionem. Quid igitur cunctamur adire vltimos? Et cùm eo tantùm modo fieri poſſit, vt Eccleſia temporis ſancti Baſilij ad nos peruenerit, dum continua illa ſucceſſione eadem ſit cum Eccleſia temporis Vrbani, & Innocentii, quanam ratione perſuadere nobis certiùs poſſumus, nos accipere Catholicas veritates ab Eccleſia temporis ſancti Baſilij, quàm quia eas accipimus ab

Eccleſia temporis Vrbani, & Innocentij? Apertiùs adhuc Epiphanius hæreſi 55. vbi traditiones vocat *ſucceſſiones doctrinæ.* Vnde ſequitur ex ipſius mente propriam traditionis naturam tollere, qui doctrinæ interruptionem, quæ ſucceſſioni contraria eſt, inducunt.

6. Tertullianus eodem argumento premit hæreticos, *Edant,* inquit, *origines Eccleſiarum ſuarum, euoluant ordinem Epiſcoporum ita per ſucceſſionem ab initio decurrentem, vt primus ille Epiſcopus aliquem ex Apoſtolis, vel Apoſtolicis viris, qui tamen cum Apoſtolis perſeuerauerit, habuerit auctorem, & anteceſſorem.* Et patet cur ſucceſſionem illam Tertullianus requirat. Nimirùm vt veritas eſſe præſumatur in ea Eccleſia, quæ ſucceſſionem doctrinæ probare poteſt per ſucceſſionem Epiſcoporum, quando conſtat in Epiſcoporum ordine nullum aſſignari poſſe, qui author ſit ipſe eorum dogmatum, quæ ad nos peruenêre, ſed hæres, acceptâ ſemper à prioribus eâ fide, quæ poſterioribus tradebatur: Eſſe enim in Eccleſiis illis per Apoſtolos conſtitutis, *traducem fidei, & ſemina doctrinæ*, quæ cæteræ deinde mutuentur: Eſſe illas *matrices, & originales fidei*; ideóque *deputandam veritati doctrinam, quæ cum illis conſpiret, reliquam omnem de mendacio præjudicandam.* Atqui vt conſtet hanc eſſe neceſſariam traditionibus probationem, audiendum quod paulo antè dixit, nimirùm, *ibi apparuerit eſſe veritatem diſciplinæ, & fidei Chriſtianæ, illic fore veritatem ſcripturarum, & expoſitionum, & omnium traditionum Chriſtianarum:* hoc autem apparere inquirentibus, *quibus competat fides ipſa, à quo, & per quem, & quando, & quibus ſit tradita diſciplina, qua fiunt Chriſtiani.* En quò pertineat ille *ab initio decurrens* Epiſcoporum ordo: vt ſcilicet dicere poſſimus id, quod docet is, qui modò præeſt Eccleſiæ, acceptum eſſe ab Anteceſſore, qui rurſus à prædeceſſore ſic audiuerat, & ſic deinceps vſque ad Apoſtolos, vel Apoſtolicos viros, citra quos nullum aſſignatur initium acceptæ doctrinæ. Quò ſpectabat illud etiam Irenæi dicentis, conſulendas eſſe *antiquiſſimas Eccleſias*, nempe illas, quæ olim ab Apoſtolis, vel Apoſtolicis viris fundatæ ſunt, vt hodie nos doceant quod olim audiuerunt.

De præſcr. cap. 32.

Ib. cap. 20. 21.

Ib. cap. 19.

Cont. hær. lib. 3. c. 4.

7. Nimirùm vt familiarum, ita & Eccleſiarum, ex ſucceſſione probatur antiquitas: & vt familia illa, quæ hodie

viget, antiqua dicitur, vel antiquæ nobilitatis, ex longa generationum ſucceſſione ab illo, qui primus nobilitatem intulit; ita & Eccleſiæ dicuntur antiquæ, vel antiquæ authoritatis ex longa ſucceſſione ordinationum eorum qui ipſis præfuere, vſque ad illum à quo fuit principium authoritatis. hanc autem prærogatiuam Eccleſiæ Romanæ vel ſoli, vel præ cæteris omnibus competere in confeſſo eſt apud omnes. Eſt igitur illa vel ſola, vel præ cæteris omnibus ſine controuerſia *Antiquiſſima*, eſt *Matrix Eccleſia*, & *Originalis*, habet *fidei traducem*, *& ſemina*, *diſciplina* pariter *veritatem* continuâ illâ ad hunc vſque diem ſucceſſione firmatam. Ergo ſi vſquam eſt, in ea eſt *veritas ſcripturarum*, & *expoſitionum*, *& omnium traditionum Chriſtianarum*. Ergo doctrina omnis quæ cum illa non conſpirat, *de mendacio præjudicanda eſt*. Ergo nemo certus eſſe poteſt de veritate traditionum, ſi illa dubitet; multò minùs ſi contradicat: Ergo hæc potiùs ſuggerenda, quærenda, inuenienda eſt regula & *traditionis*, & *Catholicarum veritatum*: Ergo illi ſoli ſunt probabiles *Diſcipuli traditionis* qui Romanam Eccleſiam conſulunt, vt diſcant quid traditum ſit tum ab Apoſtolis, tum ab antiquis Patribus, quod pertineat ad fidem: Illi veri *defenſores traditionis* qui hujus Eccleſiæ authoritate tuentur quod traditum eſt, & ritè traditum eſſe contendunt: Et illa germana eſt, ſinceráque *Theologia traditionis*, quæ argumentatur ex iiſdem principiis, vt concludat vel eſſe vel non eſſe aliquam traditionem Catholicæ veritatis, prout teſtimonio perſeuerantis ad hunc vſque diem Eccleſiæ vel confirmatur, vel reiicitur. Quod ſi quis hoc teſtimonio relicto reuolat in priora ſæcula, & ex Patribus tantùm ita præſidium accerſit, vt Eccleſiam præteriti temporis noſſe nolit ex vultu atque ſermone Eccleſiæ temporis præſentis; ille nequaquam dici debet Traditionis Defenſor, ſed Deſtructor: nec Diſcipulus, ſed Aduerſarius: nec hujus etiam Theologia, Theologia dicenda eſt Traditionis, niſi eâ ſignificatione quâ intelligatur eſſe Theologia proditionis.

8. Quare juuat ſub finem hujus diſputationis Nou-Auguſtinianos compellare iiſdem verbis quibus olim Auguſtinus Donatiſtas: *Ecce Eccleſia, rogo quid patimini? Ecce Eccleſia tot*

mani-

manifeſtiſſimis ſanctarum ſcripturarum, adde & ſancti Auguſtini *teſtimoniis commendata, & expreſſa, prædicta, & demonſtrata.* Scire vultis quæ ſit ratio, quæve efficacia gratiæ medicinalis? Quæ ſit in Deo circa ſalutem reproborum prouidentia? Quis modus adminiſtrandi ſacramenta Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ? Ecce Eccleſia, interrogate illam: Quo fugitis à præſenti ad abſentem? Catholicas dicitis veritates quæ damnatæ ſunt in Nouo Auguſtino propoſitiones, ecce Eccleſia cui Deus teſtimonium perhibet veritatis, & veracitatis. Tradita olim ab Eccleſia prædicatis, quæ ſomnia veſtra ſunt. Ecce Eccleſia quæ nihil tradidit quod non etiam ſeruarit, conferte quod deſumptum putatis, cum eo quod relictum in ea eſt. Sed Eccleſia, inquiunt, nos ad Auguſtinum mittit: O viri boni! Eccleſia vos ad Auguſtinum mittit, ſed redituros. Auguſtinum adite per nos licet. Sed audite vos monentem, *Ecce Eccleſia.* Ecce, inquit, Eccleſia, cui Deus ſucceſſionem promiſit perpetuam vſque ad finem ſæculorum: cujus ſucceſſioni authoritatem adjunxit, ad fulciendam fidem: & authoritati poteſtatem ad eam imperandam: Et hæc omnia concluſit *arce firmiſſima, fundatiſſima, & inferi portis inexpugnabili.* Adite, inquam, Auguſtinum; ſed illum ſequimini reducentem vos ad Eccleſiam, atque dicentem quæ præteriti temporis erat, factam eſſe temporis præſentis. Illam enim ipſam fuiſſe ad nos vſque, ac deinceps duraturam. Credite igitur Auguſtino, & cùm vobis dicitur, *Ecce Eccleſia*, demonſtratâ illâ quæ præſens eſt, quæ viuit, quæ loquitur, quæ vos audit & hortatur, & monet; exiſtimate demonſtrari vobis Eccleſiam temporis ſancti Baſilii, & ipſius etiam ſancti Auguſtini, poſtquàm eam illi dixere ad nos peruenturam. Diſcite igitur ab illa Catholicas veritates: & tunc eritis veri Traditionis diſcipuli.

9. Caluinizant ſcilicet hujuſmodi Doctores, vt in aliis pluribus, ita & in hac controuerſia. Neque enim Caluinus, quem tamen conſtat acerrimum fuiſſe Traditionum impugnatorem, negare voluit ex Traditione, quæ ad vſque tempora ſanctorum Patrum Baſilii, Ambroſii, Auguſtini à temporibus Apoſtolorum peruenit, colligi potuiſſe Catholicas veritates: cùm fateatur nullam quatuor aut quinque illis ſæ-

culis factam eſſe doctrinæ mutationem vel Romæ, vel alibi: ac proinde cenſeat argumentum petitum ex continua ſucceſſione Romanorum Pontificum fuiſſe iis omnibus qui adhærebant Eccleſiæ Romanæ argumentum idoneum ad confutandos omnes errores. Sed quia deinde ſtante licèt Pontificum ſucceſſione deſiiſſe putat ſucceſſionem doctrinæ, ideo adduci nunquam potuit, vt quæ conſequentibus temporibus ab Eccleſia ſunt definita reciperet, cauſatus doctrinam eſſe corruptam: Videant qui ſcientiam Traditionum oſtentant quid ipſi minùs dicant, dum docent Eccleſiam primis illis temporibus fuiſſe *in ſua puritate*, deinceps verò fuiſſe *alteratam*: & ſciant, ſi ſcire volunt, quod docuit Auguſtinus, non fortè fortunâ, neque ad tempus, vt Caluinus voluit; ſed certâ prouidentiâ, atque immobili decreto Dei conſtitutum, vt cum perpetua ſucceſſione paſtorum, perpetua eſſet diuinæ doctrinæ propagatio: nec ob aliam cauſam promiſſam ſucceſſioni perpetuitatem, quàm vt perpetua eſſet doctrinæ veritas: atque hac confeſſione diſtingui Catholicos ab hæreticis. Quòd ſi admittunt, iterum atque iterum inculco *Ecce Eccleſia*, petamus àb illa deciſionem noſtrarum controuerſiarum. Sed illi *caput torquent*, & *oculos claudunt*, ne præſentem aſpiciant, malúntque præteritam ſomniare: & ſub meridiano Sole clamant, *tenebræ*, *tenebræ*, *ignorantia*, *ignorantia*, *cæcitas*, *portenta errorum*: ac tanquam timerent ne in occurrentem vltro Eccleſiam offenderent, manu etiam ſibi cauent, quod ſolent nocturni ambulatores. Hic erat, vt antea narratum eſt, habitus Aurelii Bicephalorum Magiſtri, cui hoc vnum concedi poteſt, jure illum clamare potuiſſe, *tenebræ*, *tenebræ* poſtquàm oculos clauſerat.

CAPVT VII.

Non ſufficere ad infallibilitatem Eccleſiæ quod illa rectè credat, & fidem ſuam palam in precibus & orthodoxis loquendi formulis profiteatur, ſi erret in eorum intelligentia.

I. NOV-AVGVSTINIANI dicunt Eccleſiam *nullo erroris in fide, aut hæreſeos crimine fædandam, etiamſi non exigua ſed maxima ejus pars in obſcuris quæſtionibus aliter quàm ſe res habet opinando conjiceret.* Satis nimirum eſſe *quòd rectè credat, fidémque ſuam palam in precibus, & orthodoxis loquendi formulis fateatur,* etiamſi deinde in eorum intelligentia, & explicatione filii ejus confligentur variis opinionibus, *quibus occultè* FIDES IPSA QVAM TVENTVR EVERTATVR. Atque hoc contigiſſe in pleriſque capitibus doctrinæ, in quibus ab Auguſtino Scholaſtici receſſere. Nempe rectiſſimam fidem ab vniuerſa Eccleſia ſeruatam *in ſuis canonibus, & precibus, ipſáque oratione Dominica; ſed quia vim eorum non attendunt, aut non intelligunt; hinc diuerſis opinionibus à ſe diuulſos,* QVIBVS INADVERTENTER FIDEM ALIQVI, QVAM CATHOLICE PROFITENTVR, INTERIMVNT. Sed quemadmodum in Sacramentorum adminiſtratione, intentio faciendi quod facit Eccleſia, corrigit latenter opiniones, quibus falſa, imò & hæretica de Sacramentorum formis opinantur, ita & hìc *fidem immobilem, qua credunt verum eſſe quod in canonibus, vel oratione ad Deum fuſa profitentur; corrigere falſas opiniones, juxta quas cum animi ſubmiſſione ſub tribunal Eccleſiæ fidem explicant: ita vt inde nulla in animum credentem hæreſeos labes cadat.* To. 2. lib. procem. c. 30.

2. Vnde concludunt, *Nullam ſcholaſticarum opinationum vetuſtatem* QVANTOCVMQVE PATROCINANTIVM NVMERO ROBORATAM, QVIBVSCVMQVE LOCIS DIFFVSAM, QVOTCVMQVE ÆTATIBVS PROPAGATAM, *fidem Eccleſiæ labefactare, aut maculare*: nec impedire quo minùs ea hujuſmodi opiniones *ad incudem reuocet, & de nouo examinet:* nec ſapienter facturum qui recentiorum Doctorum *numeroſitate, vel authoritate moueatur,*

vnum Auguſtinum præferendum eſſe *quantumlibet numeroſæ repugnantium multitudini:* Ad ipſum prouocandum *ab omnibus quantumlibet numeroſis:* incomparabiliter magis illi vni credendum, *quàm iis*, *qui ſibi de benigniori Eccleſiæ cenſura gratulantur.*

3. Ex quibus conſtat id, quod dicunt fieri poſſe, vt aliqui fidem, quam rectè profitentur in communibus loquendi formulis, & oratione Dominica, praua intelligentia *interimant*, *& euertant*; non intelligi tantùm de vno, aut altero, ſed de majori parte Doctorum, & Doctoribus adhærentium, hoc eſt, de majori parte Eccleſiæ. Hoc enim oſtendit primò, quòd ſupponunt, NON EXIGVAM, SED MAXIMAM ECCLESIÆ PARTEM *in obſcuris quæſtionibus ſentire poſſe*, *opinando aliter*, *quàm ſe res habeat.* Quod cùm dicunt, non agunt de quadratura circuli, vel de quiete mobilium in puncto reflexionis, ſed de fidei doctrina. Volunt ergo in materia fidei *non minimam*, *ſed maximam Eccleſiæ partem*, per ignorantiam, vel obliuionem eorum, quæ reuelata ſunt, aut priùs definita, opinando aliter ſentire poſſe, quàm ſe res habeat. Secundò, id etiam oſtendit quod inferunt, opinionum vetuſtatem *quantocumque patrocinantium numero roboratam*, *quibuſcumque locis diffuſam*, *quotcumque ætatibus propagatam*, non maculare fidem Eccleſiæ, nec impedire quominùs opiniones illas ad incudem reuocet, & de nouo examinet. Quod falſum eſſet, ſi ſupponerent occultam illam vniuerſalis fidei euerſionem, & interruptionem, quæ per hujuſmodi opinationes fit, paucis tantùm fidelibus, & minori parti Eccleſiæ poſſe contingere. Hoc enim ſuppoſito neceſſarium eſſet argumentum, quo ſequeretur verum eſſe tenendúmque quod major pars diceret, poſtquàm non niſi minor falli poteſt: ac proinde non liceret *à quantalibet numeroſitate* appellare, vel ad Auguſtinum, vel ad aliud vllum tribunal. Exiſtimant ergo, etiamſi tanta ſupponatur numeroſitas Doctorum, & Doctoribus adhærentium, vt majorem Eccleſiæ partem conficiat; poſſe tamen falſâ eorum, quæ in vniuerſum rectè credunt intelligentiâ opinando decipi, & occultè *fidem euertere*, *atque interimere*, dummodò id fiat cum animi ſubmiſſione, & præparatione ad veritatem recipiendam cùm primùm illuxerit

4. Huc igitur tandem Nou-Auguſtinianorum doctrina reducitur, vt credatur, *non exigua, ſed major pars Eccleſiæ ſentire poſſe opinando aliter, quàm ſe res habeat, idque in rebus fidei*: Item vt credatur *major pars Eccleſiæ* ita poſſe opinando interpretari quod in vniuerſum rectè credit, vt inſcienter rectam illam fidem *euertat, & interimat*: Nec tantùm poſſe illud accidere, ſed accidiſſe reipſa in controuerſiis, quæ modò tractantur: Majorem videlicet Eccleſiæ partem, quamuis rectam fidem teneret in ſuis formulis, & canonibus, & oratione Dominica, falſâ tamen eorum intelligentiâ rectam illam fidem opinando euertiſſe, atque interemiſſe. Et quia doctrina illa, in qua id accidiſſe putant, continet, vt illi dicunt, *fundamentales doctrinas contra Pelagianam hæreſim*, & *baſes fidei*, fit vt credenda ſit Eccleſiæ major pars *circa fundamentales doctrinas, & baſes fidei*, opinando aliter ſenſiſſe, quàm oporteret, & *euertiſſe, atque interemiſſe* rectam fidem, quam in ſuis canonibus, & formulis, & orationibus profitetur. Iam verò major pars Eccleſiæ, loquendo ſimpliciter, & abſolutè, eſt Eccleſia: ergo juxta principia hujus Theologiæ, ſimpliciter, & abſolutè loquendo, *Eccleſia malè intelligens quod rectè credebat circa fundamentales veritates, & baſes fidei, opinando aliter ſenſit, quàm oporteret, ſuámque illam fidem rectam occultè euertit, & interemit.* Vnde Lector facilè intelligat, an non vtiliter Nou-Auguſtiniani operam ſuam poſuerint, dum indefeſſo viginti duorum annorum labore Auguſtinum verſando, hunc doctrinæ theſaurum tam pretioſum, & Eccleſiæ authoritati confirmandæ, tuendæque contra hæreticos illam oppugnantes, tam opportunum inuenerunt.

De ſtatu puræ nat. lib. 3. c. 12.

De ſtatu nat. lapſæ lib. 4. cap. 26. & 27.

5. Nec quidquam juuat temperamentum, quod adhibent, quando dicunt, Eccleſiam hoc facere *opinando.* Clarum enim eſt, neminem etiam aliter errare poſſe, quàm *opinando.* Quid enim? num volunt errorem ſubtrahere generi opinionis, vt ſub genere ſcientiæ collocent? Ecquid aliud eſt falſum judicium ideo errorem eſſe negare quòd ſit opinio, quàm Æthiopem negare hominem eſſe, propterea quòd ſit animal? Errat igitur Eccleſia per ipſos: & errat in materia fidei, atque etiam circa ipſas fidei baſes, & fundamenta, etiamſi opinando erret. Vnde mirum eſt quod dicunt, Eccleſiam

nullo erroris in fide crimine fœdandam, quamuis aliter ſentiat, quàm ſe res habeat, quod, vt dictum eſt, intelligitur accidere in materia fidei. Etenim aliter ſentire, quàm ſe res habeat, vt opinor, errare eſt. Nullo igitur erroris in fide crimine fœdatur Eccleſia, cùm errat in fide. Et cùm iſtud aliter ſentire, quàm ſe res habeat, idipſum ſit quod aliis verbis exprimunt, *euertere fidem, atque interimere*; fides autem nec euerti poſſit, nec interimi, niſi errore contrario: ſequitur apud ipſos Eccleſiam nullo erroris in fide crimine fœdari, quamuis errore fidei contrario fidem euertat, atque interimat.

6. Hoc facit Eccleſia, inquiunt, ſine pertinacia, & animo ad amplectendam veritatem cùm primùm innotuerit præparato: vnde fit vt ſit error ſine crimine: ideóque verè ſit dictum non fœdari Eccleſiam *erroris crimine*. Intelligo. Volunt ergo Eccleſiam tantùm non poſſe hæreticam eſſe, quòd non poſſit eſſe pertinax? de cætero nihil vetare quominus erret in materia fidei. Atqui Eccleſiæ infallibilitas pro qua pugnatum eſt omnibus ſæculis, immunitate erroris conſtat, non immunitate pertinaciæ, vel rebellionis. Et vt nemo infallibilem dicit hominem cujus eſt certa docilitas, & animi præparatio ad conſentiendum cognitæ veritati, quandiu contingens eſt, vt animo licèt minimè malo & fallat, & fallatur: ita nullo vero, propriόque ſenſu dici poteſt infallibilis Eccleſia, quæ falli, & fallere poteſt in materia fidei, ex eo tantùm quòd hunc defectum citra culpam omnem patiatur. Pertinacem eſſe non poſſe ad quandam morum innocentiam pertinet; infallibilitas doctrinam ſpectat, ejúſque puritatem munit, & ſinceritatem. Ideóque nulla eſſe poteſt infallibilitas vbi eſt alea deceptionis.

7. Addo nec criminis ſuſpicionem vitari, quamuis pertinaciæ culpa vitetur. Neque enim erroris crimen ſola pertinacia eſt: cùm ſit etiam temeritas, & oſcitantia, ſeu in inquirenda veritate negligentia. Et quid eſt illud quod dicunt Baiani contingere labem illam intelligentiæ falſæ eorum, quæ rectè creduntur, dum *eorum vim non attendunt, aut non intelligunt*. Nam ſi, vt volunt, id contingat in *quantalibet numeroſitate*, ac multitudine, ac proinde in maxima Eccleſiæ parte: quin & in Eccleſia ipſa tota; ſequitur de tota dici

poſſe quod *non intelligat & quod non attendat*, quorum alterum ignorantiæ eſt ; alterum verò præcipitationis, aut ſocordiæ. Et in ignorantia quidem, eſto poſſit eſſe inculpata Eccleſia, quæ non tenetur ſcire quod Spiritus ſanctus eam non docuit; ſed Spiritus ipſe ſanctus qui ſe doctorum promiſit omnem veritatem, quomòdo excuſabitur? In illa verò ſocordia, vel attentionis defectu, quo factum fuerit vt error induceretur in totam Eccleſiam, quomodo nulla erit culpa? Nullàne eſt obligatio conſeruandi fidei doctrinam, & quidem neceſſariam ac *fundamentalem?* Non tenetur ad hoc Eccleſia, cui depoſitum illud commiſſum eſt? Si non facit quod facere tenetur, nōn peccat? Quomodo ergo hujuſmodi errores circa fidei baſes, & fundamenta ſine crimine admittit? Et vbi fides, vbi vigilantia illorum ſpeculatorum, qui conſtituti ſunt ſuper muros Hieruſalem, *vt totâ die, ac totâ nocte in perpetuum non taceant?* Non tacuerunt quando per totam Eccleſiam ſparſus eſt error circa baſes fidei? & illud ſilentium fuerit innoxium? Non jure merito cadet in illos grauis illa reprehenſio, *Speculatores ejus cæci omnes, neſcierunt vniuerſi, canes muti non valentes latrare, videntes vana, dormientes, & amantes ſomnia .... ipſi paſtores ignorauerunt intelligentiam*, &c. Cæci omninò fuerint qui micantem tot ſæculis veritatem non viderunt : *neſcierint vniuerſi* quod ſcire debuerant, quandoquidem id jam fuerat diuinitùs propoſitum, & paulò antè pèr totam Eccleſiam receptum : & *canes muti*, qui ſuo latratu non indicarunt eos qui diuinam doctrinam ſuperſeminatis erroribus corrumpebant: *Paſtores* verò dici quis ferat, qui cùm veritatis pabulo paſcere tenerentur dominicum gregem, immemores officii *intelligentiam ignorauerunt*. Errat igitur Eccleſia : & errat in fide : & culpabiliter errat, ſi non errant potiùs ipſi Baiani: Ideóque dici non poteſt *nullo erroris in fide crimine fœdari.*

Iſai. 62.

Iſai. 56.

8. Nec eſt tutior illa euaſio, dum errorem in fide ideo negant, quòd qui errant, id in quo errant non ſic approbent, *tanquam eſſet catholica fides*. Ridiculū enim eſt conditionem hujuſmodi requirere ad errorem in fide. Quid? Non erraret in fide qui, eſto non vt certum Catholicâ fide, ſed tamen vt certum naturali ratione, ſibi perſuaderet nullam eſſe Trinitatem, nullum Chriſtum Deum, & hominem, nullam animæ immortalitatem? &c. Et Eccleſia

Lib. proœm. cap. 30.

ſi hujuſmodi probabilitates amplecteretur non erraret in fide? Non errant in fide Athei, propterea quòd id quod credunt, non vt diuinâ fide certum credunt? Egregium verò priuilegium Eccleſiæ, ſi non aliter errare poſſit in fide, quàm quo modo Athei? Errat igitur, errat, ſi aſſenſus qui videntur tantùm probabiles admittat, quibus fidei baſes, & fundamentales veritates conuellantur.

9. Perſpicuum ſcilicet eſt, vel æquè, vel magis contrarium eſſe Catholicæ fidei, negare id eſſe de fide quod reuera de fide eſt; quàm aſſerere id eſſe de fide quod reuera de fide non eſt. Dum enim aliquid putatur eſſe de fide, quod de fide non eſt; opinando fingitur reuelatio: at dum putatur aliquid non eſſe de fide, quod reuera de fide eſt; opinando reuelatio deſtruitur. Quis autem tolerabilius putet, aut minùs contrarium diuinæ fidei, deſtruere diuinum teſtimonium, atque illud, vt ſic loquar, contradicendo falſificare; quàm illud fingere, dum putatur id dixiſſe Deus quod non dixit? Primum facit qui opinando putat verum id eſſe cujus contrarium de fide eſt. Eo enim ipſo negat illud eſſe de fide, & contradicit diuino teſtimonio, quod non facit qui aliquid putat eſſe de fide, quod de fide non eſt, vel qui falſam opinionem amplectitur, *tanquam eſſet fides Catholica*, cùm reuera non ſit: ille igitur contra fidem errat potiùs quàm iſte.

10. Iam quod dicunt animum præmeditatione, ac præparatione Catholicum, & communibus principiis firmiter adhærentem, *corrigere falſas opiniones* circa eorum intelligentiam; primum id exponant quo modo recta illa fides vniuerſalium principiorum & corrigere dicatur falſas opiniones illas, & tamen ab eis *euerti* atque *interimi*. Ipſi enim vtrumque dicunt. Deinde præparatio illa, vt jam dixi, culpam excuſat, non errorem: & ſummùm innocentiam Eccleſiæ præſtat, non infallibilitatem. Denique nec eſt illa quam dicunt in Eccleſia præparatio. An enim parata dici poteſt ad recipiendas propoſitiones quas ſolemni decreto toto orbe recepto, cenſuit eſſe *in perpetuum abolendas?* Sunt enim illa verba conſtitutionis duorum Pontificum contra Michaëlem Baium, cui totus orbis parebat ſine vlla tergiuerſatione,

donec

donec Pſeudo-Auguſtinus vexillum explicuit contradictionis. Iam verò quando acceſſit aliorum duorum Pontificum confirmatio, & declaratio, quâ conſtat damnatas eſſe propoſitiones, quas ille Theologiæ ſcilicet reparator reſtituerat; quis ſibi perſuadere poſſit eſſe illam animi ſuſpenſionem in illa majori parte Catholicorum? Adde perſuaſum illis fuiſſe, maximam partem illius doctrinæ vel contineri apertis definitionibus Conciliorum, Tridentini præſertim; vel cum illis neceſſariò connecti. vnde minimè fuêre ad mutandam ſententiam parati. quod etiam experientia comprobauit illius ſcandali, quod patiebantur ex doctrina Baii, quæ cauſa fuit vt ea prohiberetur à Pio V. & Gregorio XIII. vt fatetur etiam ipſe Nouus Auguſtinus: & illius etiam ſcandali, quòd idem Nouus Auguſtinus præbuit toti Eccleſiæ, vt teſtatur Vrbanus VIII. in ſua etiam Conſtitutione, dum tueri voluit quod fuerat in Baio damnatum. Quod enim, quæſo, ex propoſitione doctrinæ ſcandalum naſci poteſt in animis ad eam amplectendam præparatis? Sed & quis non videt quem animum habeant Scholaſtici, & quàm determinatum in iis, quæ docent, de poſſibilitate ſeruandi mandata diuina in omnibus illis, quibus eorum tranſgreſſio ad culpam imputatur; de gratia ſufficiente ad perſeuerandum, & ad præſtandum id omne, cujus etiam omiſſio imputatur; de bonitate attritionis conceptæ ex timore pœnæ, déque illius ſufficientia cum Sacramento; de amore Chriſti erga reprobos, & intentione illos juuandi ad ſalutem; de indifferentia voluntatis ad exercitium libertatis neceſſaria, & de potentia diſſentiendi cùm conſentit, & ſimilia: quæ conſtat non quomodocumque à Scholaſticis aſſerta, ſed tanquam res aut apertè definitas, aut cum definitis connexas adeò, vt diſſentientes paſſim notent vel erroris, vel temeritatis, vel hæreſis? Quæ diſpoſitio cùm fuerit in tanta Doctorum numeroſitate, ac multitudine, vt majorem partem Eccleſiæ cum adhærentibus conficeret: & tamen erroneum eſſet, & contra fidem, vt Baiani volunt, quod tam certò docerent; ſequitur majorem Eccleſiæ partem, ac proinde Eccleſiam, abſolutè loquendo, errauiſſe in fide, & errauiſſe ſine illa, quam ſupponunt, animi ſuſpenſione, atque expectatione, quæ dubium aliquod, & diſ-

De ſtatu pur. nat. cap. 12.

K

fidentiam ſignificat, ſed cum firma ad errorem adhæſione.

11. Atque hinc diruitur quæ poterat eſſe vltima munitio Baianorum, Eccleſiam infallibilem eſſe tantùm, dum aliquid ſentit cum poteſtate, atque auctoritate, & quod ſequitur inde, impoſita credendi neceſſitate; aliàs non eſſe: vt de illa tale quippiam dicatur, quale de Papa, qui errare non poteſt quando loquitur vt Papa, & vt aiunt, ex cathedra; poteſt autem, dum agit vt vnus aliquis è numero Doctorum. Quia etiamſi admitteretur illa diſtinctio, tamen adhuc Baiani comprehenduntur, quando conſtat non ex ſimplici Eccleſiæ ſenſu, ſed ex definitionibus Pontificum, & Conciliorum probari falſa, quæ illis ſunt *doctrinæ fundamentales, & baſes fidei.*

12. Sed non eſt in illa diſtinctione quærendum Baianis profugium, quod ſit periculi plenum. Eſt enim certa illa, & fidelibus omnibus velut ingenita perſuaſio, Eccleſiam non ſolùm non poſſe fallere, cùm res fidei cum auctoritate proponit, ſed neque falli, dum eas ipſa credit. Et quis hoc in animum inducat, Eccleſiam Catholicam eſto non præcipiendo, aut ſanciendo, ſed ſimpliciter credendo fieri poſſe Pelagianam, Arrianam, Manichæam, Lutheranam, Caluinianam? Video Baianos talem quamdam Eccleſiam ſomniare, quæ pro temporum differentia, inſtar Chamæleontis, hæreticorum colores varios recipiat. Semipelagianam fuiſſe indicant eo tempore, quod inter Origenem, & Auguſtinum fluxit, dum dicunt, ſanctos Patres, *Quotquot Auguſtini ætatem antegreſſi ſunt, vnanimi penè conſenſione docuiſſe prædeſtinationem ex præuiſis meritis*, quæ ſententia tamen eſt, inquiunt, *perfectè Semipelagiana:* Sed Auguſtinum, qui, vt ipſi etiam dicunt, *ex reuelatione* contrarium didicerat, cùm fuiſſet initio eodem implicitus errore, Eccleſiam correxiſſe: & debellatis Pelagianis, ac Semipelagianis, rectam fidem reduxiſſe, toto orbe Chriſtiano plaudente, ac triumphante. Facta igitur eſt iterùm orthodoxa Eccleſia, ſteritque veritatis illa poſſeſſio vſque ad tempora Scholaſticorum, qui rationibus humanis, & Ariſtotelicæ philoſophiæ principiis imbuti, veram doctrinam adeò corruperunt, vt, ſepultâ veritate, propoſitiones, quæ fidei baſes erant, ideo fuerint à Pio V. & Gregorio XIII. prohibendæ, quòd cùm eſſent penitùs *obliteratæ*, ſuperinductis

Lib. 7. de hæreſ. Pelag. cap. 17.

Ibid. cap. 4.

De ſtatu pur. nat. lib. 1. c. 22.

contrariis erroribus, in Eccleſia *ſcandalum parerent.* Ergo Eccleſia tunc fuerit denuò Pelagiana, vel Semipelagiana, quippe cui hæreticorum illorum errores ita probarentur, vt contrariæ veritates ſcandalo eſſent. Et quia non erat futurum illud ſcandalum, nec illa Pontificum prohibitio, ſi vnus quidam extitiſſet ex tanto Doctorum numero, qui poſſet oſtendere, *propoſitiones illas ab Auguſtino Doctorum omnium coryphæo, tam intrepidè à tot ſæculis eſſe, nemine refragante, ſed Eccleſia Romana per diuerſos Præſules ſuos applaudente, traditas;* ideo prouidentia ſcilicet diuina miſſus eſt Nouus Auguſtinus, qui ſingulari, qua pollebat, ingenii felicitate, ingreſſus Antiqui Auguſtini penetralia, inibíque ſpatio viginti duorum annorum formatus, & reformatus, exiit tandem vniuerſo denunciaturus orbi, deceptos fuiſſe ignorantiâ doctrinæ Auguſtinianæ Romanos Pontifices, dum propoſitiones prohibuêre, quæ fundamentales erant fidei veritates: Erraſſe pariter Doctores omnes, qui & ante, & poſt ejuſmodi prohibitionem, eaſdem propoſitiones rejecerant: præceſſiſſe noctem, diem autem appropinquaſſe; & tempus eſſe vt aperiantur feneſtræ Soli reuertenti. Atque hoc jam agitur, vt, canonizatâ Noui Auguſtini doctrinâ, Eccleſia iterùm, & tertiò purgetur à Pelagianiſmo, fiátque Auguſtiniana, hoc eſt, orthodoxa, & verè Catholica, cujus conſilii expectatur exitus, adnitentibus omni ratione ſummis Pontificibus, vt teneat decretum, quo Noui Auguſtini doctrina declarata eſt, eſſe damnata, Baianis verò in contrarium obduratis: & neque Pontificibus, neque Regibus, neque prouinciarum gubernatoribus vrgentibus Conſtitutionis acceptationem obedire paratis, deuotiſſimis de cætero matris Eccleſiæ, & ſanctæ Sedis Apoſtolicæ filiis.

13. Satis ſcilicet intelligebant, ipſorum dogmata probari non poſſe ab Eccleſia, niſi fieret vniuerſalis quædam communium ſenſuum & doctrinæ, quaquaverſum receptæ mutatio, ideóque vt huic innouationi viam ſternerent, & animos Chriſtianorum præpararent, ſubindicare voluerunt viciſſitudines iſtas, & contrariarum ſententiarum alternos recurſus minimè alienos eſſe ab Eccleſiæ conſtantia, atque ab ea, quam profitetur immobilitate fidei. Vide quid dicat No-

Lib. proœm. cap. 30. uus Auguſtinus. *Sed abſit, vt alterutro modo Eccleſia, ſiue filii ejus doctrinam Auguſtini minùs intellectam è ſcholis exturbauerint, ſiue nouam introduxerint, ſiue introductam demum abolendo proſcripſerint, vllum de ſuſcepto errore diſcrimen ſubeat.* Iam notatum eſt, ſupponere illum majorem partem Eccleſiæ iſtis mutationibus conſentire. Atque ita quemadmodum putat Eccleſiæ filios, ipſa conſentiente, Spiritus ſancti doctrinam initio traditam *exturbaſſe*, nouâ introductâ inter Origenis, & Auguſtini tempora; ita eadem conſentiente, ſupponunt ipſius filios Scholaſticos *exturbaſſe* denuò doctrinam Auguſtini, nouâ introductâ jam à quingentis annis. Et quemadmodum Auguſtinus diuinâ reuelatione monitus Eccleſiam purgans introductam à tempore Origenis doctrinam illam *abolendo proſcripſit*; ita jam ſperabant fore vt Nouus Auguſtinus & eandem purgaret Eccleſiam, & introductam à tempore Scholaſticorum doctrinam *abolendo proſcriberet*. Hos enim filiorum ſuorum ludos & pati Eccleſiam, & probare. Vnde eſt id quod addam, quòd nimirum res illa minimè ſit inſolita, vel inuſitata, Eccleſiam non debere *terreri*, *aut impediri*, quominùs nouo ſurgente jam Sole, Scholaſticorum opinationes, *quantocumque patrocinantium numero roboratas*, *quibuſcumque locis diffuſas*, *quotcumque ætatibus propagatas*, ad incudem reuocet & examinet, abolendas videlicet & proſcribendas, tanquam Auguſtini ſenſibus contrarias. Vbi vides hujuſmodi Doctores nihil moueri, quamuis concurrant omnes illæ catholiciſmi notæ, quas aſ-

Cap. 3. ſignat Vicentius Lirinenſis, *Vniuerſitas*, *Antiquitas*, *Conſenſio*; quominus doctrinam aliquam proſcribant. Et quaſi Eccleſia eſſet aliquid præter omnes qui eam componunt, quamuis omnes errauerint, & omnibus locis, & omnibus ſæculis, negant tamen ipſam *vllam de ſuſcepto errore diſcrimen ſubire.* De cætero vt olim vnus Auguſtinus antiquos omnes emendauit, ita nunc vni Auguſtino recenti præ omnibus, & ſuper omnes credendum. O quàm bellè illi, dum talem nobis cudunt Eccleſiam, negotium promouent Lutheri, & Caluini!

CAPVT VIII.

Illa Baianorum Theologia ſecum pugnat.

1. VERVM dum illi hunc in modum oppugnant infallibilem Eccleſiæ authoritatem, ſuas ipſi machinas, & nouorum dogmatum fundamenta dejiciunt. Sequitur enim primò Auguſtinum fruſtra contra hæreticos producere teſtimonia Patrum antiquorum Cypriani, Ambroſii, Baſilii, Chryſoſtomi, &c. quod tamen ſæpe facit, niſi ſimul oſtendat ea quæ dicunt ab ipſis proponi tanquam determinata jam, & decreta, vel à Conciliis, vel à Romanis Pontificibus. Si enim errare poteſt Eccleſia, niſi dum res ita proponit, omiſſâ illâ circunſtantiâ, argumentum à ſenſu Eccleſiæ petitum nihil premere poteſt reſponſuros, verum quidem eſſe, quod ita ſenſerint Patres, & Eccleſia, cujus illi ſenſum exprimebant, ſed falſum eſſe poſſe ſenſum illum, dum Eccleſia non definit, nec præcipit vt approbetur.

2. Sequitur ſecundò, nullius eſſe momenti quæcumque illi ex ipſomet Auguſtino congerunt, quamdiu non oſtendent id, quod ab illo traditur eſſe definitum, & cum neceſſitate credendi ab Eccleſia propoſitum. Nam eſto vbique loquatur Auguſtinus ex ſenſu Eccleſiæ, tamen quia ſenſus ille poteſt eſſe falſus ex hypotheſi, nihil repugnat quominus Auguſtini teſtimonium falſum ſit. Et quemadmodum certus eſt tantùm ſenſus Eccleſiæ quando proponitur cum obligatione credendi, vt ſupponunt, ita certus erit Auguſtini ſenſus tunc tantùm, quando talem præ ſe feret obligationem. Quo ſemel obtento, Baiani ad ſingula Auguſtini teſtimonia ſiſtentur, vt illam obligationem oſtendant, quod tamen raró admodum poterunt.

3. Et creſcet illis difficultas ex Cæleſtini declaratione ad Epiſcopos Galliæ, qui cùm perſpicuè diſtinguat in Auguſtini doctrina propoſitiones neceſſarias ad conuincendos errores à profundioribus quibuſdam quæſtionibus, quas ſicut non audet contemnere, ita nec neceſſe putat definire; quid-

quid afferetur ex Auguſtino quod non erit cum prioribus illis propoſitionibus neceſſariò connexum, fruſtra erit: quia non fuerit definitum, eritque reducendum ad quæſtiones indeciſas: eſto fuerit conſentaneum communi Eccleſiæ ſenſui pro illo tempore.

Sequitur tertiò, Auguſtinum peccare in principiis, quibus & Catholicos confirmat, & oppugnat hæreticos, cujuſmodi eſt illud quod ponit in epiſtola ad Ian. *Eſſe inſolentiſſimæ inſaniæ* dubitare quin ſequendum ſit illud, *quod tota per orbem frequentat Eccleſia*, quâ ſententiâ ſignificat ſimplicem vſum Eccleſiæ, ſed tamen vniuerſalem, ſumi debere pro regula agendorum. Quis autem non videt eadem ratione ſimplicem ſenſum Eccleſiæ, ſed tamen vniuerſalem, debere ſimiliter ſumi pro regula credendorum? Et quæ veri ſimilitudo eſt, vt conſuetudo vniuerſalis aliquid faciendi, tranſeat eo ipſo in præceptum illud faciendi; vniuerſalis verò conſuetudo aliquid ſentiendi, non inducat pariter obligationem idem ſentiendi? Aut ſi poteſt vllâ ratione putari falſum quod generaliter approbatur ab Eccleſia, eſto liberè approbetur, & ſine antecedenti decreto id approbandi; quid obſtat quominus putari poſſit malum, ac proinde non faciendum, quod generaliter vſurpatur ab Eccleſia, quando ex ſimplici conſuetudine vſurpatur, ac ſine præuio ita faciendi præcepto? Quomodo ergo erit *inſolentiſſimæ inſaniæ* hoc dicere, aut cogitare?

Epiſt. 118.

4. Eódem ſpectat quod dicit de vnitate Eccleſiæ, recipiendos hæreticos ad fidem redeuntes, *quemadmodum Eccleſia recipit.* Non dicit quemadmodum præcipit recipiendos, ſed quemadmodum recipit. Vult enim Eccleſiæ praxim regulam eſſe, cui conformari debeamus, propter teſtimonium, quod illi à Chriſto datum eſt, quo teſtimonio confici putat, *vt ſit nefarium Eccleſiæ non credere.* Quòd ſi licitum eſſe poſſet illi non credere in iis quæ docet, niſi addat credendi præceptum, eo quòd aliter falli poſſit; quare non erit etiam licitum illi non credere in iis quæ facit, quando non addet præceptum imitandi? Scio Bicephalos, qui Eccleſiam in ſua diſciplina corruptibilem putant, facilè conceſſuros currere paritatem: & neque generalem vſum Eccleſiæ, neque gene-

Cap. 12.

talem ſenſum dare nobis certam, aut agendi, aut credendi regulam. Sed ego jam non quæro quid illi ſentiant, ſed quid ſentiat Auguſtinus: qui cùm *nefarium* putet non conformari Eccleſiæ in receptis vbique conſuetudinibus, infallibilitatem ejus poſuerit, non in ejus præceptis tantùm, aut canonibus; ſed in conſtanti, & vbique recepto vſu, ſenſúque.

5. Et confirmatur ex eo quód Auguſtinus paſſim minimè confugiat ad præcepta, vel determinationem Eccleſiæ, aut deciſiones, ſed ad prædicationem ejus, ad commendationem, ad traditionem, ad teſtimonium, conſuetudinem, morem, &c. vt inferat ſequendum id eſſe, quod eo modo proponit. Minimè dubitari vult de veritate ſcripturarum, quas *commendat*, inquit, Eccleſiæ authoritas. In tractatu de Cantico nouo cap. 5. & 6. audiri vult quod in Eccleſia *prædicatur*. In acceptatione librorum veteris, & noui Teſtamenti attendit ad *Traditionem* Eccleſiæ. Circa doctrinam de Purgatorio, & vtilitate orationum, quæ fiunt pro mortuis, ſpectari vult *conſuetudinem* Eccleſiæ. Et in rebus, in quibus nihil certi ſtatuit Scriptura diuina, *morem populi Dei pro lege tenendum* dicit. Et in Epiſtola ad Dioſcorum, per paucos piè doctos, & verè ſpirituales viros, hoc eſt, per ſanctos Patres, *inuictiſſima ratione* armatam Eccleſiam putat, quod genus munitionis diſtinguit ab authoritate quam habet ad imperandam fidem: vt oſtendat vtroque modo infallibilem eſſe, & dum imperat fidem per decreta, & canones, & dum conſtanter aliquid docet ſine vſu talis imperii. Et quomodo verum eſſet quod dicit Eccleſiam eſſe *ſine macula, & ruga?* Senſus erroneus, quo jam tradita diuinitùs doctrina per totam Eccleſiam corrumpatur, nullàne macula eſt, nulla ruga, niſi ſpargatur per canones, & decreta? Erroneæ doctrinæ lepra non eſt lepra, niſi accedat decretum, quo donetur nomine ſanitatis?

[Confeſſ. c. 7. & con. Ep. fund. cap. 5. — Serm. 191. de temp. — Lib. de cura pro mortuis, cap. 1. — Ep. 86. ad Caſul. — Ep. 56. — 4. de ſymb. cap. 13.]

6. Adde quod dicit lib. 1. cont. Iul. vbi objicienti Iuliano paucitatem aſſertorum Catholicæ veritatis, reſpondet Auguſtinus, *Quaſi parua ſit ejus aſſertio, quòd in hoc fidei firmiſſimo, & antiquiſſimo fundamento, ipſa toto orbe diffuſa non à ſe diſcrepat multitudo.* Quod nihil eſt, ſi, vt vult Nouus Auguſtinus, *quantalibet multitudo* non populi modò, ſed & Doctorum, & quod ſe- Cap. 7.

quitur inde Præſulum Doctoribus adhærentium, quibuſcumque locis diffuſa errare poteſt, & quidem in illis ipſis fundamentis, quæ Auguſtinus antiquiſſima vocat, & firmiſſima, quandoquidem id putat Nouus Auguſtinus accidere
Lib. procem.c.3. poſſe, quin & accidiſſe reipſa *in pleriſque capitibus doctrinæ Auguſtini*, quibus continentur, vt aliàs loquitur, *fundamentales*
De ſtatu pur. nat. *veritates, & baſes fidei*. Huc etiam refer quod dicit Auguſti-
lib. 3. cap. 22. nus cont. Ep. fundamenti, dum inter eas rationes, quibus ſe in Eccleſia Catholica teneri fatetur, primam ponit *conſen-*
Cap. 4. *ſionem populorum*, quæ deberet potiùs vltima cenſeri, ſi poſſet quantalibet Chriſtianorum multitudo quibuſlibet locis diffuſa circa fidei baſes errare.

Lib. 4. c. 12. 7. Adde quod etiam dicit contra duas Epiſt. Pelag. *Paucas hæreſes eſſe, propter quas damnandas neceſſitas Synodalis congregationis exſtiterit: & incomparabiliter plures eſſe, quæ vbi extiterunt illic improbari, damnarique meruerunt.* Vix enim damnatæ ſunt hæreſes vllæ, niſi Eccleſiæ authoritate propoſita: quæ ſi non vrget, nec eſt neceſſarium veritatis argumentum, niſi dum aliquid definit, impoſitâ conſentiendi obligatione; cùm hoc facere nequeat, niſi ſynodaliter congregata, fuiſſent paſſim cogendæ Synodi: nec illæ tantùm prouinciales, & paucorum Epiſcopornm, quippe quæ non habent infallibilem ſancti Spiritus aſſiſtentiam; ſed generales, & Eccleſiam vniuerſam repræſentantes. Quod cùm fuiſſe factum, aut vt fieret neceſſarium Auguſtinus neget, ſignum eſt non credidiſſe illam infallibilitatem Eccleſiæ alligatam eſſe determinationibus illis: & ſufficere quòd alia ratione demonſtrari poſſit hæreticis vniuerſalis Eccleſiæ conſenſus ad corrigendos eorum errores. Ergo non putauerit Auguſtinus hunc conſenſum eſſe poſſe erroneum, cùm erroneus conſenſus erroribus fouendis potiùs, quàm emendandis prodeſſe poſſit.

8. Ad extremum ex dictis colligi poteſt inanem eſſe rationem illam, quam Baiani ſuggèrunt, ad malum, de quo diſputamus, eleuandum, & ſanandum, cùm dicunt, Eccleſiæ filios ſuis illis erroribus, quibus rectam fidem inaduertenter *interimunt*, adhærere *cum animi ſubmiſſione ſub tribunal Eccleſiæ*, & ita ſentire animo ad corrigendam opinionem præparato, *ſi fortè ſcripturis, aut Conciliis, aut Pontificibus Romanis aduerſa declaretur.*

declaretur. Ex dictis, inquam, intelligitur hæc fruſtra eſſe. Quia cùm hoc malum erronearum opinionum contingere poſſe dicatur *in quantalibet multitudine, quibuſcumque locis diffuſa, quotcumque ætatibus propagata*, ſequitur, vt jam ſæpè dictum eſt, eſſe poſſe malum Eccleſiæ totius: nec abnuunt Baiani, dum fatentur eſſe poſſe, malum *non exiguæ, ſed maximæ partis Eccleſiæ*. Quo poſito, cùm Eccleſia ipſa ſit, quæ hoc malo laborat, vbi erit illa *ſubmiſſio ſub tribunal Eccleſiæ*, quæ excuſabit errorem? An ſubmitti volunt Eccleſiam Eccleſiæ tribunali? An duas confitentur Eccleſias, vnam inaduertenter errantem, quæ eſt iſta noſtra, diffuſa per omnes gentes, & aliam in concauo Lunæ ſitam, vel in ſpatiis imaginariis regnantem, cui ſe noſtra iſta ſubmittat? Et quod dicunt quis præſtabit? Quis, inquam, declarabit *contrarium eſſe ſcripturis, aut Conciliis, aut Pontificibus Romanis id, in quo Eccleſia tota conſentit?* Et ſi cui ſatis eſt fiduciæ, vt declarationem hujuſmodi obtrudat Eccleſiæ, num rectæ rationi conſentaneum putant, vt ei tota Eccleſia credat? non debet ille potiùs cogitationes ſuas habere ſuſpectas, quas videt communi conſenſui Eccleſiæ repugnare? Non debet audire monentem Auguſtinum, *Agnoſce, fili, conſonas Catholicas voces, & ab eis deſine diſſonare?* Non erit tali monomacho obiiciendus à quo debelletur, *Vbique diffuſus Chriſti exercitus?* Credendum erit *vſque adeò miſcuiſſe ima ſummis longum diem, vſque adeò tenebras lucem, & lucem tenebras dici*, vt videant priuati quidam Doctores, & cæci ſint qui lumen ſequuntur vniuerſaliſſimæ approbationis Eccleſiæ? Ecquis ordinem inſtituit adeò peruerſum, vt in illa matris tot filiorum cum eorum vno diſſenſione, cogatur illa immenſæ familiæ ſententiam vnanimem, atque adeò ſuam mutare, vt vnius ſenſum approbet? Vbi præceptum eſt matri, vt filio credat, quemadmodum præceptum eſt filio, vt credat matri? Et vbi præceptum eſt vt credat vni contra omnes, cùm, exceptis ſomniis inſanientium, nemo non videat omnibus potiùs credendum eſſe?

Lib. cont. 2. Iul. cap. 5.
Ib. lib. 5. c. 1.
Ib. cap. 10.

CAPVT IX.

Bicephalorum meditationes meritò ſuſpectæ.

1. HIc nimirùm ſubintrant Bicephalorùm meditationes, qui ſollicitè conſiderandum putant, poſtquàm Deus loquutus eſt hominibus per Prophetas, per Filium, per Apoſtolos, per Patres, qui Apoſtolis ſucceſſerunt, collabente ſucceſſu temporis Eccleſiæ diſciplinâ, *non aliter loqui, quàm ſuſcitando magnum quemdam Epiſcopum*, qui verbo, & exemplo ad primam formam omnia reducat: atque hoc voluiſſe prophetam cùm dixit, *Semel loquutus eſt Deus.* Semel, inquam, quia ſi non audiatur, qui per illum Epiſcopum loquitur, Deus, in ſemetipſum ipſe recedit, longóque ſilentio ire homines ſinit in deſideria cordis eorum. De diſciplina loquuntur; ſed prærerquamquòd vel æqua, vel major eſt ratio, vt ad doctrinam quod dicunt extendatur, ſpero me ipſis viſum iri minimè malum ſuarum cogitationum interpretem, ſi ſupponam hoc exemplum illi meditationi, Deum Eccleſiæ ſuæ Pelagianiſmi ſpeciebus, quas impreſſêre Scholaſtici, deformatæ, non aliter loquutum, quàm ſuſcitato magno Epiſcopo, qui ad Auguſtinianæ Theologiæ puritatem hodiernos ſenſus conformaret: cui etiam magnum quemdam Abbatem adjunxit, ad collapſam diſciplinam in integrum reſtituendam.

In præfatione libri de freq. Com.

2. Hic eſt ille *Declarator*, qui miſſus eſt ſingulari Dei prouidentia, vt Eccleſiam doceat, quos habet ſenſus, contrarios eſſe *ſcripturis*, *Conciliis*, *Pontificibus Romanis*: & ſiquidem hujuſmodi declarationem acceptat Eccleſia, non errauerit in fide: ſi non acceptat, quis ejus errorem excuſauerit, cùm illa tantùm præparatione ad acceptandam veritatem excuſaretur? Non puto vllam eſſe in hoc meo judicio temeritatem: nec vereor ne me illi falſum dicant Declaratorem ſuorum myſteriorum, ſed tantùm nimis fortaſſe perſpicuum, nimiſque candidum. Mallent enim errorem ſenſim ſpoliari, vt oculi paulatim aſſueſcerent: qui dum totum ſubitò monſtrum nudum apparet horrere ſolent.

3. Sed examinandus eſt hic Declarator. Et in primis, quid quæſo, vult declarare? Contrarium eſſe, inquies, *Scripturis, Conciliis, Pontificibus Romanis*, quod *non exigua, ſed maxima pars Eccleſiæ opinatur*, de ſtatu puræ naturæ, de ignorantia inuincibili, de indifferentia liberi arbitrii, de gratia ſufficienti, & oblata reprobis ſalutis facultate. Quid? Ergo Scripturis ſunt iſta contraria? Verùm Aduerſarii ſcripturæ teſtimonia ſegniter vrgent. Conciliis igitur? Atqui Tridentinum Concilium, Concilium eſt. Num eſt contrarius hodiernus ille ſenſus Eccleſiæ Tridentino? Pontificibus ſaltem? Sed fuêre Romani Pontifices Pius Quintus, Gregorius Decimustertius, Vrbanus Octauus, Innocentius Decimus. An horum definitionibus repugnant illæ propoſitiones, quarum contradictorias cenſuerunt in perpetuum abolendas? Sed Aduerſarii neque iſta poſteriorum temporum Concilia, nec modernos Pontifices Romanos intelligunt. Concilia proponunt antiqua, & Romanos Pontifices illos, qui D. Auguſtini doctrinam olim probarunt. Nos verò, & antiqua Concilia, & antiquorum Pontificum approbationes, ac definitiones veneramur, & amplectimur; ſed cùm modò controuerſa ſit eorum intelligentia, quidni ſequamur & poſteriora Concilia, & poſteriores Pontificum Romanorum definitiones: cùm præſertim Auguſtinus regulam tradat, quâ docet priora Concilia poſterioribus explicanda? Hic illi ſpretis Conciliorum, & Pontificum recentiorum definitionibus, fidem haberi volunt declarationibus ſuis. (2. de Bapt. cont. Donat. cap. 3.)

4. Atqui Eccleſia contrarias habet definitiones, & declarationes: & in iis, quæ ad ipſa fidei fundamenta pertinent, negat Auguſtinus vni etiam Epiſcopo, etiam magno, quin & maximo credendum contra multitudinem aliorum, pariter Epiſcoporum: neque enim licere tunc vni ab aliis diſſentire. *Itane*, inquit, *iſta verba Ioannis Epiſcopi*, de Chryſoſtomo loquitur, *audes tanquam è contrario tot taliúmque ſententiis collegarum eius opponere; eúmque ab illorum concordiſſima ſocietate disjungere, & eis aduerſarium conſtituere?* ABSIT ABSIT, HOC MALVM DE TANTO VIRO CREDERE, AVT DICERE. *Alia ſunt in quibus aliquando etiam doctiſſimi, atque optimi regulæ Catholicæ defenſores, ſalua fidei compage, non conſonant; hoc autem vnde nunc agimus,* (Cont. Iul. lib. 1. cap. 6.)

ad ipſa fidei pertinet fundamenta. Et ideo negat ſe Chryſoſtomo adhæſurum, ſi ejus eſſet ſententiæ, quam illi Iulianus adſcribebat. Ad fidei fundamenta pertinere putant Nou-Auguſtiniani quæſtiones illas, in quibus à Scholaſticis, atque hodierno Eccleſiæ ſenſu diſſentiunt, vt eſt quæſtio de poſſibilitate ſtatus puræ naturæ, de gratia ſufficiente, &c. Ergo juxta Auguſtinum *malum* erit opponere vnum Epiſcopum cæterorum collegarum ſententiis, eúmque ab illorum concordiſſima ſocietate disjungere in his, & ſimilibus quæſtionibus. Ergo ſi ſe illis ipſe opponat, atque ab eis disjungat, juxta ſententiam Auguſtini, non erit *magnus quidam*, ſed *malus quidam* Epiſcopus. Hæc enim duo Auguſtinus opponit, & aliud ſapere, quàm quod ſapit concors aliorum multitudo, & in Eccleſia eminere, cùm dicit Chryſoſtomum alloquens, *Sed abſit, vt tu aliud ſaperes, & in Eccleſia tam præcipuus emineres.* Cui etiam paulò antè dixit diſceſſurum ſe ab illo, ſi ab aliis ipſe diſcederet.

5. Quòd ſi contendat iſte Declarator, declaratione ſua monſtrare Pelagianam eſſe doctrinam, quam maxima pars Eccleſiæ recipit, quid reſpondebit objicientibus id ipſum, quod objiciebat Auguſtinus Iuliano, mutatis tantùm nominibus hæreticorum, *Tantúmne apud te poſſunt* Lutherus, & Caluinus, *vt à Solis ortu vſque ad occaſum, tot, ac tantos fidei Catholicæ Doctores & Defenſores antiquos, & noſtræ ætati contiguos, dormientes, & manentes, non ſolùm deſerere, ſed etiam Pelagianos audeas appellare?* Quot enim & quanti ſunt omnes illi Doctores, & Epiſcopi, qui à quingentis annis ad hodiernum vſque diem, Catholicam fidem muniuêre contra omne genus errorum, & ſine vlla inter ſe diſſenſione docuere, quæ vnus quidam nuper poſt Lutherum, & Caluinum Pelagiana vocare cœpit Placita? Et ille *magnus* in Eccleſia dicendus erit, qui tantam multitudinem, & talem, non ſolùm deſerere, ſed etiam Pelagianam audet appellare?

Ibid. cap. 5.

Auguſtinus à ſe reiicit opinionem illam quòd vnus eſſet, qui Pelagianis reſiſteret. *Vnum me*, inquit, *dicis egreſſum, qui in ſe ſummam prælij ſitam eſſe optat intelligi. Ecce non ego vnus, ſed tot, ac tanti Sancti, eruditique Doctores tibi pro me, vel mecum, próque omnium noſtrûm, & tua ipſius ſi cupis, ſalute reſpon-*

Ib. c. 7. & 8.

dent. Atque hæc eſt *authoritatis moles*, qua putat *confringi* argumenta Iuliani omnia. Quid ſimile habuit Auguſtino Declarator noſter, quando vnus egredi auſus eſt, qui cæteros diceret Pelagianos? vel quid non habet quilibet eorum, qui ei reſiſtunt, cùm dicere poſſit, ecce non ego vnus, ſed tot ac tanti ſancti, eruditique Doctores tibi pro me, vel mecum reſpondent, quotquot videlicet doctrina, & ſanctitate floruerunt, ſaltem vt Baiani etiam fatentur à quingentis annis. Hanc *authoritatis molem* cùm oppoſuerit quis contrariis declarationibus, Declarator quid reſpondebit? Quam opponet authoritatem? Sit Epiſcopus, ſed plures alii. Sit Doctor, ſed plures alii. Si Sanctum addideris, dicam etiam, ſed plures alii, & majori certitudine Sancti ſunt. Et Eccleſia cujus communem doctrinam oppugnat, ſancta eſt. Hæc eſt *moles authoritatis*, quid habet quo illam ſuſtineat?

6. Auguſtinus *deuiari* poſſe ſupponit *à veritate*, in iis quæ ſcripſere, vel quæ ſcribunt Epiſcopi, poſt canonem Scripturarum, vt ipſi etiam Nou-Auguſtiniani notarunt: ideóque poſſe illos *reprehendi, & per ſermonem fortè ſapientiorem cujuſlibet in ea re peritioris, & per aliorum Epiſcoporum grauiorem authoritatem, Doctorúmque prudentiam, & per Concilia.* Ecce, non opponimus magno iſti Epiſcopo, & abſconditarum veritatum Declaratori, vnum quendam vel Doctorem, vel Epiſcopum alium, ſed numeroſitatem omnium tum Doctorum, tum Epiſcoporum, qui tot ſæculis floruerunt. Opponimus etiam Epiſcoporum Epiſcopos quatuor Summos Pontifices, qui damnarunt doctrinam ab eo declaratam. Opponimus Oecumenici Concilii minimè obſcuras ſanctiones. Hæccine non eſt *grauior authoritas?* Tanta mole quomodo non obruatur quidquid ille proponit? & quo jure poſtulat, vt ſibi potiùs, quàm reliquæ credatur Eccleſiæ?

2. de Bapt. cont. Donat. cap. 3. L. proœm. cap. 30.

7. Quærimus etiam vt dicat nobis vnde ſuas hauriat declarationes. Nam Auguſtinus ſemper profeſſus eſt ex Eccleſiæ ore ſe pendere: & quæcumque contra hæreticos diceret, in tantum probare, in quantum Eccleſia confirmaret, *ne Euangelio quidem crediturus, niſi Eccleſia fidem faceret.* Cæteros verò Patres ideo laudabat, ideo ſequebatur, ideo ſequendos exiſtimabat, quòd ſuam illi doctrinam ab Eccleſia ſumpſiſ-

ſent. *Quod inuenerunt*, inquit, *in Eccleſia, tenuerunt; quod à patribus acceperunt, hoc filiis tradiderunt.* Et anteà lib. 1. cap. 7. idem fatetur de ſe ipſo quod de patribus, *docere* nimirùm *quod didicerit.* Satis ſcilicet exploratum illi erat, Eccleſiæ ſoli commiſſum eſſe diuinæ doctrinæ depoſitum: ergo ab ea ſola eſſe repetendum. Hic autem declarator vnde haurit ſuas declarationes? An ab Eccleſia? Sed communiſſimus Eccleſiæ ſenſus contrarius eſt, & ſententiam, quam ille proponit, *euertit*, atque *interimit.* Ecquas poteſt Eccleſia ſuggerere declarationes, quàm quæ ſunt intelligentiæ ipſius vniuerſali conformes? Vniuerſalis eſt, v. c. illa intelligentia, quâ putatur dari gratia per Chriſtum, quæ ſit ſufficiens reſpectu illius effectus, reſpectu cujus non eſt efficax; an ergo ſuggerit Declaratori, *gratiam ſufficientem eſſe monſtrum in Theologia?*

Cont. Iul. Lib. 2. c. 10.

8. Sed Eccleſia, inquit, jubet nos Auguſtino credere: & Auguſtinus docet nullam eſſe gratiam illam ſufficientem. Primò, Auguſtinus, vt anteà dictum eſt, nos viciſſim reducit ad Eccleſiam, & ab illa jubet exſpectare credendorum explicationem. Secundò, Eccleſia, quæ nos ad Auguſtinum mittit, diſtinguit in ejus doctrina ea, quæ neceſſariò credenda ſunt, ab iis quæ non ſunt neceſſariò credenda. Tertiò, de mente Auguſtini controuerſia eſt: & quod ipſe putas ab eo confirmatum, ego negatum contendo. Quid ergo facimus, & vnde authoritatem acceſſis declarationi tuæ? Res, inquiunt, ex ſcriptis Auguſtini eſt manifeſta. At, inquam, ego eadem ſcripta lego, & contrarium inuenio. Hic illi præjudicium faciunt de ſtudio viginti duorum annorum. Ego verò præjudicium oppono de ſtudio quingentorum, & non vnius hominis, ſed Eccleſiæ vniuerſæ. Et quia quò attentiùs, ac diutiùs Auguſtinum lego, eò confuſiores inuenio Nou-Auguſtinianorum declarationes: quid aliud ſperare poſſum quàm poſt annos non tantùm viginti duos, ſed & quadraginta quatuor, ſi tandiu liceret incumbere illi ſtudio, cenſenda eorum dogmata magis, magiſque ab placitis Auguſtini abhorrentia? Præoccupatus es, inquiunt, philoſophicis opinionibus, & ſtudio partium. Tu verò, inquam, quid dices cùm hoc ego ipſum tibi reſpondero? Quis enim non

videt idem quoque mihi jus eſſe pariter calumniandi?

9. Ergo quid habebit magnus ille, quem dicunt, Declarator, vnde intelligi poſſit Deus illius ore homines alloqui? Scilicet hoc vnum reſtat, vt tandem ad ſpiritum priuatum, & arcanam Dei prædeſtinationem res tota reducatur, dum dicuntur dari prædeſtinatis oculi qui videant lucem illarum declarationum; reprobis verò negari. Neque verò id magnopere abhorret ab eo quod dicunt Deum, poſtquam audiri non potuit magnus ille, quem per interualla temporum mittere conſueuit Epiſcopus, recedere in ſemetipſum veluti limacem in ſuam cochleam: ac permittere homines ſibi ſuiſque affectibus obnoxios in impœnitentia vitam claudere.

CAPVT X.

Parallelum Baianorum & Caluiniſtarum.

1. CONFERAT igitur Lector Catholicus hujuſce doctrinæ ſeriem cum principiis Caluiniſmi, & parallelum hoc inſpiciat. Interrupto ſeu vt aliàs loquuntur Caluiniſtæ, corrupto Eccleſiæ veræ ſtatu, neceſſe fuit ſanctos quoſdam viros à Deo excitari, vt eam reſtituerent.

Ex ſententia Bicephalorum Eccleſiæ in diſciplina doctrináque alteratæ, Deus non aliter loquitur quàm excitando *magnum quemdam Epiſcopum*, qui collapſa reſtituat.

Regula ad quam reformare debent Eccleſiam illi Caluiniſtarum *ſancti*, non alia eſt, quàm ſacra Scriptura. quam ipſamet Eccleſia ſuppeditat.

Regula ad quam reſtituenda eſt Eccleſia à *magno* illo Bicephalorum *Epiſcopo*, non eſt alia, quàm Auguſtinus ab ipſa Eccleſia, & Romanis Pontificibus commendatus.

Objicientibus Scripturæ obſcuritatem Caluiniſtæ reſpondent, in iis omnibus, quæ ad ſalutem ſpectant, eſſe perſpicuam: nec aliis opus eſſe adjumentis, ad habendam germanam ejus interpretationem.

Objicientibus eſſe dubium, ac diſputabile, quid ſenſerit

Auguſtinus in quæſtionibus illis, quæ modò diſceptantur; Reſpondent Nou-Auguſtiniani *conſtantiſſimam*, *certiſſimam*, *clariſſimam* eſſe illius doctrinam, & attentis tantùm oculis opus eſſe.

Si dicamus Caluiniſtis, non videre nos lucem illam, quam dicunt Scripturarum: & rationem aliquam petamus, qua ex multis interpretationibus, illa quæ vera eſt eligatur; Reſpondent, loca varia conferenda, alterum enim ab altero illuſtrari.

Si dicamus Nou-Auguſtinianis, nobis quoque obſcuram eſſe claritatem, quam dicunt Auguſtinianæ Theologiæ; ſtudium longum præſcribunt illuminandis oculis, & multiplicem illius lectionem.

Dicimus Caluiniſtis, poſt quotcumque inſpectiones Scripturæ, & quaſcumque locorum collationes, nondum tamen videre nos quod illi vident; Illi reſpondent, id eſſe tribuendum excæcationi mentis, & arcano Dei judiciò, quo negatus eſt Spiritus, qui teſtimonium reddat ſpiritui noſtro, quòd ea ſit veritas.

Dicimus Nou-Auguſtinianis, poſt quotcumque Auguſtini lectiones, & quantamcumque meditationem, non affulgere nobis illam quam dicunt claritatem. Hîc quid illi reſpondeant? Locus admonebat, vt nos ad præſentis temporis Eccleſiam, & viua ſanctæ Sedis Apoſtolicæ oracula mitterent. Sed hoc facere non poſſunt. Poſtquam enim *Deus non loquitur niſi per magnum quendam Epiſcopum*: & ego vocem ejus intelligere non poſſum; quid ſupereſt, niſi vt hæc cenſeatur eſſe deſertio quædam Dei, & excæcatio? & verò id etiam illi tribuendum cenſent *arcanis tremendiſque Dei judiciis*. Huic verò excæcationi remedium Eccleſia facere nullum poteſt. Quomodo enim poteſt, ſi Deus non loquitur niſi per *magnum illum Epiſcopum*, qui tamen ex hypotheſi non admittitur? Nam hoc ſemel ſtatuto, non eſt igitur verbum Dei, quod audio in concionibus. Non eſt diuina doctrina, quam doceor in Scholis Theologicis. Non eſt Chriſtiana inſtitutio, quæ traditur in tot libris quot editi ſunt, & eduntur quotidie, de rebus ad fidem ſpectantibus. Non loquitur Deus per Romanos Pontifices. Non per Concilia, quæ vltimis

hiſce

hiſce temporibus coguntur. Denique ſecluſo *magno illo Epiſcopo*, non loquitur per Eccleſiam, niſi fortè per Eccleſiam temporis ſanctorum Baſilii & Auguſtini, hoc eſt, per Eccleſiam mutam. Quare non intellecto *magno illo Epiſcopo* ſola reſtat deſperatio, pro tota multitudine, quæ non intelligit: hoc eſt, pro tota Eccleſia præſente, quæ illum explodit. Soli ergo ſuperſunt pauculi illi fortunati, quos peculiari Spiritu ſuo Deus illuſtrauit, vt viderent quod cæterorum nemo videre poteſt. Atque hæc eſt prædilectio quædam Bicephalorum & prædeſtinatio.

2. Iam verò quia Eccleſia in qua Deus non loquitur, ſpectrum potiùs eſt, & cadauer Eccleſiæ, quàm vera Eccleſia; hoc etiam ſequitur, repudiato magno illo Epiſcopo, Deóque in ſuum reducto latibulum, otioſo pereuntium hominum ſpectatore; reſtare nobis ſimulacrum Eccleſiæ: vt hîc etiam Caluiniſtis concinant viſibilis, & inuiſibilis Eccleſiæ alternationes fingentibus. Et quomodo non concinunt Aureliani, qui, vt anteà notatum eſt, hodiernam Eccleſiam nec cor habere ſupponunt, nec cerebrum: ideóque non aliam eſſe volunt regulam Catholicarum veritatum, quàm Eccleſiam temporis ſancti Baſilii, & ſancti Auguſtini? Optabile ſit ſpectaculum, & ſapientum oculis dignum, recens à palæſtra Bicephalorum pugil cum athleta Geneuenſi compoſitus, in controuerſia illa capitali de auctoritate Eccleſiæ, déque ſuæ cujuſque fidei analyſi, dum ille ex Auguſtino, ex Scriptura iſte clypeum facit. Saluus ſim, niſi propriis ipſius armis Iprenſem Geneuenſis conficiat, idque eo probabiliore victoria, quòd ſpecioſior ſit Scripturæ, quàm Auguſtini prætextus.

3. Quid ergo, inquies, ſibi vult toties repetita ſolemnis illa teſtificatio, *Ad extremum vſque ſpiritum Romanam Eccleſiam ducem ſequendi, & beatiſſimi Petri in Romana Eccleſia ſucceſſorem, tenendi quidquid ab illo præſcriptum fuerit, improbandi, damnandi, anathematizandi quod fuerit ab illo improbatum, damnatum, anathematizatum?* Ego verò malim vt huic objectioni reſpondeant Nou-Auguſtiniani, qui ſuæ doctrinæ condemnationem decies inculcatam à Romanis Pontificibus obſtinatè pergunt vocare *ſub & obreptitiam*, certi non conſentire, donec id definiatur, quod ipſis viſum eſt. Si vera ſit, ſinceráque ſui

Lib. proœm. cap. 39

M

Coryphæi promiſſio, cur non imitantur ſubmiſſum ac docilem animum? Si non fuit; æquo animo ferant detegi fraudem, & ſimulatorum officiorum hypocriſim. Nempè ille jam oſtendit ſe artem callere, quâ veram fidei profeſſionem praua intelligentia interimere poſſit, & euertere. Bona ſit, an mala diſpoſitio animorum, relinquendum eſt judicio ſcrutatoris cordium; quod prodit exteriùs, legitimam dat occaſionem exiſtimandi Nou-Auguſtinianos Caluinianis arare, ac ſerere: atque hoc agere, vt hæreſis de feneſtra præcipitata, per poſticum reuocetur. Qui legit, intelligat.

DE INCOACTA LIBERTATE DISPVTATIO QVADRIPARTITA.

QVA MONSTRATVR EX DOCTRINA potiſſimùm S. Auguſtini atque etiam S. Thomæ; Indifferentiam, hoc eſt agendi & non agendi potentiam, & quidem proximam, & expeditam, ad libertatem arbitrii eſſe neceſſariam.

Contra { *Nouum Auguſtinum Iprenſis Epiſcopi.*
Vincentium Lenem.
Apologiſtam Ianſenii.
Commentatorem Quinque propoſitionum. }

ADMONITIO AD LECTOREM circa relationes Sanct-Amorii in ſuo Diario.

ERRORES ferè omnes quos Ianſenius plurimos ſparſit, ex illa vna radice pullularunt, qua cenſuit libertatem arbitrii excludere ſolam coactionis neceſſitatem; itáque cùm de moribus agitur appetitus rationalis, idem omnino eſſe *incoactum*, & *arbitrio liberum*. Hanc ego veluti arcem Theologiæ Ianſenianæ expugnandam ſuſcepi Romæ, cùm jam quinque propoſitionum, quarum hæc tertia eſt, immineret diſcuſſio. Occurrebant tunc, inter alios, quatuor hujus arcis præcipui Defenſores, ipſe in primis Ianſenius, Vincentius Lenis, Anonymus Apologiſta Ianſenii, Anonymus item alius quinque propoſitionum Commentator, quorum ego ſigillatim euertere conatus ſum proprias cujuſque munitiones, atque vt hoc rite ac legitimè fieret, facultatem petii à ſacra Inquiſitionis Congregatione lucubrationem hanc communicandi cum publico, eámque obtinui ſuffragante deſignatorum ab ea examinatorum teſtimonio, adjunctáque de more facultate Magiſtri ſacri Palatii.

Laborabant tunc Romæ quatuor-viri Ianſeniani pro ſuis erroribus tuendis contra impendentem damnationem: quibus quantopere doluerit opuſculi hujus editio, nuſquam meliùs exprimitur, quàm in illo infami Diario Santamorii. Si cui enim tanta eſt inutilium ſtudiorum patientia, tantúmque tempus ab honeſtis occupatio-

nibus vacuum, vt legere poſſit immanem illum aceruum puerilium narrationum, comperiet Ianſenianos nullum non mouiſſe lapidem, vt editionem hanc diſturbarent. Quoties per ſe ipſi conati ſunt adire Summum Pontificem? Quoties per Oratorem Chriſtianiſſimi Regis? Quoties per certos Cardinales? Quoties per viros quoſdam religioſos ſuis partibus, vt ipſi quidem putabant, propitios; ſi qua ratione obtinere poſſent, vt Typographo interdiceretur labore ſuo: Sed tota hæc ſollicitudo incaſſum fuit: nec impedire potuit editionis progreſſum & manum vltimam Typographi.

Diarium par. 4. à cap. 2. ad 7.

Addam quod Auctor Diarii neſciuit, vel potiùs quod neſcire voluit. Summus Pontifex ne nullam videretur habuiſſe rationem tam potentis interceſſionis, librum jam editum tradi juſſit Eminentiſſimo Spadæ iterum inſpiciendum. Inſpexit & injuncti ſibi muneris rationem ita reddidit, vt ne vnum quidem apicem tota in hac diſputatione vel inducendum, vel mutandum cenſuerit; auctor etiam fuit, vt adirem ipſe Summum Pontificem, & conſilii mei rationes coràm exponerem: quod & factum eſt.

Summus verò Pontifex qui nihil aliud cauebat, quàm ne hiſce tractatibus inſereretur peculiaris duorum Ordinum controuerſia, *de auxiliis Diuinæ Gratiæ*, vbi ſe hujuſce periculi ſecurum intellexit; nihil aliud habuit quod inſuper caueret, quàm ne ſuffragio quodã ſuo cauſa Ianſenianorum ante legitimum examen præjudicata videretur: ergo juſſit vt tantillum expectarem, dum præmiſſâ controuerſiæ deciſione opportunum etiam videretur ad ejus æquitatem tuendam hoc

Opuſculum vulgò exponi. Ego verò, quia vrgebat reditus in Galliam, ratus nullum eſſe locum vbi tutiùs aſſeruarentur exemplaria: & vnde certiùs ſuo tempore reciperentur, rogaui Illuſtriſſimum S. Officii Aſſeſſorem, vt ea ex typographia in Palatium S. Inquiſitionis transferri juberet. Transferri juſſit, ſuæ quidem Sanctitatis nomine, ſed rogatu meo. Promulgâtâ verò Innocentii decimi Conſtitutione, eodem aſſentiente, recepta ſunt omnia ſine mora, traditáque Bibliopolis tum Romæ tum alibi diſtrahenda: hæc narratio ne ſuperflua videretur, fecit auctor Diarii, qui minutias iſtas perſecutus trahere omnia conatus eſt in commendationem ſuæ cauſæ & veritatis injuriam.

Duo reſtant, in quibus neſcias vtra plus poſſit, fallendi libido, an fallentis imprudentia. Patrem Fano ſocium Magiſtri ſacri Palatii retuliſſe dicit, cùm librum legiſſet *ſe duas in eo hæreſes Caluinianas animaduertiſſe*: neque tamen obtinere potuiſſe vt emendarentur, Illuſtriſſimo tunc Albizi, pro ea qua valebat authoritate Aſſeſſoris S. Officii, vrgente, vt omni difficultate ſuperata liber ederetur. Non immoror in perſequendis aliis hujus narrationis defectibus. Vnum hoc vrgeo, ſi non potuit obtineri vt purgaretur liber à duabus illis *hæreſibus Caluinianis*, relictæ igitur in eo ſunt. Ergo etiamnum in editione illa Romana reperiuntur. Vbinam quæſo? Poſſent Ianſeniani deſignare paginam vel partem aliquam vbi hæreſes illæ duæ abſcondantur? Viri ſcilicet miſericordes nomini meo parcunt, & compertas hæreſes detegere nolunt, qui fictas tam facilè támque lubenter objiciunt.

Diar par 4. cap. 3. § . 88.

Ejuſdem ſtuporis eſt quod ſequitur, *librum hunc de* par. 7. pag. 154. incoacta libertate *proſtare venalem Romæ: Magiſtrum ſacri Palatii ægrè facultatem conceſſiſſe: & vt concederet Summi Pontificis mandato fuiſſe coactum.* Nam quod dicit Magiſtrum ſacri Palatii reſtitiſſe ne publicaretur liber, cujus edendi facultatem ipſe dederat, præeunte ſacræ Inquiſitionis judicio, cui perſuadebit? Et quod additur, ſupremo Pontificis imperio coactum, vt vel inuitus eam facultatem daret, quomodo non aduertit, eſſe hoc eximium quoddam approbatæ hujus libri doctrinæ teſtimonium? Eſt illa quædam Ianſenianorum ſeu fortuna ſeu fatum, vt cùm nihil penſi habeant quibus rationibus ſua dogmata confirment, impedire tamen non poſſint, quin aliqua interdum vera pluribus falſis permixta illis excidant, quæ ſufficiant ad ingentem mendaciorum ſtruem diſſipandam.

Locus admonet, vt quæ dicuntur in Diario de procurata Romæ per Ianſenianos quorumdam D. Auguſtini tractatuum editione, breuiter recenſeam, cùm probè ſciam quidquid hac occaſione geſtum eſt. Inter agendum, vt fieri ſolet, cum hujus libri mei typographo Ignatio de Lazaris, cùm accepiſſem ſuum quoque prælum à Doctoribus Pariſienſibus occupari, quæſiui ecquid illi tandem edendum Romæ ſuſciperent? Reſpondit, ſelecta quædam D. Auguſtini opera. Erant fortè tunc apud me exigua duo S. Auguſtini volumina Pariſiis nuperrimè miſſa, vulgò dicta *Auguſtinus pauperum*, quæ quia jam volveram, & ex eis Ianſenianorum artes indolémque ad fallendum compoſitam certa comprehenſione cognoueram, ſuſpicatus

ſuſpicatus ſum, velle illos fortaſſe Romanorum fidem ita circumuenire , quemadmodum circumuenerant Pariſienſium. Ergo petii ab Ignatio, vt ad me deferret autographum editionis. Attulit, monſtrauit, & certam fecit rei quæ dubia priùs videbatur cognitionem. Quare cùm viderem detegendos eſſe iſtorum hominum dolos, eos adiui quorum intererat iſta noſſe: oſtendique quomodo Ianſeniani per appoſitas marginibus notas, pérque præcipuarum ſententiarum erroris veneno corruptum indicem, ſupplere conarentur quod textui deerat, innocentémque Auguſtini literam in hæreticos ſenſus detorquerent. Oſtendi quod appoſitum erat ad marginem Epiſtolæ Celeſtini, vbi quia Pelagiani & Semi-Pelagiani dicuntur in textu *Nocentiſsimi liberi arbitrii Defenſores*, propterea quòd libertatem cum injuria diuinæ gratiæ defenderent; è regione ad marginem ſcribitur, *Liberi arbitrii Defenſores nocentiſsimi ſunt.* Quæ ipſiſſima eſt Lutheri Caluinique doctrina. Hæc vbi monſtrata ſunt ipſis Inquiſitorum oculis, legitimam prohibitionem ſuſcepti operis ceſſatio ſequuta eſt. Sed ne qua falleret ſiniſtra interpretatio, tanquam injuriæ auctoritati S. Doctoris illatæ, Ianſenianis querentibus ac vociferantibus data eſt optio, vt Auguſtinum darent, vel ſine notis vllis ac indicibus, ſed nudum & ſimplicem; vel cum germanis & textui reſpondentibus. Cujus conditionis priorem illi partem prætulerunt: & ne ſuccubuiſſe omnino viderentur, cùm edenda propoſuiſſent duo volumina, vnico fuere contenti. Quippe qui ſatis intelligerent, Auguſtinum jam purum & incorruptum, ad doctrinam Ianſenii confirmandam factum inutilem.

Diar. par. 4. cap. 7. pag 114. Conatus eſt tamen Auctor Diarii excuſare quam dixi Notam ad Epiſtolam Celeſtini, cùm dixit, eſſe intelligendam prout textum reſpicit. Quæ ridicula quædã eſt excuſatio, quòd ex illa comparatione notæ cum textu, nihil aliud ſequatur, quàm textum quidem innocentem eſſe, ſcholion verò videri hæreticum. Nimirum ſicubi ſcriptum occurrat Caluinum fuiſſe nocentiſſimum Diuinæ gratiæ Defenſorem, propterea quòd illam cum jactura libertatis defenderet; licebit Pelagiano exemplo Ianſenianorum ſcribere ad marginem, *Diuinæ gratiæ Defenſores nocentiſſimi ſunt.* Sicubi legatur Arrianos fuiſſe nocentiſſimos Diuinæ Trinitatis Defenſores, propterea quòd non Perſonas modò, ſed ipſam quoque Naturam multiplicarent; licebit Sabellio ad marginem ſcribere *Diuinæ Trinitatis Defenſores nocentiſſimi ſunt.* E contrario, ſicubi ſcriptum eſt Sabellianos fuiſſe nocentiſſimos vnius Diuinitatis Defenſores, eo quòd Perſonas ſolo nomine diſtinguerent, poterit Arrianus ad marginem ſcribere, *vnius Diuinitatis Defenſores nocentiſſimi ſunt*: & obſtrepentibus os obſtruetur notam cum textu conferre juſſis? Ecquid enim aliud confici poterit illa collatione, quàm innocentiſſimos eſſe textus, notas verò nocentiſſimas?

Hinc facilè perſpicis, Optime Lector, jure meritiſſimo impeditum nocentiſſimum illud Ianſenianorum conſilium: & quod Illuſtriſſimum Aſſeſſorem veluti hujus impedimenti cauſam inuerecundè pungunt, eò tantùm ſpectare, vt ſapientes cordatíque viri non id vlli maleuolentiæ aut nimis incitato partium ſtudio, ſed rectiſſimo ac prudentiſſimo tuendæ Catholicæ veritatis zelo tribuendum eſſe fateantur.

Supereſt vnum in quo ſatisfaciendum eſt Auctori Diarii in antiquis ſcilicet monumentis verſatiſſimo. Diar. par. 4. cap. 5. pag. 101. Inter Auguſtini teſtimonia contra incoactam Ianſenii libertatem, trigeſimum quartum ſumptum erat ex ſermone 191. de tempore. Hîc geſtire gaudio Ianſeniani, hîc exultare, ſicut exultant victores captâ prædâ. Conſtare ſiquidem hanc eſſe Pelagii hæretici Confeſſionem, non autem Auguſtini doctrinam. Eſt verum, eſſe hanc Pelagii confeſſionem: ſed eſt etiam verum hanc eſſe Auguſtini doctrinam. Conſtat vtrumque ex epiſtolis Zoſimi ad Epiſcopos Africanos: ex quibus perſpicuè intelligitur, Pelagium authoritate literarum Apoſtolicarum oppreſſum, conſilium iniiſſe fallendi Romanum Epiſcopum, ſicut antea fefellerat Concilium Palæſtinum, erroris diſſimulatione. Apud Baron. an. 417. Confeſſionem ergo ad Innocentium miſit Catholiciſſimam, ſi verba ſpectentur, & mendaciſſimam ſi mens attendatur confitentis. Perlata Romam eſt, & Celeſtio Pelagii diſcipulo ibi fortè tunc degenti conſignata. Celeſtius ſuam ipſe quoque Confeſſionem adjunxit, & vtramque obtulit Zoſimo, qui ſucceſſerat Innocentio jam defuncto. Zoſimus qui nondum ſatis compertas habebat iſtorum hominum fraudes, putabátque ſententiam eorum verbis expreſſam, & intus animo conceptam eandem eſſe, illo fretus principio quod eſt in ejus epiſtola, *De occultis animorum ſolius Dei noſtri poſſe eſſe judicium: & optimæ mentis indicium eſſe, praua difficiliùs credere;* paſſus eſt ſibi perſuaderi Catholicos eſſe, quos Epiſcopi Africæ tanquam hæreticos accuſauerant: ideóque ad eos ſcripſit cum aliqua etiam increpatione in gratiam Pelagii.

Epiſcopi Africani, quibus Pelagianorum artes notiores erant quàm Zoſimo, ejus literis minimè perturbati, hoc egerunt, tum per ſuas ipſi literas, tum per Paulinum Diaconum, vt Zoſimus experimentum de fide Celeſtii coram capere vellet: & ejus mente perſpecta, de Pelagio quoque pariter judicaret. Ita factum eſt. Celeſtius ergo variis interrogationibus circumcluſus, mendacem animum atque etiam hæreticum patefacere coactus eſt: itàque qualis eſſet ipſius etiam Pelagii animus palam oſtendit.

Quamobrem Zoſimus, qui ſe deceptum fuiſſe ſenſit, non quòd falſa, ſed quòd ficta fuiſſet fidei profeſſio quam obtulerant; aliis literis Africanorum Epiſcoporum laudatâ conſtantiâ Pelagium Celeſtiúmque ab Eccleſiæ Catholicæ finibus exterminauit. Quod judicium ſequutus *Piiſſimus Imperator Honorius, ſuis legibus damnatos* Pelagianos *inter hæreticos haberi debere conſtituit*, vt loquitur Poſſidius in vita Auguſtini. Cap. 18.

Hinc intelligit Lector, quod ait Santamorius, Zoſimum reuocaſſe quam dederat profeſſionis fidei à Pelagio editæ approbationem, falſiſſimum eſſe. Profeſſionem enim illam non improbauit ſed fictionem: veluti ſiquis ratus Mahumetanum quendam ex animo proferre quod recitat, Symbolum Apoſtolorum, pro Chriſtiano habendum crediliſſet, quem poſtea impoſturâ detectâ, vt verum Mahumetanum & fictum Chriſtianum proſcribendum pronuntiaret; Ille-ne cenſendus eſſet reuocare quam dediſſet approbationem Apoſtolico Symbolo? Nihilo certè magis cenſendus eſt Zoſimus reuocaſſe quam oſtenderat Con-

feſſionis Pelagii approbationem, quippe quæ, vt Baronius loquitur, *ne pilum quidem habere videretur hæretici.* Hinc ergo factum vt tanquam maximè Catholica inter opera Auguſtini referri potuerit, quòd & mentem Auguſtini Pelagio contrariam contineret, & ab eo probatam acceptatámque fortè etiam ſcriptam fuiſſe non ambigeretur. Vnde nihil aliud colligi debet quàm S. Auguſtini doctrinam inter extremos errores, Pelagii & Ianſenii, eſſe mediam.

Eminentiſsimi, ac Reuerendiſsimi Domini.

FRanciſcus Annatus Aſſiſtens Galliæ Societatis Ieſu humillimè exponit Sac. Congregationi, ſe jam ſcripſiſſe aliquos Tractatus, in quibus conatur oſtendere doctrinam Ianſenianam longè diſtare à doctrina S. Auguſtini, intactis prorſus illis controuerſiis, quæ inter Patres Dominicanos, & Patres Societatis Ieſu vertuntur. Supplicat igitur humillimè Sac. Congregationi vti benignè dignetur ipſi facultatem concedere imprimendi dictos Tractatus, perlectos tamen priùs, & examinatos ab iis, quos deputare viſum fuerit Sac. Congregationi.

Feria 4. die 3. Maij 1651.

In Congregatione S. Officij habita in Conuentu S. Mariæ ſuper Mineruam, coram Eminentiſſimis, & Reuerendiſſimis Dominis Cardinalibus Generalibus Inquiſitoribus à Sancta Sede Apoſtolica ſpecialiter deputatis.

Eminentiſſimi, & Reuerendiſſimi Domini Cardinales Generales Inquiſitores prædicti, dicto memoriali audito, conceſſerunt licentiam imprimendi, ſed liber priùs videatur à Reuerendiſſimo P. Abbate Hilarione, ſeu à Magiſtro Modeſto de Ferraria Conſultore S. Officii Vrbis.

Approbo, Io. Anton. Thomaſius Not.

Io. Antonius Thomaſius Sanctæ Romanæ, & Vniuerſalis Inquiſitionis Notarius.

Imprimatur, ſi videbitur Reuerendiſs. P. Mag. Sac. Pal. Apoſt.

A. Riualdus Viceſg.

Imprimatur.

Fr. Vincentius Fanus, Magiſter, & Socius Reuerendiſs. P. Fr. Vincentii Candidi Sac. Palat. Apoſt. Mag. Ord. Præd.

DIſputationem quadripartitam de Incoacta Libertate ab adm. Reu. P. Franciſco Annato Societatis Ieſu Galliarum Aſſiſtenti compoſitam accuratè legi, nihilque in ea reperi, quod Fidei Catholicæ, vel bonis moribus contrarietur, aut quod controuerſias, quæ inter Patres Dominicanos, & Societatis ejuſdem controuertuntur, tangat; propterea Opus hoc digniſſimum cenſeo, quod impreſſione decoretur.

Datum Romæ, ex Conuentu Sancti Saluatoris in Vnda. die 11. Nouembris 1651.

Fr. Modeſtus Gauatius Ferrarienſis totius Ordinis S. Franciſci Minorum Conuentualium Procurator generalis, & Sanctæ Romanæ, ac vniuerſalis Inquiſitionis Conſultor, & Qualificator.

DE Libertate Incoacta Diſputationem quadripartitam adm. Reu. Patris Franciſci Annati Societatis Ieſu Theologi, & Galliarum Aſſiſtentis exactiſſima qua potui diligentia, & legi, & poſſibili cum ſedulitate conſideraui; Nihilque eùm mihi occurrerit Fidei orthodoxæ contrarium, Conciliis repugnans, Patribúſque alienum, ſed potiùs tractatus ſumma eruditione refertus, in quo Author Diui Auguſtini, & Angelici Doctoris ſenſus in re tam graui, æqua ingenii felicitate, & ſinceritate mentis exponit? quare Opus digniſſimum judico, vt typis mandetur, eo præſertim, quod ab iis ingenioſiſſimè abſtinet, quæ ex Decretis S. Romanæ, & Vniuerſalis Inquiſitionis in materia de Auxiliis abſque ejus licentia prælo committi non poſſunt. Ex Conuentu S. Marcelli, die 15. Decembris 1651.

Fr. Angelus Maria Cyria de Cremona totius Ordinis Seruorum B. M. V. in Romana Curia Procurator generalis, Patriæ Vrbis Theologus, Sanctæ Romanæ, & Vrbis Inquiſitionis Qualificator, & Sac. Indicis Congregat. Conſultor.

AVCTOR LECTORI.

OBTENTA facultate à Sacra Congregatione Sanctæ Romanæ, & Vniuerſalis Inquiſitionis hunc tractatum edendi, OPTIME LECTOR, habitáque à Cenſoribus ab eadem Sacra Congregatione deſignatis approbatione legitima; vt eum hîc Romæ potiſſimum ederem, ea me ratio compulit. Quia cùm hîc iſta controuerſia jam ferueat, & præſentia partium materiam præbeat quotidianis hominum ſermonibus; expedit eſſe vnde informari plerique poſſint, ne aliqui fortè cauſa non ſatis intellecta judicium præcipitent.

Quia verò eorum qui Ianſenio, & Ianſenianis fauent ſolennis eſt prætextus, authoritas Auguſtini; in hoc in primis incumbendum cenſui, vt hæc vmbra diſſiparetur, conſtarétque manifeſtum eſſe Antiquum inter & Nouum Auguſtinum doctrinæ diſcrimen. Quod quamuis præſtitum ſit tantùm circa Tertiam Propoſitionem ex illis Quinque, quas Epiſcopi Galliæ circiter octoginta Summo Pontifici ad cenſuram obtulere; quia tamen illa fundamentalis eſt, & nexum habet cum cæteris indiſſolubilem, ſi conſtabit quid ſit de ea ſentiendum, nulla cujuſquam circa reliquas eſſe poterit hæſitatio.

Ad Sancti Auguſtini addidi teſtimonia Sancti Thomæ, ex quo intellexi Ianſenianos poſt repudiatam contumelioſè à Ianſenio Scholaſticam Theologiam vniuerſam, & nominatim Thomiſticam, captare tamen auram Thomiſtarum, eorúmque ſimulata doctrinæ ſocietate ambire patrocinium. Et ſpero te,

Optime Lector, judicaturum, ſi quidem res iſta ex ſententia S. Thomæ ſit metienda, fieri nullo modo poſſe, vt Theologus quiſquam idem ſit, & Ianſenianus, & Thomiſta.

Atque hinc tandem patebit quàm ſit inane canticum illud quod Ianſeniani paſſim occinunt, dum Molinam Molinam ſe tantùm petere vociferantur. Quippe manifeſtum fiet, Molinam in hac cauſa, quatenus à nobis contra Ianſenium defenditur, eſſe Thomiſtam, atque ipſum habere patronum D. Thomam. Sed fuit hoc ſtratagema Ianſenianorum fraudulentúmque conſilium, ad vitandam inuidiam impugnatæ Catholicæ doctrinæ, fingere ſe tantùm in Molinam collimare. Fraudem hanc deteget Sedis Apoſtolicæ judicium, ad cujus æquitatem, & veritatem meliùs percipiendam, tuum, Optime Lector, animum hac diſputatione præparare conſilium fuit. Vale.

DE INCOACTA LIBERTATE DISPVTATIO.

CAPVT I.

Ianſenii ſententia refertur, & præcipua ejus fundamenta conuelluntur.

QVIA vnicum fere totius Ianſeniſmi fundamentum illo incoactæ libertatis principio nititur, operæ pretium fuerit id examinare ſeorſim, ac videre quàm verum ſit, quod dicunt, eſſe hanc *certiſſimam clariſſimámque* Sancti Auguſtini doctrinam, & ſimul notare, quàm varii nutantéſque, atque inter ſe contrarii Ianſeniani ſint in hoc principio tuendo.

§. I. *Quid ſentiat Ianſenius.*

ERGO Ianſenius poſtquam ex longa 22. annorum indagine in *Cubile* tandem libertatis, vt ipſe vocat, ingreſſus eſt, hanc ejus formam expreſſit iis, quibus non licuit hæc adyta penetrare. *Implicare contradictionem vt voluntas,* To. 3. lib. 6. de gr. Salu. c. 5. & 6.

ſeu volitio non ſit libera, ſicut implicat, vt volendo non velimus: latere contradictionem in eorum dictis qui dicunt voluntatem, id eſt, volitionem eſſe poſſe, quæ non ſit libera: apud Auguſtinum, eſſe liberam & eſſe aliquam hominis vel Angeli voluntatem, ſeu volitionem pro iiſdem promiſcuè vſurpari: voluntatem ſeu volitionem, & liberam voluntatem idem eſſe, ſicut etiam velle, ac liberè velle: & eſſe impoſſibile vt velle non ſit liberum: liberam eſſe voluntatem ratione ſui, eo quòd ſit eſſentialiter libera: Et alia id genus, quæ paſſim inculcat, & per omnes operis ſui partes verſat, vnde concludit ſolam neceſſitatem coactionis eſſe contrariam libertati voluntatis.

Aduertendum autem eſt. Primò, Ianſenium nomine coactionis non intelligere tantùm ſtrictam illam coactionem, quâ vis ab extrinſeco principio infertur paſſo reſiſtenti; ſed latiùs ſumere, vt comprehendit etiam neceſſitatem, quæ prouenit à naturali & intrinſeca inclinatione, qualis eſt in appetitu brutorum, & in motibus indeliberatis concupiſcentiæ. Hoc enim ipſe ſignificat, cùm dicit, *Hæc ergo neceſſitas,* quæ ſcilicet libertatem tollit, *valde generalis eſt, & ſub ſe naturales omnes impetus comprehendit, qui non poſſunt volendo impediri. Nam & iſti quantumcumque naturales ſint, renitente tamen voluntate, ſuum effectum operantur. Nam velit nolit homo, naſcitur, viuit, &c. Ex quo fit vt quemadmodum neceſſitas & neceſſarium apud Auguſtinum, ita & natura & naturale opponatur voluntario, ſiue libero.* Ex quibus ſic poſtea concludit: *Doctrina igitur Auguſtini, eſt, neceſſitatem illam primam, prout etiam naturam ſic explicatam complectitur, nec aliud eſt reſpectu voluntatis, quàm quædam vis aut violentia, aut coactio, quæ operatur id quod poteſt, etiam nolente voluntate, capitaliter repugnare libertati, eámque funditus perimere.* Præter hanc duplicem neceſſitatem, quam ſub vno nomine *coactionis* comprehendit, negat Ianſenius aliam vllam eſſe quæ tollat libertatem: ac proinde quando Sanctus Auguſtinus & alii Patres aſſerunt libertatem tolli neceſſitate operandi, minimè exponendos de ſimplici neceſſitate; quæ dicit tantùm determinationem ad vnum; ſed de alterutra ex jam dictis, naturali ſcilicet aut violenta. Vnde loco jam citato negat perimi libertatem ab ea neceſſitate *quæ eſt ſimul voluntaria:* & voluntariam eſſe ſic

Loc. cit. lib. 6. c. 6.

explicat, *qua ſcilicet ſimpliciter neceſſe eſt aliquid fieri, non repugnante, ſed immutabiliter volente voluntate.* Et vt oſtendat ſe quippiam ſingulare ac paradoxum dicere, ſubdit, *Mira videbitur Scholaſticis iſta doctrina, &c.* Nec aliud excipit quàm motus indeliberatos, qui rationem præueniunt. Nam ſi ſit actus voluntatis deliberatæ, hoc eſt, agentis ex plena cognitione, quamuis ſit neceſſarius, liberum tamen eſſe contendit, vt patet ex c. 35. lib. 6. Nec alia de cauſa damnabilem putat propoſitionem jam à quatuor Pontificibus damnatam, *quod voluntariè fit, etiamſi neceſſariò fiat, liberè tamen fit*, quam quia non excipit *motus indeliberatos*, eodem lib. c. 36. Et ideo liberrimos fuiſſe putat, & maximè meritorios actus Chriſti, dum eſſet viator, etiam illos qui erant maximè neceſſarii: Et modò Beatos merituros per actum amoris beatificum, ſi eſſent in ſtatu merendi, lib. 7. cap. 15. Dæmones è contrario peccare, ac demereri per actus ſimiliter neceſſarios: In nobis mutabiles eſſe, ac tranſitorias iſtas neceſſitates; ſibique viciſſim ſuccedere neceſſitatem bene agendi, & neceſſitatem malè agendi, *Sed hoc non oriri ex natura liberi arbitrii, ſed ex inſtabilitate quam habet in bono:... Itaque ſi etiam, in hac vita Dei inſpiratio tam ſtabiliter, ac delectabiliter Deo operante, inhæreret voluntati, vt eam non poſſet abiicere; fortiſſimum liberrimúmque meritò dicendum liberum arbitrium: Eſſe hoc illius vitæ priuilegium, non poſſe diſſentire gratiæ Dei,* QVOD SI DARETVR ETIAM IN PRÆSENTI EXILIO, NON VIOLARET, SED SVMME PERFICERET ARBITRII LIBERTATEM. Ita lib. 8. c. 7. Vnde patet Caluini doctrinam negantem voluntatem poſſe diſſentire Deo mouenti, non violare, ſed ſummè perficere arbitrii libertatem. Hinc eſſe quod antiqui nunquam de neceſſitate agendi cogitauerint in exprimenda libertate arbitrii, *Nihil*, inquit, *de neceſſitate agendi curauerunt, ſed non obſtante immutabili neceſſitate omnem omnino voluntatem rationalem, hoc eſt voluntatis motum, & liberam & electiuam objecti ſui poſuerunt.* Et iterum, *Nullam immutabilitatis, ineuitabilitatis, vel quocumque vocis nomine, ſed ſolùm coactionis neceſſitatem ei repugnare* ex eorundem antiquorum *ſententia*: Indifferentiam autem contradictionis, quâ dicitur liberum arbitrium ſic agere, vt poſſit non agere, nullo modo neceſſariam eſſe: & hoc probari

Lib. 6. c. 38.

Lib. 7. c. 14. 15.

ſeptem abſurdis quæ ſequerentur ſi eſſet neceſſaria : Augu-
Lib. 8. c. 5. & 19. ſtinum in defendenda libertate, conciliandáque cum diuina gratia nunquam ex eo capite defendiſſe, quòd ſalua eſſet
Lib. 8. c. 12. indifferentia : Item, ne vnum quidem ex Patribus Latinis
Lib. 6. c. 13. ante ætatem Scholaſticorum ad eandem indifferentiam recurriſſe : Neminem reperiendum, qui ab illa, quam eſſe putat Sancti Auguſtini, doctrina per annos octingentos diſceſſerit.

§. 2. *Explicatur Auguſtini doctrina, de iis quæ dicuntur eſſe in noſtra poteſtate.*

ADVERTENDVM ſecundò, diſtinguendas eſſe quæſtiones quas Ianſenius inuoluit : non enim quærimus vnde fiat vt mors, verbi gratia, quæ infertur alicui violenter non ſit libera voluntati morientis : vel vnde fiat vt motus concupiſcentiæ, qui naturaliter excitantur, non ſint eidem voluntati liberi; hoc eſt, non quærimus vnde impediatur hominis libertas in illis actionibus quæ ſunt extra voluntatem, cujuſmodi ſunt mori, viuere, nutriri, iraſci, timere. Quæſtio eſt de internis actibus ipſiuſmet voluntatis, ſeu de volitionibus, & quidem efficacibus, in quibus poteſt eſſe libertas, etiamſi non ſit in illis aliis actionibus quæ in homine, vel ab homine fiunt. Mortem enim violenter illatam & non liberam acceptare poteſt voluntas per actum liberum : & concupiſcentiæ naturaliter motæ, per actum ſimiliter liberum poteſt conſentire, aut diſſentire : de his ergo actibus quærimus quid poſſit eorum libertatem impedire.

Aduertendum tertiò, Diuum Auguſtinum nunquam & nuſquam dixiſſe ſolam coactionem, illo modo antea expoſito ſumptam; impedire iſtorum actuum libertatem : vel nullam eſſe poſſe aliam neceſſitatem, quàm duplicem illam, naturalem ſcilicet, quæ reperitur in motibus appetitus, & violentam, quæ infertur extrinſecus paſſo renitenti, quâ hujuſmodi libertas deſtruatur. Dico nunquam, & nuſquam id eſſe traditum ab Auguſtino : quod ei facilè perſuadebitur qui percurret omnia quæ Ianſenius afferre ſolet teſtimonia;

& confirmabitur ipſa Vincentii Lenis confeſſione qui præter duplicem illum modum interimendæ libertatis, ſeu duplicem illam neceſſitatem, aliam inuenit, quâ etiam libertas tollatur, vt poſtea referam. Ergo quod non exprimitur apud Auguſtinum, id illi ſibi videntur colligere quibuſdam ex locis, quæ id minimè continent, ſi abſit praua, & violenta, & à mente Auguſtini alieniſſima interpretatio.

Verbi gratia, Ianſenius id vrget maximè, quod cùm conſtet tum ex aliis auctoribus paſſim, tum ex ipſo etiam Auguſtino, id eſſe liberum *quod eſt in noſtra poteſtate*; Auguſtinus id eſſe in noſtra poteſtate definiat, *quod cùm volumus facimus*, ſeu quod quiſque, *ſi vult facit, ſi non vult non facit*. Additque ex Auguſtino *hoc maximè conuenire ipſi voluntati* ſeu volitioni, vnde ſequitur ipſam eſſe maximè liberam: cætera verò quæ fiunt, etiamſi nolimus, vel non fiunt, etiamſi velimus, cenſeat Auguſtinus non eſſe libera. Vnde Ianſenius infert, neceſſitatem ſimplicem, ſeu quæ ſimpliciter determinat voluntatem ad vnam volitionem, non tollere illius libertatem: quia non impedit quominus veriſſimum ſit de illa volitione, *Voluntas ſi vult, eam facit; ſi non vult, non facit*, nullo autem modo dici poteſt eam facere, etiamſi nolit, quia hoc eſſet nolentem velle, & volentem nolle, quod implicat.

Loc. cit. lib. 6. c. 5.

Lib. 3. de l. arb. c. 3.

De ſp. & lib. c. 31. 5. de ciu. c. 10.

Sed hæc probatio laborat duplici vitio. Nam primò, concludit contra Ianſenium, ne ipſam quidem neceſſitatem naturalem tollere libertatem. Supponamus enim, quod nimis ſæpe contingit, eodem impetu naturæ quo mouetur ira, concipi etiam in voluntate, non expectatâ rationis aduertentiâ, efficacem & abſolutam volitionem vindictæ; totum hoc quod dicit Ianſenius illi conuenit; fit in voluntate cùm voluntas vult, & quando volet non fieri, ſtatim non fiet. Accedente enim rationis aduertentiâ, ſi voluntas diuinitus mota nolit vindictam, poterunt quidem adhuc ſupereſſe ſimplices motus iræ, & inefficaces vindictæ velleitates; efficax autem & abſoluta illa volitio nullo modo manebit, alioqui voluntas nolens vellet, & volens nollet vindictam quod implicat. Quomodo ergo negabit volitionem illam eſſe in noſtra poteſtate, & conſequenter eſſe liberam? Et-

tamen illa coacta eſt neceſſitate naturali.

Neque dicas hanc volitionem ſic expreſſam ante aduertentiam rationis, non eſſe actum, ſeu volitionem appetitus rationalis, vt rationalis eſt, quia hoc eſt dicere Sanctum Auguſtinum non eſſe idoneum Definitorem; ſiquidem definiendo actionem liberam omiſiſſet id quod erat illi proprium, eſſe nimirum actum appetitus rationalis, vt rationalis; & expreſſiſſet tantùm id quod eſt commune actioni liberæ cum non libera, quod eſt, fieri ſi volumus, & ſi nolumus non fieri. Sufficit nobis, quòd tota illa definitio, prout exprimitur apud Auguſtinum, & prout explicatur à Ianſenio, conueniat etiam actioni, quæ naturali neceſſitate coacta eſt. Inde enim ſequitur, vel non eſſe definitionem actionis liberæ, vel malè intellectam eſſe à Ianſenio; vel liberum eſſe illud quoque, quod naturali coactioni ſubjicitur, quod Ianſenius negat.

Et certum eſt malè intellectam fuiſſe à Ianſenio definitionem Auguſtinianam, quod eſt alterum vitium ratiocinationis illius. Quando enim dicit Auguſtinus id eſſe in noſtra poteſtate *quod cùm volumus facimus*, vel quod idem eſt apud eum, *quod ſi volumus facimus, ſi nolumus non facimus*; loquitur more mortalium omnium, qui aliqua ratione vtuntur, & ſciunt quid dicant; nec ita nobiſcum agit, vt dum vſitata cæterorum phraſi vtitur, ſingularem habet, & propriam cogitationem communibus verbis minimè reſpondentem. Atqui modus ille loquendi, *cùm volumus facimus*, vel, *ſi volumus facimus, ſi nolumus non facimus* nunquam vſurpatur niſi de re cujus faciendi, & non faciendi poteſtas adeſt: contendítque Ianſenius id eſſe verum de illis actionibus, quæ ſunt objecta voluntatis, & mediatè liberæ, vnde non putat liberum eſſe ipſum *creſcere, nutriri*, imò nec *iraſci* aut *metuere*, ſi ſumantur prout ſunt motus appetitus, quia, inquit, etiamſi nolimus, nutrimur tamen, creſcimus, iraſcimur, timemus, hoc eſt, quia non habemus poteſtatem impediendi actiones illas, etiam ſi non deſit voluntas: moueri autem motu progreſſiuo in homine valente, ſano, & vinculis atque compedibus ſoluto liberum eſt, quia vtrumque eſt in poteſtate, moueri & non moueri. Vnde rectè dicimus, ſi vult mouetur: & ſi non

vult non mouetur. Cùm ergo dicat Auguſtinus, id quod affirmatur de actionibus illis externis mediatè tantùm liberis quatenus liberæ ſunt, maximè conuenire volitionibus immediatè, ac primò liberis, conſequens omnino eſt, vt juxta Auguſtinum de illis volitionibus dici non poſſit, quod cùm volumus, ſunt, & cùm non volumus, non ſunt: ac proinde quòd ſint liberæ, niſi quando adeſt poteſtas eliciendi, & non eliciendi, quæ eſt indifferentia determinanti ad vnum neceſſitati oppoſita. Hæc argumentatio ad formam demonſtratiuam ſic reduci poteſt. Id quòd facit actiones externas eſſe mediatè liberas, maximè conuenit volitionibus internis immediatè liberis: Sed procedere à principio, quod habet poteſtatem ponendi, & non ponendi actionem, facit actiones externas eſſe mediatè liberas: Ergo procedere à principio, quod habeat talem poteſtatem, maximè conueniet volitionibus intrinſecis immediatè liberis. Major, & minor ex Auguſtino colliguntur, vt jam oſtenſum eſt, & adhuc oſtendi poteſt, cùm dicit: *Non eſt in noſtra poteſtate, niſi quod cùm volumus fit.* VBI PRIVS ET MAXIME EST IPSVM VELLE. Vbi quæro, quare de primis iræ motibus non dicitur, cùm volumus fiunt? quia nimirum fiunt etiam ſi non velimus: quod non eſt aliud quàm, quia tametſi oriantur à principio, quod poteſt elicere, non tamen à principio, quod poſſit non elicere. Ergo cùm hoc, quod deeſt motibus illis ad libertatem, conueniat prius, & maximè ipſi velle, vt ait Auguſtinus, prius & maximè conueniet illi, oriri à principio in quo ſit poteſtas eliciendi, & non eliciendi. Idem clariùs, *Si neceſſitas noſtra illa dicenda eſt, quæ non eſt in noſtra poteſtate, ſed etiam ſi nolumus efficit id quod poteſt, ſicut eſt neceſſitas mortis, manifeſtum eſt voluntates noſtras, quibus rectè vel perperam viuitur, ſub tali neceſſitate non eſſe. Multa enim facimus quæ ſi nollemus non vtique faceremus*, QVO PRIMITVS PERTINET IPSVM VELLE, *quia ſi volumus eſt, ſi nolumus, non eſt, non enim vellemus, ſi nollemus.* Si tam poſſemus non mori, quàm poſſumus mori, perſpicuum eſt, juxta Auguſtinum non dicendam mortem ſubeſſe neceſſitati, quæ non ſit in noſtra poteſtate: ergo per hoc præcisè mors non eſt in noſtra poteſtate, quia non habemus poteſtatem non moriendi, ſicut habemus moriendi.

1. Ret.c.1.

5. de Ciu. cap. 10.

Atqui Auguſtinus in hoc diſtinguit neceſſitatem mortis à neceſſitate volitionum liberarum. Igitur ſupponit nos, quod non poſſumus circa mortem, hoc tamen poſſe, circa liberam volitionem: ac proinde tam poſſe nos illam non elicere, quàm poſſumus elicere. Et quid aliud quæſo ſignificant verba illa, *multa facimus, quæ ſi nollemus non faceremus*, quàm, *multa facimus cum poteſtate illa non faciendi*, & hoc, inquit, *primitus* reperitur in ipſo velle, ſeu in ipſa volitione libera, ergo de illa *primitus* verum eſt, nos illam facere cum poteſtate non faciendi: & ab illa primitiua faciendi, vel non faciendi, hoc eſt volendi, vel non volendi indifferentia, deriuatur ea quæ conſequentibus inde actionibus externis conuenit. Similia habet lib. 1. de lib. arb. cap. 12. cùm dicit, *Quid enim tam in voluntate quàm ipſa voluntas ſita eſt?* & cap. 19. *Noli ergo mirari ſi cæteris per liberam voluntatem vtimur, etiam ipſa libera voluntate per eam ipſam vti nos poſſe, vt quodammodo ſe ipſa vtatur voluntas, quæ vtitur cæteris: ſicut ſe ipſam cognoſcit ratio, quæ cognoſcit cætera.*

Objici poteſt Auguſtinum non dicere actiones externas eſſe liberas, ex eo quòd procedant à principio quod poteſt facere, & non facere, ſed ex eo quòd procedant à principio, quod poteſt facere ſi velimus, & ſi non velimus non facere: hoc autem *primitus* conuenire volitionibus etiam neceſſariis. Sed objectio friuola eſt. Nam eſſe cauſam, quæ ſi velimus producit aliquam actionem externam, & ſi non velimus, non producit; non eſt aliud quàm eſſe cauſam, quæ poteſt producere, & non producere; cum ſubordinatione ad voluntatem: hoc autem quod principio, vel cauſæ actionum externarum conuenit cum ſubordinatione ad voluntatem, hoc ipſum ſine ſubordinatione, ſed *primitus* & ex proprio dominio conuenire vult Auguſtinus voluntati ipſi, reſpectu ſuorum actuum: ergo voluntati ipſi *primitus*, & ex proprio quod habet in ſuos actus dominio, non ex ſubordinatione ad aliam aliquam facultatem conuenit poſſe agere & non agere. Et eſſet inepta locutio, qua quis diceret, nos actus illos internos, ſi volumus, elicere, & ſi non volumus, non elicere, niſi ſignificaretur illa poteſtas eliciendi, & non eliciendi, quia hoc nunquam dicitur de actu neceſſario. Sicut enim nemo

eſt, qui non putaret eum nugari qui diceret; Pater æternus ſi vult, generat Filium, & ſi non vult, non generat; ita nemo non cenſeat impropriè loqui eum qui diceret, Deus ſi vult amat ſe, ſi non vult non amat ſe; & de Beatis, ſi volunt, amant Deum, ſi non volunt, non amant, ſuppoſitâ neceſſitate quoad exercitium illius amoris: quòd ſcilicet omnes qui aliquid ſapiunt, putent eo loquendi modò ſignificari poteſtatem ad vtrumlibet: & hanc eſſe mentem Diui Auguſtini, præter ea quæ jam dicta ſunt, paulo pòſt monſtrabitur.

§. 3. *Auguſtini doctrina de concordia præſcientiæ cum libertate nihil juuat cauſam Ianſenii.*

VTITVR præterea Ianſenius eâ doctrinâ, quam tradit Auguſtinus, dum oſtendit quomodo præſcientia futurorum non adimat libertatem. Auguſtinus enim non vtitur aliâ ratione, niſi quia quod præſcitur eſt voluntas, & nihil eſt magis in noſtra poteſtate quàm voluntas. Vnde ſi neceſſarium eſt, vt quod præſcitur futurum, ſit futurum; neceſſarium eſt vt voluntas, quæ præſcitur futura, ſit futura. Ergo neceſſarium eſt tantùm, vt ſit futurum illud, quod eſt in noſtra poteſtate, ac proinde quod eſt liberum: quæ ſolutio Auguſtini nulla eſſet, ſi poſſet eſſe aliqua voluntas, quæ non eſſet libera. Diceret enim Euodius contra quem diſputat Auguſtinus, eſt verum præſciri voluntatem, & eſſe neceſſarium, vt quod præſcitur ſit futurum; ſed cùm poſſit eſſe voluntas, quæ non ſit libera, non concluditur, etiam ſi ex præſcientia ſequatur futuram voluntatem, illam fore liberam. Valet autem reſponſio, ſuppoſito quòd omnis voluntas, ſeu volitio eo ipſo quod eſt voluntas, ſit libera: hoc igitur ſupponit Diuus Auguſtinus. Et quia ſubeſſe neceſſitati ſimplici ad vnum determinanti, non impedit ne voluntas ſit voluntas: conſequenter nec impediet ne ſit libera. Tom. 3. lib. 6. cap. 5.

Verùm tota hæc etiam probatio in fumum reſoluitur, & tenues auras, ſi tantùm exponatur, quid intelligat Auguſtinus, nomine *voluntatis*, cujus interpretatio ab ipſis Aduerſariis exprimenda eſt. Nam cùm ſupponant per voluntatem intelligi actum voluntatis, non ipſam facultatem; ſtatim Ianſ. loc. cit.

monent, non comprehendi eo nomine ſimplices affectus; habentes neceſſariam connexionem cum motibus appetitus, qui quòd ſint indeliberati, non ſunt liberi. Poteſt etiam illis objici actus efficax voluntatis, qui ſæpe concipitur non expectatâ, vt dictum eſt anteà, rationis aduertentiâ, ideóque non eſt liber ob eandem rationem. Ergo Sanctus Auguſtinus, per voluntatem illam, quam ſupponit eſſe neceſſariò liberam, intelligit actum voluntatis elicitum ex plena rationis aduertentia. Quid eſt autem hæc plena rationis aduertentia? Loquitur de viatoribus, quorum bonæ malæque voluntates in judicium deinde vocandæ ſunt, præmióque vel pœnâ afficiendæ, vt ex illo loco patet. Ergo quid eſt in illis plena hæc rationis aduertentia? Nimirum eſt talis cognitio, quæ ſi habeat pro objecto bonum infinitum, repræſentat illud & obſcurè, & cum difficultate acquirendum: ſi bona creata, repræſentat eorum modicitatem, & inſufficientem ſatiandæ voluntati bonitatem: necnon & adjunctas alias mali rationes auertendæ voluntati idoneas. Vno verbo, quæ bona quæ repræſentat, eo modo repræſentat, vt perinde non amari poſſint, atque amari. Et hæc vocatur *indifferentia judicii*, quæ dicitur radix eſſe libertatis, vt deinde ex Sancto Thoma monſtrabitur: quæ cauſa eſt, cur voluntas, quæ tali cognitione regitur, ſit indifferenter appetitiua. Quid ergo mirum eſt, ſi Auguſtinus voluntatem ita intellectam, pro volitione ſcilicet quæ ſequitur ex principio conſtituto in indifferentia amandi vel non amandi, per indifferentem illam cognitionem, dicat illam, eo ipſo quod talis eſt, eſſe liberam; cùm hoc nihil aliud ſit, quàm dicere, eo ipſo quod talis eſt, elicitam eſſe à principio indifferenti? Eſt igitur hæc confirmatio potiùs indifferentiæ ad libertatem neceſſariæ, quàm impugnatio: & impugnatio neceſſitatis ad vnum determinantis liberam facultatem, potiùs quàm confirmatio.

Et creſcit ſolutionis hujus euidentia, ex eo quod addit Vincentius Lenis, qui vult Auguſtinum non ſolùm intelligi de volitione, quæ ſupponit illam cognitionis plenitudinem, ſed quæ inſuper elicitur connaturaliter. Exiſtimat enim fieri poſſe, vt ſtante plenâ rationis aduertentiâ, talis & tanta inferatur voluntati agendi neceſſitas, vt operatio non ſit li-

bera; ac proinde ad ejus libertatem requiri, vt non patiatur talem neceſſitatem: non paſſuram autem, ſi ſinatur agere *connaturaliter.* Accipimus ergo quod dat iſte Ianſenianorum ſenſuum depoſitarius & hæres: & dicimus voluntatem, quæ ſuppoſitâ cognitionis plenitudine circa objecta creata, vel circa increatum obſcurè cognitum, connaturaliter operatur, operari hoc ipſo cum indifferentia: & operationem inde conſequutam, ita eſſe contingentem, vt poſſit eſſe & non eſſe, ſtante illâ voluntatis diſpoſitione. Eſſe igitur veriſſimum quod docet Auguſtinus, volitionem illam eo ipſo quod eſt talis volitio, eſſe liberam: quia eo ipſo elicitur à principio indifferenti: & præſcientiam ideo non tollere libertatem, quia non impedit quominus id quod præſcitur futurum, ſit talis voluntas ſeu talis volitio, quæ ſcilicet connaturaliter elicitur à principio in indifferentia conſtituto per cognitionis plenitudinem. Vnde nihil aliud ſequitur, quàm in conceptu principii liberi indifferentiam includi, contrariam neceſſitati ad vnum determinanti. En quò tandem reſoluuntur Ianſenianorum machinæ.

§. 4. *Nihilo magis iuuat quod docet Auguſtinus de duplici neceſſitate.*

TERTIÒ vrget Ianſenius locum illum ex 5. de Ciu. vbi dicitur: *Vnde nec illa neceßitas formidanda eſt, quam formidando Stoici laborauerunt cauſas rerum diſtinguere, vt quaſdam ſubtraherent neceßitati, quaſdam ſubderent. Itaque in his quas eſſe ſub neceßitate noluerunt, poſuerunt etiam noſtras voluntates, ne videlicet non eſſent liberæ, ſi ſubderentur neceßitati. Si enim neceßitas noſtra illa dicenda eſt, quæ non eſt in noſtra poteſtate, ſed etiam ſi volumus efficit quod poteſt, ſicut eſt neceßitas mortis; manifeſtum eſt voluntates noſtras, quibus rectè vel perperam viuitur, ſub tali neceßitate non eſſe. Multa enim facimus, quæ ſi nollemus non vtique faceremus*, QVÒ PRIMITVS PERTINET IPSVM VELLE. *Nam ſi volumus, eſt; ſi nolumus, non eſt; non enim vellemus, ſi nollemus. Si autem iſta definitur eſſe neceßitas, ſecundùm quam dicimus, neceſſe eſt vt ita ſit aliquid, vel ita fiat; neſcio cur eam timeamus ne nobis au-* Cap. 10.

ferat libertatem voluntatis. Neque enim & vitam Dei & præſcientiam Dei ſub neceſſitate ponimus, ſi dicimus neceſſe eſt Deum ſemper viuere, & cuncta præſcire, ſicut nec poteſtas ejus minuitur, cùm dicitur, mori fallique non poſſe, . . ſic etiam cùm dicimus neceſſe eſt vt cùm volumus, libero velimus arbitrio; & verum procul dubio dicimus: & non ideo ipſum liberum arbitrium neceſſitati ſubjicimus, quæ adimit libertatem. Sunt igitur noſtræ voluntates, & ipſæ faciunt quidquid volendo faciunt, quod non fieret, ſi nollemus. Quæ verba vbi retulit Ianſenius, *Ecce*, inquit, *clariſſimis verbis diſtinguit hîc duplicem neceſſitatem, vnam quæ non relinquit actum in noſtra poteſtate, hoc eſt vt ipſemet explicat, quæ nobis etiam nolentibus, ſeu inuitis & coactis operatur effectum ſuum: alteram qua ſimpliciter neceſſe eſt aliquid fieri, ſicut viuere, præſcire, non mori, non falli reſpectu Dei; illam repugnare docet libertati, iſtam minimè.* Bene habet. Ergo quia ſecunda hæc & ſimplex neceſſitas non tollit libertatem arbitrii, liberum eſt Deo libertate arbitrii viuere, præſcire, non mori, non falli: & quia jam definiuit id eſſe liberum quod eſt in noſtra poteſtate: & illud eſſe in noſtra poteſtate juxta Auguſtinum, quod ſi volumus facimus, ſi nolumus non facimus; conſequens eſt vt de Deo dicatur, ſi vult, viuit, ſi non vult, non viuit: ſi vult, præſcit futura, ſi non vult, non præſcit: ſi vult, moritur; ſi non vult, non moritur: ſi vult, errat; ſi non vult, non errat. Et quiſquam eſt qui poſſit ferre ita loquentem? Non mori, non falli, ſpirare Spiritum ſanctum, arbitrarium Deo eſt? Si vult, exiſtit, ſi non vult, non exiſtit, ſi vult, generat Filium & ſpirat Spiritum ſanctum, ſi non vult, nec generat, nec ſpirat? O Nou-Auguſtiniani vnde vobis hæc tanta fiducia, vt non vereamini tribuere Auguſtino cogitationes adeò abſurdas, & linguam, quam non nouerat in Eccleſiam inducere? Quomodo igitur, inquies, Auguſtinum licebit interpretari?

Reſpondeo, in allato loco eſſe aliquid clarum & minimè ambiguum, & aliquid obſcurum. Quod clarum eſt, jugulat doctrinam Ianſenii, & noſtram confirmat: quod eſt obſcurum non debet nocere, & admittit bonam interpretationem. Clariſſimum eſt quod dicit Auguſtinus, *noſtras voluntates non ſubeſſe neceſſitati, quæ non ſit in noſtra poteſtate*, & quæ dicat impotentiam, & defectum virtutis ad oppoſitum ejus, ad quod

determinat; hoc enim omnino ſignificant verba illa, *Si neceſſitas noſtra illa dicenda eſt, quæ non eſt in noſtra poteſtate, ſed etiam ſi nolumus efficit id quod poteſt, manifeſtum eſt voluntates noſtras, quibus rectè vel perperam viuimus, non eſſe ſub tali neceſſitate.* Hæc dico jugulare doctrinam Ianſenii. Nam ſi neceſſitas quæ non eſt in noſtra poteſtate, non cadit in liberum arbitrium, ſequitur liberum arbitrium non admittere vllam neceſſitatem, niſi quæ ſit in noſtra poteſtate: & quia jam dictum eſt ex Auguſtino, id tantùm eſſe in noſtra poteſtate quod ſi volumus, eſt, ſi non volumus, non eſt; ſequitur liberum arbitrium non pati aliam neceſſitatem, quàm illam, quam admittere aut rejicere, retinere aut excutere poteſt, hoc eſt, ad quam habendam, aut non habendam eſt indifferens: atque ita ſemper ſtat intrinſeca libero arbitrio indifferentia. Si etiam liberum arbitrium non fert illam neceſſitatem, quæ efficit etiam ſi nolumus, hoc eſt, quæ tollit facultatem aliud faciendi, quàm id ad quod determinat; ſequitur pariter libero arbitrio neceſſariam eſſe illam facultatem, hoc eſt neceſſariam eſſe facultatem, quæ vtrumque poſſit facere, & non facere, reſpectu actionum externarum, & *priùs ac primitus* reſpectu internarum, & ipſarum volitionum, quæ immediatè liberæ ſunt, vt antè diximus: vnde ſtatuitur hac etiam ex parte indifferentia; & hoc eſt quod clariſſimè traditur ab Auguſtino. Obſcurum autem eſt, quem in finem adducat in exemplum neceſſitatem, qua neceſſe eſt Deum viuere, & non mori. Neque enim eò ſpectare poteſt, vt ſignificet arbitrariam eſſe Deo vitam & immortalitatem, aut vitam & immortalitatem eſſe in poteſtate Dei, eo ſenſu quo aliàs definiuit id eſſe in poteſtate, *quod ſi volumus, eſt; ſi non volumus, non eſt*; quòd hæc ſit abſurdiſſima cogitatio. Conſequenter non poteſt velle Auguſtinus volitiones noſtras liberas eſſe libertate arbitrii, etiam ſi ſint ita neceſſariæ, ſicut eſt neceſſarium in Deo viuere, & eſſe immortalem. Poſtquam enim viuere in Deo, & eſſe immortalem ita eſt neceſſarium, vt non pendeat à libero arbitrio; nec volitiones noſtræ cenſendæ ſunt pendere à libero arbitrio, ſi eo modo ſunt neceſſariæ. Ergo quærenda eſt alia quædam ratio cur Auguſtinus ejuſmodi exemplis vſus ſit. Neque admodum difficile eſt eam

inuenite. Nempe hoc agit Auguſtinus, vt intelligamus nec omni neceſſitati ſubtrahendas eſſe noſtras voluntates, quod velle videbantur Stoici: neque Ciceroni auſcultandum, qui ob eandem cauſam diuinationem & præſcientiam futurorum negabat. Et quia ex eo capite videri poterat neganda omnis neceſſitas, quòd illud ſit nomen impotentiæ, imperfectionis, & ſeruitutis: cùm libertas ſit nomen perfectionis & dominii; voluit Auguſtinus vmbram hanc diſſipare, oſtenſa neceſſitate, quæ potiùs eſt aſſertiua, quàm negatiua perfectionis. Quia quamuis omne neceſſarium explicetur per τὸ *non poſſe aliter fieri*, iſtud tamen *non poſſe* interdum ſignificat virtutis & perfectionis exceſſum potiùs, quàm defectum: & ita virtutis & ſummæ perfectionis eſt in Deo, non poſſe mori, non poſſe falli, non poſſe non viuere, non poſſe non præſcire. *Sic enim hoc non poteſt* (inquit Auguſtinus) *vt potiùs ſi poſſet minoris eſſet vtique poteſtatis.* Hoc igitur ſenſu concedit eſſe neceſſarium, *vt cùm volumus, libero velimus arbitrio.* Quod enim dicit *cùm volumus*, volitionem intelligit, qualis antea deſcripta eſt, quæ plenam ſequitur cognitionem objectorum, in quæ voluntas fertur, quæque connaturaliter elicitur: talem autem voluntatem eſſe liberam, proportione quadam ita eſt neceſſarium, ſicuti neceſſarium eſt hominem eſſe rationalem. Et quod dicitur eſſe neceſſarium vt ſit libera, non eſt aliud quàm eſſe neceſſarium vt ſine neceſſitate, & cum indifferentia eliciatur. Atque ita hæc neceſſitas non ſonat imperfectionem, & ſeruitutem in voluntate, ſed perfectionem potiùs, & dominium in ſuos actus: & in illa excluſione ſeruitutis & miſeriæ ſimilis eſt neceſſitati viuendi, vel non moriendi, quam habet Deus.

loc. cit.

Hinc deinde colligit Auguſtinus præſcientiâ minimè deſtrui libertatem. Quia nimirum ſi qua inde ſequatur neceſſitas, ea eſt affirmatiua potiùs, quàm deſtructiua ejuſdem libertatis. Eò enim ſpectat, quod ſequitur: *Non ergo propterea nihil eſt in noſtra voluntate, quia Deus præſciuit. Porro ſi ille qui præſciuit quid futurum eſſet in noſtra voluntate, non vtique nihil, ſed aliquid præſciuit; profectò & illo præſciente eſt aliquid in noſtra voluntate.* Loquitur Auguſtinus de libera voluntate; & vides vt ex ejus præſcientia libertatem illam confirmet, cùm dicit,

porro ſi ille qui præſciuit non vtique nihil, ſed aliquid præſciuit, profecto & illo præſciente eſt aliquid in noſtra voluntate. Hoc enim non eſt aliud quàm, ſi qui præſciuit, reuera præſciuit futuram liberam voluntatem, neceſſe eſt ex ea hypotheſi, vt ſit futura libera voluntas: atque ita illa neceſſitas eſt libertatis confirmatiua. Quod etiam patet ex tertio de lib. arb. cùm dicit, *Non igitur per ejus præſcientiam mihi poteſtas adimitur, quæ propterea mihi certior aderit, quia ille cujus præſcientia non fallitur, adfuturam mihi eſſe præſciuit.* Quomodo autem id fieri poſſit, 5. de Ciu. oſtendit poſtea, *Neque enim ideo peccat homo, quia Deus illum* cap. 10. *peccaturum præſciuit: imò ideo non dubitatur ipſum peccare cùm peccat, quia ille cujus præſcientia falli non poteſt, non Fatum, non Fortunam, non aliquid aliud, ſed ipſum peccaturum eſſe præſciuit.* Quibus verbis manifeſtè oſtendit conſequentem eſſe neceſſitatem illam, qua ex præſcientia ſequitur res futura, non antecedentem. Quod oſtendit etiam in lib. 3. de lib. arb. vbi Cap. 4. præſcientiæ futurorum comparat memoriam præteritorum: nec magis putat obeſſe libertati rei futuræ, quàm nocetur libertati rei præteritæ, quòd ex noſtra recordatione ſequatur neceſſariò, eſſe præteritam. nempe quia ſicut memoria noſtra non eſt cauſa cur præterierit id cujùs recordamur; ita nec præſcientia cauſa eſt cur futurum ſit id quod præſcitum eſt: ſed è conuerſo, ſicut rem præteriiſſe facit vt poſſimus ejus recordari, ita rem futuram eſſe facit vt poſſit præſciri.

Et quia hæc ſunt præcipua teſtimonia, quibus Ianſenius confici putat ex Auguſtino ſolam neceſſitatem, qua vel violenter vel naturaliter aliquid eſſe cogitur, impedire libertatem; cùm jam conſtet id minimè ex illis confici potuiſſe, ſpero Lectorem ſibi perſuaſurum, neque ex aliis vnquam conficiendum. Reſtat vt oſtendamus eſſe longè plura & euidentiora quæ contrarium perſuadeant.

CAPVT II.

Probatur triginta quinque teſtimoniis S. Auguſtini, voluntatem, ſeu volitionem quæ ſupponitur eſſe libera, eo ipſo ſupponi eſſe à potentia indifferente.

§. 1. *Priora tria teſtimonia colliguntur ex locis, à Janſenio pro ſua ſententia citatis.*

POTENTIA agendi, & non agendi, vel quæ ita agit vt poſsit non agere, & potentia indifferens, ſe habent vt definitio, & definitum: & ideo vt conſtet potentiam liberam eſſe debere indifferentem ex Auguſtini ſententia, ſatis eſt quòd conſtet talem eſſe debere, quæ poſsit agere, & non agere: vel quæ ſic agit vt poſsit non agere. hoc autem probatur ex iis tribus locis quibus Ianſenius conatur probare contrarium. quia (vt ex dictis conſtat) quæ ille conatus eſt erigere contra communem Eccleſiæ doctrinam ita conuelluntur, vt eorum ruinâ opprimatur ipſius ſententia.

Nam primò ex eo quod docet Auguſtinus, dum definit quid ſit *Aliquid eſſe in noſtra poteſtate*, reſultat hæc ratiocinatio, quæ juxta ejus principia demonſtratiua eſt: Ea ratio propter quam actus externi ſunt liberi, & in noſtra poteſtate, primitus conuenit actibus internis liberis, elicitis immediatè à voluntate ex Auguſtino.

Sed ratio propter quam actus externi ſunt liberi & in noſtra poteſtate, ea eſt ex eodem Auguſtino, quòd poſſint eſſe & non eſſe, prout voluntas determinauerit: Ergo hoc quod eſt poſſe eſſe & non eſſe dependenter à determinatione voluntatis; ſeu quod idem eſt, voluntatem poſſe producere vel non producere ſuum actum eſt primitiua ratio, quæ conuenit actibus internis liberis, & elicitis immediatè à voluntate: hæc autem eſt indifferentia neceſſitati ad vnum determinanti oppoſita. Ergo &c. Tota hæc ratiocinatio patet ex dictis ſup. cap. §. 2.

Secundò probatur ex iis, quæ docet Auguſtinus de neceſſitate, quæ tollit, & quæ non tollit arbitrii libertatem, loco jam citato de Ciuitate Dei. Quia ex eo conſtat libertatem arbitrii compati eam tantùm neceſſitatem, quæ eſt in noſtra poteſtate, hoc eſt, quam poſſumus admittere vel rejicere, vt placuerit; ſed quæ talis eſt, eſt neceſſitas conſequens, & ſtat cum antecedenti voluntatis indifferentia. Ergo ex Auguſtino liberum arbitrium compatitur tantùm neceſſitatem conſequentem, & quæ ſtat cum antecedenti voluntatis indifferentia.

Probatur tertiò ex diſcurſu Auguſtini, eodem libro 3. de lib. arbitrio, vbi difficultatem illam tractat de præſcientia, quomodo non tollat libertatem. Nam cùm tota ratio dubitandi an tollat libertatem, petatur ex eo quòd ex præſcientia ſequi videatur neceſſitas in rem præſcitam: neceſſitas autem libertatem impediat; Auguſtinus neque negat vnquam non eſſe liberam voluntatem, ſi neceſſitate fiat: neque recurrit ad diſtinctionem illam neceſſitatis violentæ, aut naturalis, quas ſolas Ianſenius putat deſtruere libertatem. Sic enim facilè poterat reſpondere vno verbo, neceſſitatem quæ ſequitur ex præſcientia non eſſe violentam, nec naturalem, qualis eſt lapidis deorſum cadentis; ſed quaſi non dubitaret, quin omnis neceſſitas antecedens, & cauſalis tollat libertatem; ſtat præciſè in illa contradictione, quòd ſi daretur talis neceſſitas ex præſcientia, ſequeretur id quod præſcitur non præſciri. Præſcitur enim voluntas illa, quam jam dixi, quæ ſignificat volitionem connaturaliter elicitam, ſuppoſita judicii indifferentia; ſuperueniente autem neceſſitate non eſſet ampliùs talis voluntas. Atque ita Auguſtinus nunquam negat oppoſitionem inter neceſſitatem & voluntatem; quin potiùs illam concedit, dum negat ex ſuppoſitione quòd præſciatur voluntas interuenire poſſe neceſſitatem. *Attende, quæſo, quanta cæcitate dicatur, ſi præſciuit Deus futuram voluntatem meam, quoniam nihil aliter fieri poteſt quàm præſciuit, neceſſe eſt vt velim quod ille præſciuit: ſi autem neceſſe eſt, non jam voluntate, ſed neceſſitate id me velle fatendum eſt.* Hæc eſt objectio, in qua vides ex præſcientia inferri duo contradictoria, nimirum voluntatem ſeu volitionem liberam, & neceſſita-

Q

tem. Auguſt. autem reſpondet contradicere ipſum ſibi, qui hæc objicit, non enim poſſe eſſe neceſſitatem, ſi præſcitur voluntas, vel non eſſe voluntatem, ſi ſequatur neceſſitas. Vide quid dicat, *O ſtultitiam ſingularem! Quomodo ergo non poteſt aliud fieri quàm præſciuit Deus, ſi voluntas non erit, quam voluntatem futuram ille præſciuit?* Quare autem non erit voluntas, Auguſtine? Nempe quia qui hæc objicit, ſupponit quòd erit neceſſitas: & ideo ſibi contradicit, dicendo non poſſe aliud fieri quàm præſciuit Deus, & ſupponendo præſcitam voluntatem. Cùm enim inducat neceſſitatem, cum qua non ſtat voluntas; ſequitur contra ipſum, aliud fieri quàm præſciuit. Præſciuit enim voluntatem, quæ inducta neceſſitate non erit. Quod iterum confirmat ſequentibus verbis, *Omitto illud æquè monſtruoſum, quod paulò antè dixiſti, eundem hominem dicere, neceſſe eſt vt ita velim: qui neceſſitate ſuperpoſita auferre nititur voluntatem. Si enim neceſſe eſt vt velim, vnde volet, cùm voluntas non erit?* Vbi manifeſtum eſt ab Auguſtino, contradictionem agnoſci in eo quod dicitur, *neceſſe eſt vt velim*, propterea *quòd neceſſitas ſuperpoſita auferat voluntatem*, & ideo quærit, *vnde volet, cùm voluntas non erit:* quæ ſcilicet per neceſſitatem aufertur? Hæc eſt clariſſima Sancti Auguſtini ſententia, quam Baiani fruſtra conantur corrumpere, ſuâ illâ gloſſâ de more textui contrariâ, cùm dicunt intelligendam ibi eſſe violentam, aut naturalem neceſsitatem. Qui enim objiciunt ex præſcientia ſequi neceſsitatem, nuſquam ſignificant ſe loqui de violenta, vel naturali; ſed ſimpliciter de illa omni, quæ cauſa eſt vt aliquid fiat. Omnem autem rejicere Auguſtinum patet ex tribus argumentis euidentibus. Primum petitur ex comparatione, quâ vtitur Auguſtinus, inter præſcientiam quam habet Deus eorum quæ facturi ſunt homines, & eorum quæ facturus eſt ipſe. Vult enim ſicut ex eo quòd Deus præſciat ſe aliquid facturum, non ſequitur neceſsitate facere quæ facit; ita neque homines. Diuina autem præſcientia non ſolùm non inducit in diuinam voluntatem neceſſitatem violentam, aut naturalem; ſed neque vllam omnino, quæ ſit antecedens, & cauſalis: cùm ſit certiſſimum cauſalem iſtam eſſe veram, Quia Deus vult facere, præſcit ſe facturum: non autem iſtam, Quia præſcit ſe fa-

ĉturum, vult facere. Auguſtini verba ſunt, *Nonne igitur caues vt tibi dicatur etiam ipſum Deum quæcumque facturus eſt, non voluntate, ſed neceſſitate facturum, ſi omnia quorum præſcius eſt, neceſſitate fiant, non voluntate?*

Secundum argumentum eſt, Quia non aliam ex præſcientia futuri neceſſitatem ſequi putat, quàm ex memoria præteriti, vt ibi ſignificat, cùm dicit, *Sicut tu memoriâ tuâ non cogis facta eſſe quæ præterierunt, ſic Deus præſcientiâ ſuâ non cogit facienda quæ futura ſunt.* Atqui ex memoria non ſequitur neceſsitas vlla antecedens & cauſalis in rem præteritam: nullam ergo talem ſequi putat ex præſcientia in rem futuram.

Tertium argumentum eſt, Quia Auguſtinus ex illa neceſſitatis excluſione infert Deum non eſſe authorem eorum omnium quæ præſcit, *Et ſicut tu*, inquit, *quædam quæ feciſti meminiſti: nec tamen quæ meminiſti omnia feciſti: ita Deus omnia quorum ipſe eſt auctor præſcit, nec tamen omnium quæ præſcit ipſe auctor eſt. Quorum autem non eſt auctor, juſtus eſt vltor.* Hoc dicit, vt ſoluat dubium Euodii, qui oppoſuerat; *Scire vellem quâ juſtitiâ puniat peccata, quæ neceſſe eſt fieri, aut quomodo non ſit neceſſe fieri, quæ futura eſſe præſciuit?* Auguſtinus dicendo, non ideo auctorem eſſe Deum eorum quæ præſcit, quia neceſſe eſt vt eueniant, ſi præſcita ſunt; ſignificat hanc neceſsitatem nec violentam eſſe, nec naturalem, nec vllam aliam antecedentem & cauſalem: quia quæcumque talis eſt, ſufficit vt is à quo procedit cenſeatur auctor eſſe eorum quæ tali ex neceſsitate eueniunt. Vnde addit, *hinc ergo jam intellige quâ juſtitiâ Deus peccata puniat, quia quæ nouit futura non facit.* Quia ſcilicet præſciendo nullam inuehit cauſalem neceſsitatem & quâ cenſeri poſsit fieri quod fit. Illam ergo intelligit, dum neceſsitatem à voluntate libera excludit, ejus autem excluſio indifferentiæ confeſsio eſt.

§. 2. *Teſtimonia reliqua.*

PROBATVR quartò ex lib. 3. de libero arbitrio. *Quis peccat in eo quod nullo modo caueri poteſt? peccatur autem; caueri igitur poteſt.* Nulla eſt ratio cur peccatori non eſ-

ſet imputandum peccatum, ſi caueri ab eo non poſſet, quàm quia non putaretur peccare liberè: Ergo ad libertatem, quæ neceſſaria eſt ad peccandum, requirit Auguſtinus, vt qui peccat poſſit non peccare: quod eſt indifferentem habere libertatem ad peccandum & non peccandum.

Reſpondent Baiani hæc dici ab Auguſtino contra Mânichæos diſputante, cum quibus contentio erat de prima origine mali, & de ſtatu naturæ integræ, cujus primum peccatum nullum fuiſſet, niſi caueri potuiſſet. Aliud autem ſentire Auguſtinum quando agit de natura lapſa, cujus peccata conſequuntur ex primo illo peccato, quo lapſa eſt: & ideo non deſinunt eſſe peccata, etiam ſi caueri non poſſint à peccante.

Contrà. Quæ dicit Auguſtinus contra Manichæos diſputans, eadem valere putat contra Pelagianos: ergo quæ dicit de natura integra, quantum ſpectat ad hoc caput, extendenda putat ad naturám lapſam. Probatur hoc ex ipſomet Cap. 9. Auguſtino 1. Retractationum, vbi relatis ſuperioribus verbis ſubjungit, *In his atque hujuſmodi verbis meis, quia gratia Dei commemorata non eſt, de qua tunc non agebatur, putant Pelagiani, vel putare poſſunt, ſuam nos tenuiſſe ſententiam. Sed fruſtra hoc putant.* Quibus verbis Auguſtinus ſignificat Pelagianos ſententiam illam vniuerſim accepiſſe, quaſi comprehenderet etiam præſentem ſtatum: ac proinde credidiſſe, veluti Auguſtino etiam conſentiente, in præſenti ſtatu caueri poſſe peccata ſine gratia, propterea quòd gratia non eſſet ibi commemorata. *Sed fruſtra hoc putant*, inquit Auguſtinus. Quare verò fruſtra hoc putant? Quia in præſenti ſtatu quiſque peccat in eo quod caueri non poteſt? Minimè. Auguſtinus nullo modo ſignificat ex eo capite Pelagianos errare. Ex quo igitur? Nimirum ex eo, quòd quia gratiæ nulla fuerat mentio, putant à nobis peccata vitari poſſe ſine gratia: & eadem facilitate qua vitari poſſent, ſi eſſet illæſa natura: nec à concupiſcentia per tenebras ignorantiæ præcipitaretur, vt modò fit. Confitere gratiam ſine qua *rectè piéque viui à mortalibus non poteſt*, & de cætero dic quantumcumque voles, *Nemo peccat in eo quod caueri nullo modo poteſt.* Nec aliò tendit quod addit poſtea, ſe vel tunc cùm Manichæos impugnaret, *agno-*

uiſſe etiam per ignorantiam facta quædam improbari & corrigenda judicari : & quædam etiam neceſſitate facta improbari, vbi vult homo rectè facere, & non poteſt : vnde ſunt illæ voces; non enim quod volo bonum hoc facio. Et propterea dicit *longè antequam Pelagiana hæreſis extitiſſet, ſe ſic diſputaſſe velut jam contra illos diſputaret.* Neque enim aliam ob cauſam dicit ſe contra Pelagianos diſputaſſe, quàm quia dixerat hanc miſeriam, *ignorantiæ* ſcilicet & *concupiſcentiæ*, *non eſſe naturam inſtituti hominis, ſed pœnam damnati*: atque ita docuerat agnoſcendum eſſe peccatum originale, quod Pelagiani negabant; vnde ſequeretur diuinæ gratiæ neceſſitas, quod iterum inculcarat his verbis, *Ad quam miſeriam juſtæ damnationis pertinet ignorantia & difficultas, quam patitur omnis homo ab exordio natiuitatis ſuæ:* nec ab iſto *malo, niſi Dei gratia quiſquam liberatur.* Quòd ſi quis vtrumque illud caput, peccati originalis, & neceſſitatis gratiæ, concedat; jam dixi nihil impedire Auguſtinum quominus quoque verum ſit, *peccatur, caueri igitur poteſt.* Et ideo in lib. de natura, & gratia, vbi Pelagio reſpondet eadem illa verba, *quis peccat in eo quod &c.* objicienti, Auguſtinus, *Agnoſco*, inquit, *verba mea ſunt, ſed etiam ipſe dignetur agnoſcere ſuperiùs cuncta quæ dicta ſunt, de* GRATIA QVIPPE DEI AGITVR QVÆ NOBIS PER MEDIATOREM MEDICINA OPITVLATVR, *non de impoſſibilitate juſtitiæ.* Quæ manifeſta eſt confeſsio, quòd ipſe non neget etiam in hoc ſtatu, de quo cum Pelagio diſputat, verum eſſe quod dixerat contra Manichæos. Non enim agere ſe de impoſsibilitate juſtitiæ, qua continetur impoſſibilitas cauendi peccatum, ſed de neceſsitate medicinalis Chriſti gratiæ, cujus beneficio fit vt peccatum caueri poſſit. Adeſſe verò hujuſmodi gratiam, quotieſcumque neceſſaria eſt, vt tranſgreſsio præcepti imputari poſsit ad culpam, eáque ratione verum eſſe caueri poſſe peccatum, dum peccatur, apertè ſignificat Auguſtinus eodem loco, dum confirmat quod dixerat in tertio illo libro, *Non tibi ad culpam imputatur quod inuitus ignoras, ſed quod negligis quærere quod ignoras: neque illud quod vulnerata membra non colligis, ſed quod volentem ſanare contemnis.* Quò etiam pertinent illa ex eodem libro tertio de libero arbitrio, *Non enim ante omne meritum boni operis parum eſt accepiſſe naturale judicium, quo ſapientiam præ-*

Cap. 16.

Cap. 67.

ponat errori, & quietem difficultati : vt ad hæc non naſcendo ſed ſtudendo perueniat. Quod ſi agere noluerit, peccati rea tenebitur, tanquam quæ non bene vſa ſit ea facultate, quam accepit. Quanquam enim in ignorantia & difficultate nata ſit, non tamen ad permanendum in eo quod nata eſt ALIQVA NECESSITATE *comprimitur.* Ex quibus omnibus perſpicuum eſt ex mente Auguſtini, etiam ſuppoſita ignorantia & concupiſcentia, quæ ſunt lapſæ naturæ vulnera, verum eſſe quod dixerat, *Quis peccat in eo quod nullo modo caueri poteſt, peccatur autem, caueri igitur poteſt.* Neque fortè deerit qui putet ſuperfluo labore id probatum eſſe, quòd ipſe loquendi modus id omnino præſeferat. Illa ſiquidem interrogatio, *Quis peccat in eo quod nullo modo caueri poteſt*, æquiualet huic negatiuæ vniuerſali, *Nullus peccat in eo quod nullo modo caueri poteſt*, quam falſam & ridiculam reddit, qui negat comprehendere præſentem hominum ſtatum. Deſtruit enim illius vniuerſalitatem & ſignificationem illam per verbum de præſenti, cùm reducitur ad iſtam per verbum imperfecti præteriti, *In ſtatu innocentiæ,* in quo erant tantùm duo homines, *nemo peccabat in eo quod caueri non poterat.* Certè ille affatim ridendus eſſet, qui diceret, *Quis moritur qui malit viuere?* quæ huic æquiualet, *Nullus moritur ſi viuere malit*, quæ vera fuit in ſtatu innocentiæ. Sed quia jam eo modo prolata præſentem ſtatum deſignat, ideo ſimpliciter falſa eſt, & ejus contraria eſt vera, etiam apud Auguſtinum, locis antea citatis, vbi dicit viuere & mori non eſſe in noſtra poteſtate. Breuiter dico, iſtarum duarum propoſitionum, *Nemo peccat in eo quod cauere non poteſt*, &, *Nemo moritur ſi mori nolit*, apud Auguſtinum vna affirmatur, alia negatur. Apud Ianſenium deſignato ſtatu innocentiæ vtraque eodem modo, eodémque ſenſu vera eſt: & vtraque falſa, deſignato præſenti ſtatu: Ergo Auguſtini & Ianſenii contraria doctrina eſt.

c. 1. Probatur quintò ex eodem lib. 3. de libero arbitrio, *Reſtat igitur vt mentis ſit proprius iſte motus, quo fruendi voluntatem à Creatore ad creaturam conuertit : qui motus ſi culpæ deputatur, vnde qui dubitat irriſione dignus tibi viſus ; non eſt vtique naturalis, ſed voluntarius; in eóque ſimilis eſt illi motui, quo deorſum verſus lapis fertur, quòd ſicut iſte proprius eſt lapidis, ſic ille animi ;*

VERVMTAMEN IN EO DISSIMILIS, QVÒD IN POTESTATE NON HABET LAPIS COHIBERE MOTVM QVO FERTVR INFERIVS, ANIMVS VERO CVM NON VVLT NON ITA MOVETVR, *vt ſuperioribus deſertis inferiora diligat : & ideo lapidi naturalis eſt ille motus, animo verò iſte voluntarius. Hinc eſt, quòd lapidem ſi quis dicat peccare, quòd pondere ſuo tendit in infima, non dicam ipſo lapide ſtolidior, ſed profectò demens judicatur. Animum verò peccati arguimus, cùm eum conuincimus ſuperioribus deſertis adfruendum inferiora præponere.* Quibus auditis reſpondet Euodius, *Video & quodammodo tango & teneo vera eſſe quæ dicis. Non enim quidquam tam firmè atque intimè ſentio, quàm me habere voluntatem, eáque me moueri ad aliquid fruendum &c.*

Vbi primò conſtat euidenter, Auguſtinum in vniuerſum ita loqui, vt comprehendat etiam ſtatum præſentem. Nam quod dicit *arguimus*, *conuincimus*, & quod reſpondet Euodius, *video*, *tango*, *teneo firmè*, *atque intimè ſentio*, quis adeò deſipiat, vt transferat ad ſtatum innocentiæ? Num exercet Auguſtinus præceptum fraternæ correctionis erga Adamum, dum dicit *arguimus*, *conuincimus?* Et Euodius num experitur in ſe diſpoſitionem animi, quam habuerat Eua dum dicit, *ſentio*, *teneo*, *tango?* Adde quòd ex his poſtea infert, opportunè moneri homines, vt ſpretis inferioribus bonis ſuperna requirant. Quos verò homines? Ad Adamum & Euam ſcribendas putat paræneſes, atque ad futuram, ſi illi non peccaſſent, in ſtatu innocentiæ rempublicam?

Secundò conſtat ibidem, in eo diſtingui motum lapidis à voluntario & deliberato animi motu, quòd lapis, qui mouetur deorſum, non habeat in poteſtate non moueri: hoc enim eſt quod dicit, *verumtamen in eo diſſimilis, quòd in poteſtate non habet, lapis cohibere motum, quo fertur inferius*, habet igitur animus, dum voluntario illo motu mouetur, *in poteſtate* illum cohibere, poſtquam in eo diſſimilis eſt lapidi.

Tertiò conſtat hanc aſſignari cauſam ab Auguſtino, cur lapis cadendo peccare non poſſit: *Hinc eſt*, inquit, *quod lapidem ſi quis dicat peccare &c.* Ergo à contrario, eam eſſe cauſam putat, cur animus peccet: & nihilo magis peccaturum quàm lapidem, *ſi non haberet in poteſtate* motum cohibere, quo mouetur. Atqui hoc eſt non aliam eſſe rationem, cur lapis

non peccet, niſi quia non mouetur cum indifferentia vt moueatur vel non moueatur : & cur animus peccet, niſi quia cum illa indifferentia mouetur : ſiquidem moueri ſine poteſtate cohibendi motum, eſt moueri ſine indifferentia. Manifeſtum igitur eſt Auguſtinum indifferentiam poſtulare ad libertatem peccando neceſſariam.

Probatur ſextò ex eodem lib. 3. de lib. arbitrio, vbi repræſentat homines expoſtulantes de diuina prouidentia, quaſi ipſis injuſtè imputaret aliena peccata, ſcilicet Adami & Euæ. *Dicunt enim*, inquit, *ſi Adam, & Eua peccauerunt; quid nos miſeri fecimus, vt cum ignorantiæ cæcitate, & difficultatis cruciatibus naſceremur: & primò erraremus neſcientes quid nobis eſſet faciendum: deinde vbi nobis inciperent aperiri præcepta juſtitiæ, vellemus ea facere, & renitente carnalis concupiſcentiæ neſcio qua neceſſitate non valeremus?* hæ ſunt hominum querelæ, *Quibus breuiter reſpondetur*, inquit Auguſtinus, *vt quieſcant, & aduerſus Deum murmurare deſiſtant. Rectè enim fortaſſe quererentur, ſi erroris & libidinis nullus hominum victor exiſteret.* hoc eſt ſi nullo exemplo vel experientia conſtaret difficultates illas vinci poſſe. *Cùm verò vbique ſit præſens, qui multis modis per creaturam ſibi Domino ſeruientem auerſum vocet, doceat credentem, conſoletur ſperantem, diligentem exhortetur, conantem adjuuet, exaudiat deprecantem*, hoc eſt, cum gratia, per quam aliqui ſunt victores erroris & libidinis, iis etiam adſit qui ſe vinci patiuntur, *non tibi ad culpam imputatur quod inuitus ignoras, ſed quod negligis quærere quod ignoras: neque illud, quod vulnerata membra non colligis, ſed quod volentem ſanare contemnis.* Quod eſt dicere, non jam ampliùs damnaris propter peccatum Adami, ſed propter propriam negligentiam, quâ oblatis à Deo mediis ad cognoſcendam veritatem, & ſanitatem recuperandam abuteris. vnde addit, *Iſta tua propria peccata ſunt.* NVLLI ENIM HOMINI ABLATVM EST SCIRE VTILITER QVÆRERE, QVOD INVTILITER IGNORAT. *Et humiliter confitendam eſſe imbecillitatem vt quærenti & confitenti ille ſubueniat, qui non errat dum ſubuenit, nec laborat.*

Cap. 67. Vides ex hoc loco qui totus ab Auguſtino approbatur contra Pelagianos diſputante in libro de natura & gratia, quomodo murmuratores illos, qui querebantur ſe plecti propter peccata quæ videbantur ab eorum voluntate aliena eſſe, nimirum

mirum propter peccata Adami & Euæ, Sanctus Doctor compeſcat cùm dicit, falsò illos & immeritò ſuam culpam in Adamum & Euam conari conjicere: eſſe enim *propriam* ipſorum, *Iſta tua* PROPRIA *peccata ſunt*. Quare verò ſunt propria; *ſeu propria voluntatis peccata?* Quia inquit, *vbique præſens eſt, qui multis modis per creaturam ſibi Domino ſeruientem auerſum vocet: & ideo nulli homini ablatum eſt ſcire vtiliter quærere, quod inutiliter ignorat.* Hæc eſt propria voluntatis negligentia, propriúmque peccatum.

Ex quibus ita licet argumentari, Tota ratio quam affert Auguſtinus cur ignorantia & libido imputentur ad proprium & perſonale peccatum, quando quis ab iis ſuperatur, ea eſt, quòd iis, qui ſic ſuperantur, non deſit gratia, qua victores eſſent, ſi vellent. Atqui ſuperari cum tali gratia non eſt aliud, quàm talem eſſe eorum voluntatem, vt ſuperari, & non ſuperari poſsit: Ergo talem eſſe voluntatem vt ſuperari & non ſuperari poſsit, eſt tota ratio, quam affert Auguſtinus, cur ignorantia & libido imputentur ad proprium & perſonale peccatum. Sed talem eſſe voluntatem eſt eſſe indifferentem, & liberam à neceſsitate ad vnum determinante. Ergo ea eſt Auguſtino tota ratio, cur aliquid imputetur ad proprium & perſonale peccatum.

Atque hoc Auguſtinus iterum inculcat dum ſubjungit: Cap. 10. *Non enim ante omne meritum boni operis, parum eſt accepiſſe naturale judicium, quo ſapientiam præponat errori, & quietem difficultati: quod ſi agere noluerit, anima peccati rea jure tenebitur*, TANQVAM QVÆ NON BENE VSA SIT EA FACVLTATE QVAM ACCEPIT. *Quamquam enim in ignorantia & difficultate nata ſit, non tamen ad permanendum in eo quod nata eſt* ALIQVA NECESSITATE COMPRIMITVR. Non comprimi aliqua neceſsitate, eſt nulla neceſſitate comprimi, quo pacto excluditur, non tantùm violenta & naturalis neceſſitas, ſed quæcumque alia antecedens & cauſalis: & ea ſola eſt cauſa, cur anima teneatur rea ex Auguſtino, dum per ignorantiam vel concupiſcentiam peccat: ergo ratio cur peccet eſt, quia caret antecedenti neceſſitate, quâ ſeclusâ reſtat indifferentia.

Et iterum eodem loco, juxta eam ſententiam propagationis animarum, quæ alicui placere poſſet, quòd ſcilicet

animæ alibi productæ ſua ſponte veniant ad corpora, *Negligentibus*, inquit, *& ſua peccata de infirmitate defendere volentibus, non ipſam ignorantiam difficultatémque pro crimine objiceret Deus, ſed quia in eis potiùs permanere, quam ſtudio quærendi atque diſcendi, & humiliter confitendi atque orandi, ad veritatem ac facilitatem peruenire voluerunt, juſto ſupplicio vindicaret.* Vbi iterum vides & reatus imputationem, & ſupplicii juſtitiam ab Auguſtino refundi in facultatem non peccandi, quam habere ſupponit eos qui peccant, quod eſt, ad indifferentiam recurrere.

Probatur ſeptimò ex libro de duabus animabus, contra Manichæos, & ex illa definitione voluntatis, quam tradit & approbat, *Voluntas eſt motus animi cogente nullo*, vbi quid intelligat per τὸ *cogente nullo*, explicat ipſe poſtea cap. 12. *Si ita coguntur* animæ peccare, *vt poteſtas reſiſtendi nulla ſit, non peccant: ſi eſt in poteſtate ſua reſiſtere & propria voluntate conſentiant, cur tanta bona in ſummo malo? cur hoc malum in ſummo bono?* Vbi clarè vides *cogente aliquo* apud Auguſtinum idem eſſe, ac *nullam ſupereſſe reſiſtendi poteſtatem*: & *nullo cogente*, idem eſſe, ac *eſſe in poteſtate* τὸ reſiſtere. Hoc verò quid aliud eſt, quàm voluntatem eſſe talem animi motum, vt ſit in poteſtate reſiſtere mouenti, ſeu eſſe talem motum, quem animus poſſit admittere, & reprimere? Hæc autem eſt indifferentia.

Cap. 15. Et hoc confirmatur ex primo Retractationum, vbi Auguſtinus hanc definitionem recognoſcit & confirmat, *Quiſquis ſciens peccat, ſi poteſt cogenti ad peccatum ſine peccato reſiſtere, nec tamen facit; vtique volens peccat. Quoniam qui poteſt reſiſtere, non cogitur cedere.* Vbi iterum vides non coactionem poni in poteſtate reſiſtendi, & pro eodem haberi, non cogi & poſſe reſiſtere. Iam verò vide quid addat: *Qui verò cogenti cupiditati bona voluntate reſiſtere non poteſt; & ideo facit contra præcepta juſtitiæ, jam hoc ita peccatum eſt, vt ſit etiam pœna peccati.* quæ verba relatiua ſunt ad ea quæ præceſſerant, cùm dixit, *poteſt etiam putari falſa eſſe iſta ſententia, qua diximus, nuſquam niſi in voluntate eſſe peccatum, quia dixit Apoſtolus, ſi autem quod nolo, hoc facio, jam non ego operor illud, ſed quod habitat in me peccatum, hoc enim peccatum vſque adeò non

eſt in voluntate, vt dicat, quod nolo, hoc facio. Quomodo ergo nuſquam eſt niſi in voluntate peccatum? Sed hoc peccatum, de quo ſic loquutus eſt Apoſtolus, ideo peccatum vocatur, quia peccato factum eſt, & pœna peccati eſt.

En quo ſenſu dicat peccatum illius qui cogenti cupiditati bona voluntate reſiſtere non poteſt, eſſe peccatum & pœnam peccati. Nimirum vult eſſe peccatum, cui quando bene viuitur, non conſentit voluntas, quódque ob eandem cauſam non eſt in voluntate: à quo peccato diſtinguit illud quod etiam in voluntate eſt, quódque committitur, dum concupiſcentiæ conſentitur. *Quamquam*, inquit, *& hoc peccatum quo conſentitur peccato concupiſcentiæ, nonniſi voluntate committitur.* Cogi autem homines ad conſentiendum cupiditati, pleno & deliberato conſenſu, dico Auguſtinum nec dixiſſe vnquam, nec cogitaſſe. Ideo autem non cogitauit quemquam cogi, quia putauit nullum non poſſe reſiſtere. Atque ex his refutatum manet quod Baiani objiciunt, Auguſtinum hîc loqui de voluntate eorum, qui primi peccarunt. Quia jam oſtenſum eſt, etiam intelligi de voluntate, qua concupiſcentiæ conſentitur. Eſt enim hoc quoque peccatum in voluntate, prout voluntas definita eſt, quod euidentiùs fiet ex mox dicendis.

Probatur octauò, ex illa definitione peccati, quam tradit Auguſtinus eodem libro de duabus animabus, cùm dicit, *Peccatum eſt voluntas retinendi, vel conſequendi quod juſtitia vetat, & vnde liberum eſt abſtinere. Quanquam ſi liberum non ſit, non eſt voluntas. Sed malui craſſiùs quàm ſcrupuloſiùs definire eam rem.* Quod dicit, *eſt voluntas*, intelligit voluntatem jam à ſe definitam *motum animi, cogente nullo.* Et vide quid dicat, ſuppoſitâ illâ voluntatis notione, redundare particulas illas in definitione, *vnde liberum eſt abſtinere.* Nempe quòd voluntas eo ipſo quod eſt voluntas jam definita, hoc ipſum dicat. Quæ eſt manifeſta quædam confirmatio explicationis jam datæ verborum illorum *cogente nullo. Sed malui*, inquit Auguſtinus, *craſſiùs quàm ſcrupuloſiùs definire eam rem.* O ſaluberrimum conſilium! Ita enim expediebat ſanando ſtupori hominum, qui capere vel non poſſunt vel nolunt, quod apud Auguſtinum expoſitum eſt, voluntatem qua peccatur, eſſe Cap. 11.

actum facultatis, quæ poteſt agere, & non agere: ac proinde facultatis neceſſitate carentis ad vnum determinante. O felix Auguſtini peccatum, quo maluit ſcrupuloſas dialecticorum leges violare, quàm vllum ignorandæ, negandæue huiuſce veritatis prætextum relinquere! Sed quid fiet Baianorum oculis, qui poſtquam tam multis annis Auguſtinum in omnem paginam verſarunt, cùm toties occurriſſet, nunquam viderunt, *non eſſe voluntatem, ſi non ſit liberum abſtinere:* ideóque contumaciter pugnant, & eſſe voluntatem: & eſſe liberam voluntatem illam, quæ ſequitur ex neceſſitate ad vnum determinante: hoc eſt illam, à qua *non eſt liberum abſtinere*, contra manifeſtam Auguſtini ſententiam? Neque enim dici poteſt illud, *vnde liberum eſt abſtinere*, cadere in rem volitam, non verò in ipſam voluntatem. Eſſet enim hoc modo Auguſtini definitio falſa, & erronea: cùm certum ſit peccatum eſſe etiam voluntatem eius rei, à qua non eſt liberum abſtinere. Quis enim negat voluntatem delectationum concupiſcentiæ peccatum eſſe, quamuis non ſit liberum abſtinere ab illis? Nempe quia tametſi non ſit liberum abſtinere à delectationibus, eſt tamen liberum abſtinere ab earum voluntate. Ergo illud, *vnde liberum eſt abſtinere*, in voluntatem ſeu volitionem ipſam cadit, non in eius obiectum.

Hîc iterum Ianſeniani objiciunt, Auguſtinum intelligendum de primo peccato, quod fuit peccatum tantùm, non de conſequentibus inde peccatis, quæ modò committuntur in ſtatu naturæ lapſæ. Sed hæc eſt aperta quædam præuaricatio & Auguſtinianæ ſententiæ corruptela. Quia quamuis verum ſit, & ipſe Auguſtinus ſignificet, ſe, quia quærebat primam originem mali, dum hæc diſputabat, primum peccatum reſpexiſſe; credidiſſe tamen hoc quod dicebat de primo peccato, illi tantùm conuenire, non autem conſequentibus, quæ propria & perſonalia peccata ſunt in hoc rerum ſtatu, in quo nunc verſamur, deliberatè commiſſa; non ſolùm falſum eſt, ſed ab ipſo etiam Auguſtino adeò perſpicuè declaratum, vt ſi qui negent, proditæ veritatis excuſari minimè poſſint. Conſtat hoc primò ex eo quod dicit Auguſtinus in opere imperfecto contra Iulianum, qui hanc illi definitio-

nem objecerat, vt probaret contradicere ipſum ſibi. Reſpondet autem Auguſtinus, etiam nunc multa peccare homines, à quibus liberum eſt abſtinere, *Multa quoque ſunt quæ agunt homines mala, à quibus liberum eſt abſtinere.* Num. 48.

Conſtat ſecundò ex diſcurſu Auguſtini in hoc ipſo libro de duabus animabus, vbi tantum abeſt vt quod dicit veritatem habere putet ſolùm in primo peccato; vt hoc colligat potiùs ex communi hominum ſenſu circa peccata, quæ jam fiunt, & applicet deinde primo peccato. Vide enim quid addat poſt allatam definitionem. *Nec hi libri obſcuri mihi ſcrutandi erant, vnde diſcerem neminem vituperatione ſupplicioue dignum, qui aut id velit, quod juſtitia velle non prohibet, aut id non faciat, quod facere non poteſt.* Hoc eſt, ego cùm eſſem Manichæus, & cum illis vel non crederem, vel neſcirem peccatum originale, ſequutámque inde humanæ naturæ corruptionem; non egebam tamen ſpeculatione magna, & ſcrutatione arcanorum librorum, vt intelligerem verum eſſe quod jam dixi, neminem videri peccare, quòd non faciat quod facere non poteſt, quod eſt peccare in ea re, à qua non eſt liberum abſtinere. Quare autem non egebat Auguſtinus magno ſtudio, vt hoc intelligeret? *Quia*, inquit, *nonne iſta cantant in montibus paſtores, & in theatris poëtæ, & indocti in circulis, & docti in bibliothecis, & magiſtri in ſcholis, & Antiſtites in ſacris locis, & in orbe terrarum genus humanum?* Ex hac autem vniuerſali notione mortalium infert Auguſtinus, ſe non modò nunc quando inſtructior eſt, ſed tunc quoque quando cum Manichæis errabat, potuiſſe peccatum definire vt jam definit, *peccatum eſt voluntas retinendi vel conſequendi quod juſtitia vetat, & vnde liberum eſt abſtinere.* De quo autem quæſo peccato cogitant paſtores in montibus, poëtæ in theatris, indocti in circulis? De quo, inquam, peccato cogitant, quando negant eſſe peccatum à quo liberum non eſt abſtinere? Alia peccata cogitant quàm ea quæ jam fiunt, & quorum experientiam & cognitionem habent? Quid illis cum peccato, quod Chriſtiana tantùm fides reuelauit primum fuiſſe? Perſpicuum igitur eſt, nihil aliud velle Auguſtinum, quàm ita eſſe notum omnibus hominibus, eſſe intrinſecum & eſſentiale ipſi rationi peccati, quod eſt di-

gnum vituperatione & ſupplicio, vt qui peccat poſſit non peccare; quemadmodum notum eſt totum eſſe maius ſua parte, vel quod paulo antè dixit, notum eſt vnicuique ſe viuere; & ſe voluntatem habere. Nam ſuperiorem quoque definitionem voluntatis, quâ dicta eſt, eſſe motus animi cogente nullo, Auguſtinus pariter colligit ex communi omnium ſenſu, cùm dicit, *Hoc vbique manifeſtum eſſe, & non doctrina, ſed natura omnibus promptum: hoc proclamare naturam ipſam in omnibus, quos non abſurdè interrogare poſſumus; à puero vſque ad ſenem, a ludo literario, vſque ad ſolium ſapientiæ: hæc eſſe luce clariora: nec eſſe tantùm ſuæ notitiæ, ſed notitiæ generis humani, veritatis ipſius liberalitate donatæ*, ſine voluntate prout jam definita eſt peccatum eſſe non poſſe, *idque omnem mentem apud ſe diuinitus conſcriptum legere*. Ergo Auguſtinus ita progreditur, vt à Manichæis exigat confeſſionem ejuſce veritatis, quam ſine ſtudio, ſine diſciplina, ipſum lumen rationis impreſſit mortalibus omnibus, peccatum eſſe non poſſe ſupplicio & vituperatione dignum, à quo non eſt liberum abſtinere. Mortales autem omnes dum hoc judicant, non aliud cogitant peccatum, quàm quod eodem lumine naturali cognoſcitur conuenire tanquam genus iis ſpeciebus, quæ ſunt illis in hoc ſtatu rerum cognitæ, hoc eſt furtis, adulteriis,
Cap. 15. homicidiis, &c. Ergo ſupponit Auguſtinus veluti rem, quam nec ipſe ignorare poterat, dum eſſet Manichæus, nec modò ignorare poteſt vllus, qui lumine rationis fruatur, peccatum quod dicitur de iis quæ in hoc rerum ſtatu committuntur, vt ſunt adulteria, furta, homicidia & ſimilia, inuoluere voluntatem, à qua liberum ſit abſtinere. Vnde vlteriùs procedit, vt oſtendat minimè fuiſſe neceſſarium ad inueniendam mali originem & primam cauſam confugere ad permixtionem duarum animarum in eodem homine, quarum vna eſſet de gente tenebrarum & mala, alia verò ex Dei ſubſtantia & ex ſe bona; poſſe enim huiuſmodi originem inueniri in voluntate vnius & eiuſdem animæ; quæ priùs bona, libera tamen voluntate, ſeu voluntate à qua liberum eſt abſtinere, dum peruerſè amat quæ odiſſe debuerat, vel peruerſè odit quæ amare debuerat; initium dedit malo, illæſa Dei bonitate ac prouidentia. Atque ita tan-

tum abeſt vt Auguſtinus excluſerit ab illa definitione peccata conſequentia, quæ committuntur in præſenti rerum ſtatu; vt ſupponat cognitum priùs & judicatum euidenter euidentiâ luminis naturalis iſtis conuenire: atque ab iis abſtractam & præciſam applicari debere peccato, quod primò commiſſum eſt, vt confutentur errores Manichæorum, & ſanctitas vnius rerum omnium Creatoris ab omni ſuſpicione mali purgetur. Hanc eſſe liquidiſſimam Sancti Auguſtini mentem, ſi negare pergant Baiani; ne jactent ſe in inueſtiganda Sancti Doctoris ſententia plurimos annos conſumpſiſſe: quia nihil aliud obtinere poterunt ab æquis judicibus, quàm ſe diu laboraſſe vt eius doctrinam inuoluerent, & abſconderent veritatem.

Probatur nonò, ex eodem libro, dum ait, *Dicere animas eſſe malas, & nihil peccare, plenum eſt dementiæ: dicere autem peccare ſine voluntate, magnum deliramentum eſt: & peccati teneri reum quenquam, quia non fecit quod facere non potuit, ſummæ iniquitatis eſt, & inſaniæ. Quamobrem illæ animæ quidquid faciunt, ſi natura non voluntate faciant; id eſt, ſi libero ad faciendum & ad non faciendum motu animi carent; ſi denique his abſtinendi ab opere ſuo poteſtas nulla conceditur, peccato earum teneri no npoſſumus.* Cap. 12.

Si petam à Nou-Auguſtinianis de peccatis quæ in hoc ſtatu naturæ lapſæ à nobis deliberatè committuntur, vtrum natura fiant, an voluntate; nolent vt opinor contradicere Auguſtino dicenti, dum hunc librum de duabus animabus recognoſcit, *Etiam hoc peccatum quo conſentitur peccato concupiſcentiæ, nonniſi voluntate committi.* Ergo dum peccamus, non naturâ ſed voluntate peccamus ex Auguſtino. Iterum ſi quæram, quid eſt hoc, nos non naturâ, ſed voluntate peccare? Habentne aptius aliquid quod reſpondeant, quàm Auguſtinianum illud, *id eſt*? Natura, non voluntate aliquid facere, *id eſt*, inquit Auguſtinus, *carere libero ad faciendum & non faciendum animi motu:* atque ita pro eodem habet, natura non voluntate aliquid fieri, & fieri ſine libero ad faciendum & non faciendum animi motu. Vnde ſequitur pro eodem etiam habendum apud Auguſtinum, aliquid non naturâ ſed voluntate fieri, & fieri libero animi motu ad faciendum, & non faciendum. Atqui peccatum non naturâ, ſed volun- 1. Retr. cap. 15.

tate fieri, & fieri libero animi motu ad faciendum, & non faciendum. Atqui peccatum non naturâ, ſed voluntate fit apud eundem Auguſtinum, etiam in hoc ſtatu naturæ lapſæ: Ergo peccatum, etiam in hoc ſtatu naturæ lapſæ fit libero ad faciendum & non faciendum animi motu. Videamus quam partem huius ſyllogiſmi negare velint, cùm ſit totus Auguſtinianus. Sed quid opus eſt argumentatione, cùm Auguſtinus concluſionem ipſam totam ponat, cùm dicit, Si animæ quæ peccant, *carent libero ad faciendum, & non faciendum animi motu: ſi denique abſtinendo ab opere ſuo poteſtas nulla conceſſa eſt; peccato earum teneri non poſſumus?* Et vide quid excipiat dum relegit hunc locum in retractationibus, *Quod autem dixi*, inquit, *illæ animæ quidquid faciunt: ſi natura non voluntate faciunt, id eſt, ſi libero ad faciendum & non faciendum animi motu carent, ſi denique his abſtinendi ab opere ſuo poteſtas nulla conceditur, peccatum earum tenere non poſſumus: propterea non perturbat de paruulis quæſtio; quia ex illius origine rei tenentur, qui voluntate peccauit, quando libero ad faciendum & non faciendum motu animi non carebat, eique ab opere malo abſtinendi poteſtas ſumma erat.* Vbi vides Auguſtinum manifeſtè ſupponere, contra id quod dixerat, objici tantùm poſſe peccatum originale paruulorum, quòd ſcilicet nulla ei occurreret ratio dubitandi, quin peccato actuali & perſonali, quod propriâ voluntate contrahitur, totum hoc conueniat, quòd dixerat, *minimè reum teneri qui caruit libero ad faciendum & non faciendum animi motu, nec habuit poteſtatem abſtinendi ab opere ſuo.* Ac proinde juxta regulam illam quâ dicitur exceptio firmare legem, cùm Auguſtinus peccatum tantùm paruulorum excipiat, propterea quòd origine tantùm ex Adami voluntate ducta peccatum ſit; manifeſtum eſt argumentum, comprehendiſſe Auguſtinum lege illa omne aliud peccatum, quod non origine, ſed propria voluntate contrahitur in hoc rerum ſtatu.

Probatur decimò, ex eodem libro, cùm dicit, *Propterea corporea diligendo peccamus, quia ſpiritualia diligere & juſtitiâ jubemur & naturâ poſſumus: & tunc in noſtro genere optimi & beatiſſimi ſumus.* Quem locum vbi recognoſcit Auguſtinus, *Quæri poteſt*, inquit, *cur, naturâ & non gratiâ poſſumus, dixerim, ſed contra Manichæos de natura quæſtio verſabatur: & vtique id*

agit

agit gratia , vt ſancta natura , quod vitiata non poteſt , poſſit per eum qui venit quærere & ſaluum facere quod perierat , quanquam etiam gratiam tunc recolens oraui &c. Vbi vides totam illam ſententiam approbari, dummodo exprimatur quod erat ſubintellectum de neceſſitate gratiæ, dicatúrque , *propterea corporea diligendo peccamus , quia ſpiritualia diligere , & juſtitiâ jubemur , & naturâ per gratiam adiutâ poſſumus &c.* Ergo cauſam cur peccare cenſeamur corporea diligendo , Auguſtinus eam tantùm aſſignat , quòd dum diligimus corporea non deſit gratia, qua poſſimus non ſolùm non ea diligere , ſed diligere etiam ſpiritualia. Atqui hoc eſt dicere propterea peccari, quia habemus facultatem indifferentem vt faciamus, vel non faciamus id in quo peccamus, quod eſt carere omni neceſſitate antecedenti, ad vnum determinante.

Probatur vndecimò , ex inſigni loco eiuſdem libri , vbi ex honeſtate, neceſſitate, & poſſibilitate pœnitentiæ Auguſtinus ſubtiliſſimè confutat figmentum illud duarum animarum, quarum altera nihil mali committat, altera nihil admittat boni. Ergo ita ratiocinatur Auguſtinus: *Horum ſimile eſt quod de pœnitendo nunc dicam. Nam vt inter omnes ſanos conſtat, & quod ipſi Manichæi non ſolùm fatentur, ſed etiam præcipiunt; vtile eſt pœnitere peccati . . . . . vox eſt etiam iſta naturæ , neminem ſtultum rei huius notitia deſeruit , hoc nobis niſi etiam penitus inſitum eſſet, periremus. Poteſt aliquis dicere , ſe non peccare : non autem ſibi eſſe, ſi peccauerit , pœnitendum , nulla barbaries hoc dicere audebit. Quæ cùm ita ſint, quæro ex duobus illis generibus animorum, cujus ſit pœnitere peccati? Scio quidem nec illius eſſe poſſe , qui malè facere : neque illius qui bene facere non poteſt. Quare vt eorum verbis vtar, ſi anima tenebrarum peccati pœnitet , non eſt de ſubſtantia ſummi mali. Pœnitendi enim affectio illa, quæ prodit malè feciſſe pœnitentem , & bene facere potuiſſe teſtatur.*

Baiani nihilo magis quàm Manichæi negant pœnitendum eſſe de quolibet peccato : ne non ſolum Dei teſtimonium, ſed ipſum etiam rationis lumen, quo nulla gens eſt tam barbara quæ careat, oppugnare videantur: atqui *pœnitere* , inquit Auguſtinus, quod ab omni peccatore exigi poteſt, non poteſt tamen vt dictum eſt exigi ab eo, qui bene facere non poteſt , hoc eſt qui non poteſt pœnitere ; quo-

S

modo ergo peccatum erit impœnitentia? In tantum enim peccatum eſſe poteſt, in quantum omittitur quæ meritò exigitur pœnitentia: pœnitentia verò, inquit Auguſtinus, meritò exigi nequit ab eo qui non poteſt bene facere: quia hoc ipſo quod non poteſt bene facere, nec poteſt pœnitere. Quod ſi dicas, vitio ſuo peccator contraxit impotentiam illam pœnitendi: & ideo illi imputari debet, quod non pœniteat. Diceret pariter Manichæus, vitio ſuo incapacem eſſe pœnitentiæ, quæ mala ſupponitur, animam, vnde ſicut imputantur eius vitio alia peccata, ita & impœnitentiam imputandam eſſe, ſupponit ergo in vniuerſum Auguſtinus, non poſſe præcipi pœnitentiam niſi ei, cui pœnitendi facultas datur aut offertur. Et quia non eſt potior ratio de pœnitentia, quàm de quolibet alio virtutis exercitio; ſupponit in vniuerſum ad omne peccatum omiſſionis requiri facultatem faciendi quod omittitur: & à pari, ad omne peccatum commiſſionis requiri facultatem omittendi quod committitur: quæ eſt excluſio neceſſitatis ad vnum determinantis, & aſſertio indifferentiæ tali neceſſitati oppoſitæ, tanquam requiſitæ ad neceſſariam ad peccandum libertatem.

Probatur duodecimò, ex eo quod dicit Auguſtinus citato jam primo libro Retractationum, dum retractat librum de duabus animabus. Dicit autem allatam peccati definitionem veram eſſe, *Quia id definitum eſt, quod tantummodo peccatum eſt*, cuiuſmodi fuit peccatum Adami, & eſt modò conſenſus deliberatus voluntatis, quo concupiſcentiæ conſentit, *non quod eſt etiam pœna peccati*, cuiuſmodi ſunt motus concupiſcentiæ, qui voluntatis conſenſum ſollicitant. *Nam quando tale eſt, vt idem ſit & pœna peccati, quantum eſt quod valet voluntas ſub dominante cupiditate, niſi fortè ſi pia eſt, vt oret auxilium? In tantum enim libera eſt, quia in tantum liberata eſt, & in tantum appellatur voluntas*: ALIOQVI TVTIVS CVPIDITAS QVAM VOLVNTAS PROPRIE NVNCVPANDA EST. Quærimus quid intelligat Auguſtinus, dum dicit nos voluntate peccare, voluntate bene viuere, & præſcientiam ideo non tollere libertatem, quia ſemper id quod præſcitur eſt voluntas, qua vel peccaturi ſumus, vel bene acturi. Ecce id Auguſtinus hoc loco explicat, cùm dicit, non eſſe *propriè* vocandam voluntatem,

Cap. 11.

niſi ſit ita libera & liberata vt poſſit facere quod ab ea exigitur. Ergo ſi ſupponatur aliquis neceſſitate peccare, impellente cupiditate; ille non poteſt dici juxta Auguſtinum voluntate peccare, *propriè* loquendo: quandoquidem voluntas quæ non eſt adeò libera vel liberata, yt poſſit excutere jugum cupiditatis, non debet dici voluntas, ſed cupiditas. Vnde ſequitur, cùm nonniſi voluntate peccetur, voluntas autem non dicatur, quæ non eſt ſoluta à neceſſitate concupiſcentiæ, & potens non peccare, vt Auguſtinus ſignificat; non peccari, quando non eſt liberum abſtinere à peccato, ac proinde quando non eſt indifferentia.

Quod vt clariùs intelligatur, peto à Baianis, quando conſtat Auguſtinum loco citato diſtinguere voluntatem à cupiditate, quid cenſeant de propoſitione iſta, *homo in hoc rerum ſtatu non peccat voluntate, ſed cupiditate*, vera-ne ſit an falſa juxta doctrinam Auguſtini? Si vera eſt, errauit Auguſtinus, qui non ſolùm de peccato Adami, ſed de eo quoque quo à nobis concupiſcentiæ conſentitur hoc ipſo in loco pronuntiauit, *nonniſi voluntate committi*: idque non ſemel, ſed ter, quater, & quinquies. Si falſa eſt, & conſequenter ſi voluntate peccamus, prout voluntas à concupiſcentia diſtinguitur; Ergo neceſſaria eſt ad peccandum indifferentia; quia voluntas illa ſine qua non peccatur, non diſtinguitur à cupiditate, niſi per hoc quòd ſit ita libera, vt ei poſſit non conſentire, vt patet ex citato loco.

Dices, Auguſtinus non loquitur propriè, quando dicit nos voluntate peccare, & propriè loquitur quando diſtinguit voluntatem à cupiditate. Sed quid erit certum, & vbi figemus pedem in doctrina Auguſtini, ſi liceat ita interpretari, præſertim vbi aliquod nomen in eodem contextu, vt hic accidit, ſæpiùs vſurpatur? Et cùm *voluntatem* eodem modo ponat in definitione peccati, cujus hîc meminit, quando dicit, *peccatum eſt voluntas &c.* num dicemus voces impropriè ſumi ab Auguſtino, etiam in definitionibus, vbi earum proprietas maximè requiritur? Et quomodo quæſo accipit voluntatem, dum dicit, peccatum primum *quod juſta damnatio ſequuta eſt, nuſquam eſſe niſi in voluntate?* certè tunc propriè voluntas ſumi debet: quia tunc non erat cupiditas. Atqui ſtatim ſubiungit, *quanquam & hoc peccatum quo conſenti-*

tur peccatis concupiſcentia, NONNISI VOLVNTATE COMMITTITVR. Hîc ergo non ſumit voluntatem eodem modo, ſed impropriè? Atqui hoc dicere nugari eſſet. Voluntas vtrobique ſumitur eodem modo: ſed ſupponitur in nobis tentari & ſollicitari à concupiſcentia, non autem cogi, vel neceſſariò impelli: quod non fuit in Adamo.

Dices iterum Auguſtinum hæc ſubiungere, vnde pateat ipſum interdum confundere voluntatem cum cupiditate. *Quòd ſi quiſquam dicat etiam ipſam cupiditatem nihil aliud eſſe quàm voluntatem, ſed vitioſam, peccatóque ſeruientem, non reſiſtendum eſt: nec de verbis, cùm res conſtat, controuerſia facienda.* Reſpondeo hinc potiùs confirmari quod dixi, cùm conſtet hanc eſſe conceſſionem tantùm, vt quis aliter loquatur, quàm ipſe loquutus ſit: vnde manifeſtè colligitur, ipſum non illo modo de *voluntate* loquutum.

Probatur decimotertiò, ex libro contra Fortunatum, vbi Auguſtinus ſic loquitur, *Animæ rationali, quæ eſt in homine, dedit Deus liberum arbitrium, ſic enim poſſet habere meritum, ſi* VOLVNTATE NON NECESSITATE *boni eſſemus. Cùm ergo oporteat non neceſſitate, ſed voluntate bonum eſſe, oportebat vt Deus animæ daret liberum arbitrium.* Liberum arbitrium homini datum, erat arbitrium indifferens; & neceſſitas, quam excludebat, non erat tantùm neceſſitas coactionis, aut naturalis: ſed erat omnis omnino neceſſitas antecedens, & ad vnum determinans, vt Ianſenius paſſim fatetur. Vide autem quare dicat Auguſtinus oportuiſſe vt ita fieret. Nempe, *vt poſſet habere meritum:* & quia oportet *non neceſſitate ſed voluntate bonum eſſe.* Vnde dico, Vel eſt neceſſarium in vniuerſum tale liberum arbitrium, ad hoc vt ſit meritum, & vt ſit bonum morale, vel non; ſi eſt in vniuerſum neceſſarium: Ergo neque modò poſſumus habere meritum, ſi non habeamus idem liberum arbitrium; ſi non eſt in vniuerſum neceſſarium: Ergo neque Adamus propterea deſiiſſet habere meritum, & eſſe bonus, contrà quàm dicat Auguſtinus: qui propterea cenſendus eſt ad bonum morale requiſiiſſe arbitrium indifferens in quocumque ſtatu.

Probatur decimoquartò, ex eodem loco, & hiſce verbis, *Liberum voluntatis arbitrium in ipſo homine fuiſſe dico, qui*

primò formatus eſt: ille ſic factus eſt vt nihil omnino voluntati eius reſiſteret, ſi vellet Dei præcepta ſeruare. Poſtquam autem libera ipſe voluntate peccauit, nos in neceſſitatem præcipitati ſumus, qui ab eius ſtirpe deſcendimus. Hîc Baiani gaudio exiliunt, ſed pergant legere, *Poteſt autem vnuſquiſque noſtrûm mediocri conſideratione inuenire verum eſſe quod dico. Hodie namque in noſtris actionibus antequam conſuetudine aliqua implicemur*, LIBERVM HABEMVS ARBITRIVM FACIENDI ALIQVID VEL NON FACIENDI: *cùm autem iſta libertate fecerimus aliquid, & facti ipſius tenuerit animum perniċioſa dulcedo & voluptas; eadem ipſa conſuetudine ſic implicatur, vt poſtea vincere non poſſit quod ſibi ipſa peccando fabricata eſt.*

Baiani, quid eſt hoc, *Nos in neceſſitatem præcipitati ſumus*, & *tamen* etiam hodie *habemus liberum arbitrium faciendi, aut non faciendi malum*, antequam conſuetudinem contraxerimus? Nonne hoc eſt aſſerere, in natura lapſa indifferentiam ad peccandum vel non peccandum? Nonne hinc intelligi poteſt neceſſitatem illam non eſſe aliud, quàm magnam aliquam difficultatem, qualis naſcitur ex malo habitu, quæque non tollit phyſicam potentiam faciendi contrarium? Nonne tertiò hinc colligitur hanc non eſſe niſi ſpecialem quamdam neceſſitatem diuinæ gratiæ, quâ iuuante poſſimus vincere malam conſuetudinem, contrariâ inductâ, quæ nos inclinet ad bonum. Id enimverò Auguſtinus ſatis indicat, cùm ſubdit: *Ipſa nimirum eſt carnis prudentia, quæ quamdiu ita eſt, legi Dei ſubjici non poteſt. Sed illuminata animi, deſinit illa eſſe carnis prudentia; ſic enim dictum eſt, prudentiam carnis non poſſe legi Dei eſſe ſubjectam, quemadmodum ſi diceretur glacialem niuem calidam eſſe non poſſe: Sed quemadmodum illa nix calore reſoluitur & deſinit nix eſſe, vt poſſit caleſcere, ſic illa carnis prudentia, id eſt conſuetudo facta cum carne, cùm fuerit mens illuminata & ad arbitrium legis totum hominem ſibi Deus ſubjecerit, pro illa animæ conſuetudine mala, facit conſuetudinem bonam.* & eò ſpectare dicit Euangelicum illud, *aut facite arborem bonam, &c.* Vnde concludit, *ſi ergo imperatum eſt nobis vt faciamus arborem aut bonam, aut malam*, NOSTRVM EST ELIGERE QVOD VELIMVS. En quæ ſit illa neceſſitas in quam præcipitati ſumus. Nimirum illa eſt quâ prudentia carnis neceſſariam facit diuinam illuſtrationem Matth. 12.

ad habendam ſpiritus obedientiam, & mutandam malam arborem in bonam. Sed cùm aduenerit diuinum illud lumen, quid facit? nempe vt facere poſſimus *arborem aut bonam aut malam.* Et quibus quæſo dicitur illud? carentibus diuina gratia? non poſſunt facere bonam; habentibus diuinam gratiam? non poſſunt facere malam, per vos: quid ergo eſt quod addit Auguſtinus, *Noſtrum eſt eligere quod volumus?* Noſtrum eſt eligere alterum duorum, quando vnum eſt impoſſibile? Nonne manifeſtè colligitur ex hoc loco juxta doctrinam Auguſtini in hoc ſtatu naturæ lapſæ, & in libertate ad peccandum, quam inuoluit hic ſtatus, & in libertate ad bene agendum, quam recuperamus per Dei gratiam, includi indifferentiam ad agendum vel non agendum, & excludi neceſſitatem inſuperabilem ad vnum determinantem?

Probatur decimoquintò, ex libro contra Adimantum, diſcipulum Manichæi, vbi locum illum de duabus arboribus, altera bona & altera mala, quo Manichæi abutebantur, ſic explicat: *Quanquam iſtæ arbores manifeſtiſſimè in ſimilitudine duorum hominum poſitæ ſunt, id eſt juſti & injuſti. Quia niſi quiſque voluntatem mutauerit, bonum operari non poteſt;* QVOD IN NOSTRA POTESTATE ESSE POSITVM *alio loco docet, vbi ait, aut facite arborem bonam, & fructum ejus bonum, aut facite arborem malam, & fructum ejus malum.* Ecce juxta ſententiam Auguſt. idem eſt, Chriſtum dicere, facite arborem bonam, facite arborem malam, &c. & docere *hoc eſſe poſitum in noſtra poteſtate.* Atqui omni peccatori, etiam peccanti dicitur *vt faciat arborem bonam* & ne faciat arborem malam: Ergo eo ipſo docetur etiam peccatorem & peccantem habere in poteſtate vt benefaciat, & non peccet; Ergo peccat cum libertate, ac poteſtate non peccandi, imò potiùs cum libertate, ac poteſtate bene agendi. Nempe Auguſtino perſuaſum erat, vt patet, tum ex hoc loco, tum ex alio ſimili in libro 2. de actis cum Felice Manichæo cap. 4. Deum nihil poſſe præcipere quod non ſit poſitum in poteſtate illius, cui præcipitur; ac proinde dum dicitur, aut facite arborem bonam, hoc ipſo ſignificari aut dari aut datam eſſe poteſtatem homini faciendi arborem bonam. Item nec cenſendum Deum permittere quippiam aliter, quàm relinquendo illius optioni, cui permittitur, vt fa-

ciat aut non faciat, conceſſâ vtriuſlibet poteſtate: & hoc ſignificari cùm dicitur, *aut facite arborem malam*: hoc verò quid eſt aliud, quàm putare nec præcepto, nec conſilio, nec permiſſioni locum eſſe, niſi vbi adeſt faciendi & non faciendi poteſtas, hoc eſt indifferentia, qua neceſſitas, quæ ad vnum determinat, excluditur? Et vides minimè hîc locum habere quod dicunt; hæc eſſe vera in ſtatu naturæ integræ; Cùm ſit manifeſtum locum habere in illo ſtatu, de quo loquitur Chriſtus, cùm dicit, *aut facite arborem bonam, &c.* qui certè non alloquitur Adamum & poſſibiles in ſtatu innocentiæ filios.

Sed neque illud effugium prodeſt, quòd hæc dicuntur ab Auguſtino, contra Manichæos diſputante, quaſi aliud dicturus fuerit dum diſputaret contra Pelagianos; Conſtat enim ex 1. Retract. perſtare ipſum in eadem ſententia, cùm dicit repetitis ſuperioribus verbis, *Quòd non eſt contra gratiam Dei, quam prædicamus, in poteſtate quippe hominis eſt mutare in melius voluntatem, ſed illa poteſtas nulla eſt, niſi à Deo detur.* Quaſi diceret, dummodo poteſtas non peccandi aut bene viuendi cenſeatur à Deo data, dic quantum voles in poteſtate illius cui præcipitur vt bene viuat, eſſe id quod præcipitur. Atque in hac poteſtate faciendi, aut non faciendi, fundat Auguſtinus æquitatem pœnarum, quæ à Deo infliguntur. Intendit enim oſtendere quomodo bonus ſit Deus, de quo dicitur *non eſſe malum in ciuitate quod non fecerit.* Auguſtinus dicit malum illud eſſe tantùm malum pœnæ: malum autem pœnæ bene fieri poſſe à ſummo Iudice, ſiquidem bene fit, quod juſtè fit: *hæc ſunt mala*, inquit Auguſtinus, *quæ Deus facit, id eſt peccatoribus pœnas*; *quòd in ignem mittet arbores, quæ in malitia perſeuerantes fieri bonæ noluerunt.* Nimirum velle hoc poterant, quia jam dictum eſt fuiſſe poſitum in earum poteſtate, ſed noluerunt, & ideo juſtè puniuntur. Cap. 22.

Probatur decimoſextò ex eodem loco, vbi ex illo Pauli ad Rom. 11. *potens enim eſt Deus iterum inſerere illos, ſimul etiam oſtendit*, inquit Auguſtinus, *in noſtra poteſtate eſſe vt vel inſeri bonitate ejus, vel excidi ſeueritate mereamur.* hoc etiam Auguſtinus approbat in Retract. dummodo non excludatur diuina gratia. Quid autem eſt eſſe in noſtra poteſtate vt vel inſeri, vel excidi mereamur? Si nullus eorum qui inſeritur, Cap. 17. Lib. 1. c. 22.

vnum poteſtate? Nempe Auguſtinus ſatis intelligebat determinatam illam ad vnum poteſtatem minimè negari à Manichæis, ſicuti neque modo negatur à Caluino; & tamen credidit liberum arbitrium ab illis negari: Ergo præterea requirebat indifferentiam.

Probatur decimooctauò, ex eodem loco, vbi probat Manichæum incautum, & contra ſuam intentionem admiſiſſe liberum arbitrium, cùm ſcripſit, *Hi verò qui negligentiâ ſuâ à labe prædictorum ſpirituum purgari ſe minimè permiſerint, & mandatis diuinis ex integro parum obtemperauerint, legémque ſibi à Deo liberatore datum pleniùs ſeruare noluerint, neque vt decebat, ſe ſe gubernauerint, &c.* quibus relatis ſubdit Auguſtinus, *vides in his verbis confirmatum eſſe etiam à neſciente quid loqueretur, liberum arbitrium. Qui enim ſeruare legem non vult, in poteſtate ejus eſt, ſi velit.* NON ENIM DIXIT, NON POTVERINT, SED NOLVERINT; *hoc certè quòd nolunt ſeruare legem, non à gente tenebrarum coguntur; ſi enim coguntur, non nolunt, ſed non poſſunt. Si autem nolunt, non vtique coguntur vt non faciant; ſed voluntate ſua nolunt. hoc ergo quod in eorum voluntate eſt vt nolint, peccatum eſt certè ſine aliqua neceſſitate gentis tenebrarum, & inde vides vnde veniant omnes culpæ, vnde merita culparum, vnde diſtributiones pœnarum.* Vbi perſpicuum eſt Auguſtinum oppoſitionem agnoſcere inter id quod eſt *non velle*, vel *nolle* obſeruare mandatum, & *non poſſe*: cùm obſeruat Manichæum non dixiſſe, *non potuerint*, ſed *noluerint*: & conſequenter non putare de eo qui non poteſt, dici debere quòd non vult. Item conſtat oppoſitionem agnoſcere inter quamcumque neceſſitatem, & voluntatem: ita vt de eo qui dicitur voluntate aliquid facere, dici debeat id facere ſine *aliqua neceſſitate.* Sine aliqua verò, & ſine vlla idem ſunt. Quod clarè ſignificat illis verbis, *hoc ergo quod in eorum voluntate eſt, vt nolint, peccatum eſt certè ſine aliqua neceſſitate*, vnde jam interrogandi ſunt Baiani: Vel ille qui diuinum præceptum tranſgreditur, poteſt velle illud ſeruare, vel non: ſi poteſt velle ſeruare, ergò illud tranſgreditur ex indifferenti voluntate ad bonum & ad malum; ſi non poteſt velle, ergo malè dicitur ideo tranſgredi, quia ſeruare non vult: quia juxta Auguſtinum, de quo dicitur, quòd ideo non ſeruet, *quia non vult*, non dicitur, *quòd non poſſit:* Cap. 5.

Item, vel ille qui tranſgreditur, impellitur *aliqua neceſſitate*, vel non: ſi non impellitur aliqua neceſſitate, ergo habet voluntatem indifferentem: quia indifferentia non tollitur niſi aliqua neceſſitate: Si impellitur aliqua neceſſitate, ergo non peccat voluntate: quia vt conſtat ex dictis, Auguſtinus vt ſit voluntas, requirit vt non ſit *aliqua neceſſitas*. Quod addit, *Inde vides vnde veniant omnes culpæ, vnde merita culparum, vnde diſtributiones pœnarum*. Oſtendit Auguſtinus videri neceſſariam illam voluntatis indifferentiam ad peccatum, & meritum pœnæ.

Iam dicere hîc non agi de ſtatu naturæ lapſæ ridiculum eſſet, cùm agatur de eo ſtatu, de quo agebat Chriſtus Dominus cùm diceret, aut facite arborem bonam, &c. eodem enim contextu hæc dicuntur, eódemque referuntur.

Cap. 8. Probatur decimononò, ex eodem loco, vbi Felici interroganti de illis quibus dicit Chriſtus, Ite in ignem æternum, *Quare non purgati ſunt*, Auguſtinus bis repetit, *quia noluerunt:* & hoc dicit, vt reſpondeat Felici, qui putabat eludi poſſe objectionem Auguſtini de impotentia Dei Manichæorum, *qui quòd non potuiſſet totum purgare, velut tectorium feciſſet genti tenebrarum, vt ibi in æternum damnetur quod purgari non potuit.* Hanc, inquam, calumniam vt dilueret Felix, interrogat, *iſti peccatores*, qui ſcilicet mittuntur à Chriſto in ignem æternum, *quare non purgati ſunt?* Putabat Auguſtinum pariter cogendum dicere, *quia non potuerunt*. Sed ille conſtanter reſpondet, *quia noluerunt:* vt oſtendat non defuiſſe reprobis facultatem ſalutis, ſed voluntatem. Atque vt hoc probet, recurrit ad liberum arbitrium, per quod etiam *hodie* homines LIBERA VOLVNTATE *faciunt conſuetudinem, quam cùm fecerint*, FACILE SVPERARE NON POSSVNT. Cùm incipiunt ergo, poſſunt non facere quod faciunt: ideóque habent indifferentiam: nec illa poſtea perditur impoſſibilitate, ſed difficultate aliter faciendi minuitur, & per diuinam gratiam reſtituitur. *Eos igitur qui concipiunt timorem Dei, & per liberum arbitrium ſubdunt ſe ſanandos optimo medico: & ſicut bono curatori, ita & miſericordi Creatori per humilitatem confeſſionis & pœnitentiæ ſanari: ſuperbos autem per ipſam ſuperbiam ſuam inſanabiles fieri: & non eſſe indignum vt Deus dicat, Ite in ignem æternum, eis qui diuinam miſeri-*

cordiam per liberum arbitrium reſpuerunt: & dicat, Venite benedicti, eis, qui per liberum arbitrium fidem ejus ſuſceperunt, peccata ſua confeſſi ſunt, &c. Vides quò pertineat illud, *quia noluerunt.* Nimirum vt excludatur, *non potuerunt.* Potuerunt igitur per Dei gratiam (quam Auguſtinus non expreſſit quia non erat neceſſarium, vt ipſe monet 2. Retract. cap. 8.) ſaluari, qui per liberum arbitrium damnantur: & potuerunt per liberum arbitrium damnari, qui per diuinam gratiam ſaluantur. Damnari autem potentem ſaluari, quid eſt aliud quàm vel peccare, potentem non peccare: vel non pœnitere, atque conuerti, potentem conuerti ac pœnitere? hoc verò quid eſt aliud quàm indifferentia, expers neceſſitatis ad vnum determinantis? Et cùm hæc proponat Auguſtinus, vt Dei juſtitiam tueatur, & prouidentiam in diſtribuendis pœnis ac præmiis, quis dubitare poteſt ex mente ipſius ejuſmodi indifferentiam requiri ad imputationem peccatorum & meritum virtutum: & conſequenter ad libertatem ad hoc neceſſariam?

Probatur vigeſimò, ex eodem libro, vbi cùm Felix teneretur omnino comprehenſus argumentis Auguſtini, nullâ relictâ ad euadendum viâ, ex iis quæ dixerat Auguſtinus de libero arbitrio, occaſionem ſumpſit objiciendi, *Si in arbitrio noſtro ſumus, nemo neminem cogat. Quando voluero, ero Chriſtianus: voluntas nobis ſubjacet, aut eſſe Chriſtianum, aut non eſſe.* Ex quibus manifeſtum eſt ita ipſum concepiſſe liberum arbitrium, vt poteſtatem ad vtrumlibet includeret: idque in præſenti ſtatu naturæ lapſæ, in quo agitur de amplectenda, vel non amplectenda Fide Chriſtiana. Quam ejus cogitationem Auguſt. non ſolùm non corrigit, quin potiùs confirmat, cùm dicit, *quia voluntas nobis adjacet, manifeſtum eſt, & hoc de diuinis ſcripturis docui, quod coactus eſt etiam inuitus dicere, etiam ille qui vos in iſtum induxit errorem.* Manichæum intelligit, qui allato ſuperiùs loco meminit eorum, qui Dei legem ſeruare *nolunt*, quaſi non eſſet dubium quin poſſint, pergit autem Auguſtinus: *Quod autem dicis, nemo cogatur, quando voluero ero Chriſtianus; nemo planè te cogit, quando volueris, eſto. Quia ex voluntate tua huc veniſti, & ex voluntate tua, iſta diſputaſti. Et væ voluntati malæ, ſi mala eſt: pax bonæ voluntati, ſi bona eſt. Siue autem mala ſit, ſiue bona ſit, voluntas eſt. Bonam voluntatem ſequitur corona: malam ſequitur*

Cap. 12. ſup. arg. 17.

pœna, Deus Iudex voluntatum eſt, Creator autem naturarum. Quæ tota oratio perſpicuè ſignificat datam eſſe homini optionem vt ſit vel non ſit Chriſtianus, tantùm eſſe illi cauendum, ne malè eligat: Deum enim, etiam ſi non ita ſit Creator voluntatum, quemadmodum eſt naturarum, quòd in voluntatibus ſinat homines agere, ſéque ipſos ad vtrumlibet determinare; at eſſe nihilominus ſeuerum judicem præmii vel pœnæ quam mala electio meruerit.

Cap. 14. Probatur vigeſimo-primò, ex libro contra Secundinum, vbi quod ille dixerat in ſua ad Auguſtinum epiſtola, *peccare animam carni permixtam, ſi voluntate ſua, cùm ſe ipſam cognouerit, conſentiat malo*, Auguſtinus diſcutit inquirendo quid poſſit eſſe iſta *conſenſio* juxta Manichæorum principia, & dicit, *ſi ſuſtantia eſt iſta conſenſio, quam malam eſſe conſtat, inuenimus eſſe in animæ poteſtate vt aliqua ſubſtantia mala vel ſit vel non ſit, quid eſt autem aliud ſubſtantia, quàm natura? erit ergo aliqua natura quæ nec animæ naturalis ſit, quoniam ſi nolit, non erit: nec illi malo, cui anima voluntate conſenſit, &c.* vbi vides Auguſtinum ſupponere tanquam certum *conſenſionem liberam*, & quâ peccatur, ita eſſe in poteſtate illius qui peccat, vt vtrumlibet poſſit, exprimere illam aut ſupprimere: alioqui quid valeret iſta illatio, *ſi ſubſtantia eſt iſta conſenſio, inuenimus eſſe in animæ poteſtate, vt aliqua ſubſtantia mala vel ſit, vel non ſit.* Et cùm Auguſtinus hoc inferat ex eo quòd Secundinus concedit, illa conſenſione peccari; quid aliud intelligere poſſumus, quàm juxta mentem Auguſtini non peccari, niſi cùm eſt in poteſtate noſtra vtrumlibet, conſentire malo vel non conſentire, & hanc eſſe libertatem, quæ ad peccandum neceſſaria eſt?

Cap. 19. Probatur vigeſimo-ſecundò, ex eodem libro, vbi Auguſtinus de illa conſenſione animæ in malum, ita vrget Secundinum. *Deinde ſi habet in poteſtate vel conſentire vel non conſentire, non ergo victa conſentit. Quæro igitur vnde habeat iſtam conſenſionem malam, nulla contraria cogente natura? Si autem cogitur conſentire, ita* VT NON SIT IN EIVS POTESTATE ALITER FACERE; *non ergo vt dicebat voluntate peccat, quando non voluntate conſentit.* Vbi vides quid intelligat Auguſtinus per illud *cogi*, quo fit vt aliquid non ſit liberum, nec in noſtra poteſtate, neque

peccatum, quamuis malum ſit. Nempe non eſt aliud, quàm quo ſit vt non ſit in ejus poteſtate qui cogi dicitur, aliter facere. Ergo cùm per omnem neceſſitatem ad vnum determinantem antecedenter, fiat vt non ſit in noſtra poteſtate aliter facere, conſequenter omnis hujuſmodi neceſſitas juxta mentem Auguſtini eſt illa coactio, quæ libertatem tollit.

Et verò Manichæos non aſſeruiſſe cogentem illam neceſſitatem in eo ſenſu ſtricto & proprio, perſpicuè colligitur ex iis quæ paulò antè Auguſtinus diſſeruit his verbis, *Iam vt arbitror facile eſt tibi intelligere ex ipſis verbis epiſtolæ tuæ, quibus dixiſti, animam, cùm conſentit malo, voluntate peccare, nullum malum eſſe naturam malam, vel dilectionem naturæ malæ. Sed cùm omnes naturæ in ſuo genere bonæ ſint, malum eſſe peccatum, quod ſit voluntate animæ, cùm diligit pro ipſo Creatore creaturam, ſiue ſuo malo, cùm ſit mala; ſiue alterius perſuaſu; cùm conſentit malo.* En tibi perſuaſionem tantùm mali, non violentam coactionem ex epiſtola Secundini, hoc eſt, ex doctrina Manichæorum collectam. Quod iterum inculcat cùm dicit, *Fateris tamen eam naturam, quam bonam eſſe dicis, malo conſentiendo, malè facere, hoc eſt voluntate peccare. At ego ambas bonas eſſe aſſero, ſed vnam earum malefacere ſuadendo, aliam malefacere conſentiendo.* de quibus probat Auguſtinus, admiſſa illa vnius naturæ perſuaſione, alterius conſenſione, rectè ſequi contra Manichæum ambas eſſe bonas, ſed hanc conſentiendo malo, illam ſuadendo fieri malam.

Probatur vigeſimotertiò, ex libro de vera Religione, cùm dicit: *Defectus autem iſte, qui peccatum vocatur, ſi tanquam febris inuitum occuparet, rectè injuſta pœna videretur, quæ peccantem conſequitur, & quæ damnatio nuncupatur: nunc verò vſque adeò peccatum, voluntarium eſt malum, vt nullo modo ſit peccatum, ſi non ſit voluntarium: & hoc quidem manifeſtum eſt, vt nulla hinc doctorum paucitas, nulla indoctorum turba diſſentiat. Quare aut negandum eſt peccatum committi, aut fatendum eſt voluntate committi. . . . . poſtremò ſi non voluntate malè facimus, nemo objurgandus eſt omnino, aut monendus: quibus ſublatis Chriſtiana lex, ac diſciplina omnis religionis auferatur neceſſe eſt. . . . Tales enim ſeruos ſuos meliores Deus judicauit, ſi ei ſeruirent liberaliter. quod nullo modo fieri poſſet ſi non voluntate, ſed neceſſitate ei ſeruirent.* Cap. 14.

Cap. 13. Quo ſenſu hîc *voluntarium* vſurpet Auguſtinus, intelligi poteſt ex 1. Retract. vbi locum hunc recognoſcit, & hanc definitionem peccati dicit eſſe *veriſſimam*. Nam cùm dicat, peccatum, quod hîc definitur, eſſe illud *quod peccatum tantùm eſt*: & Ianſeniani ſæpe fateantur, peccatum quod *est peccatum tantùm*, eſſe illud quod committitur ab indifferenti voluntate; ſeu quod ita committitur, vt ſit liberum ab eo abſtinere; ſequitur etiam ex illorum ſententia *voluntarium* hîc accipi pro eo quod eſt ita liberum, vt fieri ac non fieri poſſit, hoc eſt, pro eo quod ſequitur ex voluntate ad agendum & non agendum indifferente. Et ideo putant Auguſtinum hîc definiuiſſe primum tantùm peccatum ab Adamo commiſſum. Cæteris autem quæ ſunt peccata & pœnæ, in tantum conuenire hanc definitionem, in quantum ad illud primum reducuntur.

1. Retr. c. 13. Sed conuincuntur ab ipſo Auguſtino loco jam citato, vbi clariſſimè ſignificat extendi etiam definitionem illam, & comprehendere peccata, quæ jam committuntur. Nempe Auguſtinus ſupponit, etiamnum eſſe peccata quæ ſunt tantùm peccata, & non pœnæ primi peccati, quod conſtat ex eius verbis. Nam cùm definitionem illam repetiiſſet, ſubdit, *Poteſt videri falſa hæc definitio, ſed ſi diligenter diſcutiatur, inuenietur eſſe veriſſima; peccatum quippe illud cogitandum eſt, quod tantummodo peccatum eſt, non quod eſt etiam pœna peccati.* Vides loqui Auguſtinum per verba de præſenti de peccato, quod eſt; ſed pergit. *Quanquam & illa quæ non immeritò peccata non voluntaria dicuntur; quia vel à neſcientibus vel à coactis perpetrantur, non omnino poſſunt ſine voluntate committi.* En tibi peccata illa, quæ ſunt peccatum & pœna, nempe illa quæ fiunt per ignorantiam, ortam ex peccato originali: & ex impulſu concupiſcentiæ, poſt illud ipſum peccatum rebellis, quæ fieri dicit à coactis. Iam vide quomodo in eo diſtinguat, quod eſt pœna, & peccatum. *Quoniam & ille qui peccat ignorans, voluntate vtique facit, quod cùm faciendum non ſit, putat eſſe faciendum.* Quare peccat, quòd putat eſſe faciendum quod faciendum non eſt? Nimirum quia voluntariè hoc putat: & ſi vellet adhibere diligentiam, & inquirere, non hoc putaret. Ergo pœna eſt quod ignorat: ſed quod ſcire negligat

peccatum eſt, & non pœna. Quod adhuc magis patet in eo quod ſequitur. *Et ille, qui concupiſcente aduerſus ſpiritum carne, non ea quæ vult facit; concupiſcit quidem nolens, & in eo non facit quod vult*, En tibi coactum illum per pœnalem impulſum concupiſcentiæ, *ſed ſi vincitur*, CONCVPISCENTIÆ CONSENTIT VOLENS: ET IN EO NON FACIT NISI QVOD VVLT, *liber ſcilicet juſtitiæ, ſeruúſque peccati*. En quod eſt peccatum tantùm, & non pœna, conſenſus ſcilicet in concupiſcentiam. Itaque, & in peccatis ignorantiæ, & in peccatis concupiſcentiæ, ſi vera, & propriè dicta peccata ſunt, inuenit Auguſtinus *veriſſimam eſſe* definitionem, qua dixerat, *vſque adeò peccatum, voluntarium malum eſt, vt nullo modo ſit peccatum, ſi non ſit voluntarium.* Quia etiam hîc inuenit aliquid, quod eſt peccatum tantùm. Nam eſto ignorantia ſit pœna, & peccatum; pœna propriè, quatenus intuitu peccati originalis ſubtracta eſt ſcientia; peccatum impropriè, ſicut ſcriptura dicitur manus, & ſermo dicitur lingua, vt Auguſtinus aliàs loquitur. Eſto etiam non ſit voluntaria, niſi in cauſa, hoc eſt in peccato Adami; at negligentia diſcendi, cùm poſſis, & debeas, peccatum eſt & non pœna peccati Adami. Licèt enim in pœnam peccati Adami ſimus ignorantes, nemo tamen putat, nos in pœnam eiuſdem peccati eſſe negligentes. Eſto, pariter concupiſcentiæ motus, pœna, & peccatum ſint; pœna propriè, quatenus ſubtracta eſt gratia originalis rectitudinis, qua rationi perfectè ſubjiciebantur: peccatum impropriè, quòd ex peccato ſint, & ad peccatum ducant; deliberatus tamen conſenſus voluntatis eorum, qui ſe vinci patiuntur, peccatum eſt tantùm, & non pœna. Neque vnquam inuenietur Auguſtinus dixiſſe aut cenſuiſſe nos volentes & deliberatè conſentire concupiſcentiæ, in pœnam peccati Adami. In pœnam tentamur, ſed in pœnam non conſentimus. Et Deus qui pœnæ auctor eſt, abſit vt dicatur auctor illius conſenſus, niſi apud Caluinum & Manichæos, & ſi ita velint, Ianſenianos.

Et hanc eſſe mentem Auguſtini confirmatur ex eo quod ſequitur. *Et illud quod in paruulis dicitur originale peccatum: cùm adhuc non vtuntur arbitrio voluntatis, non abſurdè vocatur etiam voluntarium, quia ex prima hominis mala voluntate contra-*

ctum, factum eſt quodammodo hæreditarium. Non itaque falſum eſt quod dixi, vſque adeò peccatum voluntarium malum eſt &c. En quomodo Auguſtinus vt probet quod dixerat, definitionem à ſe datam eſſe in vniuerſum *veriſſimam*: atque adeò etiam in peccato originali: differentiam tantùm ponit inter hoc & alia peccata, recurrendo ad peccatum Adami, vt inueniat in peccato originali ſuum illud *voluntarium*. Quo recurſu non vtitur in peccatis ignorantiæ, & concupiſcentiæ, quæ propriè & formaliter peccata ſunt, hoc eſt in culpabili negligentia diſcendi, & in deliberato conſenſu voluntatis à concupiſcentia tentatæ. Nempe quia ſine tali recurſu Auguſtinus in his peccatis ſupponit eſſe illam de qua loquitur, voluntarii rationem; ſed illa ratio indifferentiam inuoluit, vt monſtratum eſt. Ergo indifferentiam Auguſtinus ſupponit eſſe ad peccandum neceſſariam.

Cap 8. Probatur vigeſimoquartò, ex libro de Fide contra Manichæos, vbi cùm dixiſſet Auguſtinus peccatores injuſtè judicari ſi non voluntate peccant, & ideo malum eſſe in poteſtate, & non eſſe naturale, ſubdit. *Sed etſi aliquos naturaliter dicimus malos, propter originem veteris peccati dicimus, in quo jam noſtra mortalitas naſcitur, totum itaque quod vocatur malum, in hominibus peccatum eſt & pœna: peccatum ſit ab anima rationali, qui liberum hominis arbitrium eſt: ea pœna infligitur juſtitiâ Dei, quæ nihil facit injuſtè.* Vides quomodo præter originem veteris peccati, cujus pœnam Deus juſtè nobis infligit, Auguſtinus aliud peccatum in nobis agnoſcit, cujus Deus auctor non eſt, & conſequenter quod eſt peccatum tantùm, & non pœna: & cujus cauſa in libero arbitrio poſita eſt. Et quia Manichæi repugnant, negantes hanc liberam voluntatem, *Non vident*, inquit Auguſtinus, *cæcitatem ſuam. Quis enim non clamat*

Cap. 10. *ſtultum eſſe præcepta dare ei, cui liberum non eſt, quod præcipitur facere: & INIQVVM ESSE EVM DAMNARE CVI NON FVIT POTESTAS IVSSA COMPLERE? Et has injuſtitias, & iniquitates miſeri non intelligunt ſe Deo adſcribere? Sed quid verum eſt niſi & Deum dare præcepta: & animas liberæ eſſe voluntatis: & malum naturam non eſſe, ſed eſſe auerſionem à Dei præceptis: & eſſe juſtum judicium Dei, quo damnet peccatores?* Igitur Auguſtinus diſtinguens in nobis malum quod eſt pœna, & originem ducit

cit ex veteri peccato, & cujus Deus auctor eſt vindicans juſtè vetus illud peccatum iſtâ pœnâ; & malum aliud, quod eſt proprium peccatum, & quod eſt à propria voluntate, non autem à Deo; concludit ideo poſſe nos hoc non committere, quia non committere jubemur, & ſtultum eſt cogitare nobis præcipi quod facere non poſſumus. Loquitur autem de præceptis quæ Manichæi agnoſcebant, quando ex eo *cæcitatem* eorum arguit, quòd cùm non negarent imponi hominibus præcepta, negarent tamen eſſe illos liberæ voluntatis. Manichæi autem non agnoſcebant alia præcepta, quàm quæ nobis in hoc ſtatu dantur: nec alias animas peccantes, quàm quæ nunc ſunt: nec alias injuſtitias & iniquitates, quæ Deo adſcriberentur, quàm quæ nunc committuntur. Vno verbo loquitur Auguſtinus de ſtatu præſenti, & vult peccatum quod in eo reperitur, tribui libero arbitrio, & liberum arbitrium probari ex præceptis, quæ jam dantur.

Vide autem quomodo liberum arbitrium ex præceptis probet, nempe quia *ſtultum eſt præcepta dare ei, cui liberum non eſt quod præcipitur facere, & iniquum eſſe damnare eum, cui non fuit poteſtas juſſa complere.* Atqui hoc eſt ſignificare non cenſeri liberam voluntatem, quæ non habet facultatem omittendi quod facit: & faciendi quod omittit, quod eſt non eſſe liberam, ſine indifferentia. Sine indifferentia, inquam, quæ ſit quando datur præceptum: quòd præceptum aut ſtultè detur, ſi non detur eam habenti, vel habere potenti per gratiam in tempore recipiendam, ſi non ponatur impedimentum.

Dicere autem imponi poſſe præceptum ei qui vitio ſuo indifferentiam perdidit, denegatâ omni ad recuperandum facultate; hoc non eſt referre ſententiam Auguſtini, ſed componere illam ex proprio cerebro. Et ne ſic quidem *ſtultitia* vitatur, quam ille vitare vult: quòd perinde ſit huiuſmodi homini aliquid præcipere, ac præcipere illi qui ſibi oculos effodit, vt ſtellas numeret. Hujus autem *ſtultitiæ* ſi quis dicat reos eſſe Ianſenianos, qui præcepta in lege veteri data putant, ſine *vlla ad implendum facultate: quin etiam repugnaſſe ſcopo illius legis quod daretur gratia, faciendo quod præcipiebatur neceſſaria*; tuebitur ſe authoritate S. Auguſtini. to. 3. lib. 1. de gr. Salu. c. 5. & 8.

Hæc dixit Auguſtinus dum contra Manichæos diſputaret, quorum nihil vnquam poſtea retractauit, dum libros illos recognoſceret, poſt refutatam Pelagianorum hæreſim: quin etiam pleraque omnia confirmauit, cum ea ſola præcautione, vt vbi non eſt expreſſa diuinæ gratiæ neceſſitas, non putaretur excluſa; vt plus etiam demus, quàm poſtulet poſita à Ianſenio regula, *quidquid non retractauit Auguſtinus in libris quos recognouit, cenſendum approbaſſe.* & vt conſtet conſtantem hanc fuiſſe Auguſtini ſententiam.

lib. 1. de gra. Salu. c. 32.

Probatur vigeſimoquintò, ex comm. in Pſal. 51. cùm dicit, *Benignitas ante te, iniquitas ante te, compara & elige*, & *Ante te erat benignitas, illam diligeres, non enim aliquid eras erogaturus, aut quod diligeres de longinqua nauigatione allaturus.* Inſani hominis eſt, vel vafri ac perfidi circulatoris, cùm faciat alteri copiam vnius tantùm rei, duas tamen offerre ac dicere, *compara & elige.* Ergo in eo qui diligit iniquitatem, quem Propheta hîc alloquitur, eſt poteſtas diligendi benignitatem, ac proinde indifferentia ad diligendam, vel non diligendam iniquitatem, quæ confirmatur ex ſequentibus, cùm dicitur eidem iniquitatis amatori: *Ante te erat benignitas illam diligeres, non enim aliquid eras erogaturus, aut quod diligeres de longinqua nauigatione allaturus.* Diſputamus an ille, qui diligit iniquitatem habeat proximam & expeditam facultatem ad diligendam benignitatem, potuit-ne autem ab Auguſtino clarius id exprimi, quàm cùm dicitur, nec perdendum aliquid eſſe vt poſſit diligi, nec expectandum aliunde? Atqui totum hoc dicit Auguſtinus paucis illis verbis, *non aliquid eras erogaturus, aut de longinquo eras allaturus.* Eſt igitur hæc expreſſiſſima immediatæ ad vtrumlibet potentiæ, hoc eſt indifferentiæ confeſſio.

hom. 12. Probatur vigeſimoſextò, ex libro 50. homil. cùm dicit, *Cùm per Dei adiutorium in poteſtate tua ſit, vtrum conſentias diabolo; quare non magis Deo, quàm ipſi obtemperare deſideras?* Increpat Auguſtinus diabolo conſentientes; & increpat ex eo quod per Dei adiutorium habeant in poteſtate, vt conſentiant Deo. Nonne hoc eſt etiam indifferentiam ad conſentiendum confiteri, eámque ſupponere, veluti fundamentum juſtæ increpationis? Adde quæ ſequuntur. *Rego*,

ergo vos fratres cariſſimi, quare Sathanas ſeducit ad peccandum, cùm Deus poſuerit homini in poteſtate non conſentire Sathanæ? Vbi vides per Dei gratiam non auferri, ſed conferri potiùs indifferentiam illam, quam Deus homini dedit in prima conditione.

Probatur vigeſimoſeptimò, ex libro de ſpir. & lit. dum ad hoc vt aliquid dicatur eſſe in noſtra poteſtate, requirit *vt voluntati adiaceat poteſtas*, intelligit autem poteſtatem faciendi, vel non faciendi, vnde concludit poſtea *fidem eſſe in noſtra poteſtate*, ſuppoſito ſemper auxilio gratiæ, quia quiſque credit, ſi vult, & non credit, ſi non vult, *Vides nunc vtrum quiſque credat, ſi noluerit, aut non credat, ſi voluerit, quod ſi abſurdum eſt. . . . . profectò fides in poteſtate eſt*, & deinde, *Cùm ergo fides in poteſtate ſit &c.* hoc autem eſt dicere, libertatem illam, ratione cujus aliquid dicitur eſſe in noſtra poteſtate, eſſe debere, vt vtar verbo Ianſenii *bicornem*, & quæ ſpectet vtrumlibet duorum oppoſitorum. Cap. 31.

Et hoc confirmat ſenſus communis, quem hîc approbat Auguſtinus, circa eos qui coguntur aliquid facere. Statuamus enim duos homines, quorum vnus metu tormentorum cogitur v. gr. prodere ſecretum. Ille juxta Auguſtinum, *etſi non plena & libera voluntate* prodit ſecretum, non prodit tamen *niſi voluntate.* Quare hoc? Quia, inquit, *ſi tanta voluntas ſit, vt malit hoc non facere, quàm illud non pati, cogenti procul dubio reſiſtit, nec facit.* Quod eſt dicere, ideo voluntate prodit ſecretum, quia poteſt non prodere. E contrario, ſit alter, qui poſitus in eadem tentatione, forti voluntate patiatur tormenta, ne ſecretum prodat: ſi de ſuis doloribus queratur, *Solent*, inquit Auguſtinus, *illi qui cogunt vel ſuadent dicere: quod habes in poteſtate quare non facis, vt hoc malo careas?* Quod eſt illum ideo pati liberè, quia habet in poteſtate non pati, & ideo habere in poteſtate non pati, quia liberè non tollit cauſam propter quam patitur. Tertius detur qui non poſſit aperire ſecretum, quia reuera illud neſcit, & cogatur tamen iiſdem tormentis: ille excuſando reſpondet juxta Auguſtinum, *facerem ſi eſſet in poteſtate.* Eſtque juſta hæc excuſatio, quâ ſignificat non debere ſibi imputari quod patitur, propterea quòd non habeat poteſtatem ad impediendum ne patiatur. Ex his tribus ergo, primus liberè

prodit, quia poteſt habere voluntatem non prodendi. Secundus liberè patitur, quia poteſt habere voluntatem prodendi & conſequenter non patiendi. Tertius nec prodit, nec liberè patitur, defectu poteſtatis in oppoſitum: & conſequenter defectu voluntatis, quam effectus ſequi poſſit, hoc eſt abſolutæ & efficacis. Ex quibus conſtat juxta mentem Auguſtini, ex eo cenſeri aliquid eſſe in poteſtate, & voluntate fieri, quòd detur poteſtas in oppoſitum, quæ ſubſit voluntati. Sequitur etiam eum, qui cogente metu aliquid facit, poſſe velle non facere. Et quia non eſt major ratio de metu, quàm de cupiditate, ſequitur à pari eum qui cupiditate aliquid facit, ſi facit deliberatè, poſſe non facere. Item eum qui honeſtatis amore & conſcientiæ remorſu aliquid negat, & tormentis reſiſtit; poſſe cedere & non reſiſtere: & ex illa ad oppoſitum facultate hæc omnia imputari, quod eſt, & dari *bicornem* libertatem, & illi imputari quæ bene, vel malè fiunt: nec eſſe hanc Peripateticam tantùm philoſophiam, vt Baiani vociferantur, ſed & Auguſtinianam.

quæſt.61. Probatur vigeſimo-octauò, ex lib. 83. quæſt. vbi dicit eos qui vocati noluerunt venire ad cœnam, *non debere alteri tribuere* quòd excluſi ſint, ſed ſibi; *quia vt venirent vocati, erat in libera voluntate.* Quod eſt iſtos quoque habuiſſe libertatem ad vtrumlibet, vt venirent, & non venirent: & propterea illis imputari quòd non venerint. Scio Ianſenio videri Auguſt. erraſſe, cùm hoc diceret; ſed tenet poſita ab ipſo regula, quando illud non retractauit, cùm hunc locum recognoſceret, cenſendum approbaſſe: & approbandum quoque ab omnibus, qui Auguſtiniani videri volunt, cenſuiſſe.

Probatur vigeſimo-nonò, ex eo quod eſt in libro 2. de Peccatorum meritis, vbi dicit iis qui putant *hominem in hac vita eſſe poſſe ſine peccato, non eſſe continuò incauta temeritate reſiſtendum. Si enim eſſe poſſe negauerimus; & libero hominis arbitrio qui hoc volendo appetit: & Dei virtuti, vel miſericordiæ, qui hoc adiuuando efficit, derogabimus.* Loquitur vt patet de peccatis actualibus; nam originale non pendet à noſtro libero arbitrio. Quod igitur dicit, non eſſe reſiſtendum iis qui dicunt hominem in hac vita eſſe poſſe ſine peccato, vt ſit verum, concedendum eſt homines, qui peccant, poſſe non peccare:

quod eſt indifferentiam aliquam ad peccandum & non peccandum agnoſcere. Iam quod dicit derogare libero arbitrio qui hoc negant, nonne manifeſtè probat ex mente Auguſtini pertinere indifferentiam illam ad liberum arbitrium? Nam ſi non pertinet, qui eam negat, quid nocet libero arbitrio? Atqui Ianſeniani eam negant, quia dicunt amiſſâ libertate ad bonum, vel ad abſtinendum à peccato, remanere tamen libertatem arbitrii ad malum: videant ergo qua ratione vitare poſſint quam Auguſtinus imprimit notam *iis qui* INCAVTA TEMERITATE *reſiſtunt.*

Iam verò ſuppoſitâ huiuſmodi doctrinâ proponit Auguſtinus quatuor quæſtiones, quarum tertia eſt, *cùm voluntate humanâ, gratiâ adjuuante diuinâ, ſine peccato in hac vita poſſit homo eſſe, cur non ſit?* Vides iterum ſupponi eos qui peccant, gratiâ adjuuante diuinâ poſſe non peccare, quod eſt non deeſſe illis gratiam neceſſariam vt poſſint non peccare, quo poſito dicit Auguſtinus, *poſſem facillimè, & veraciſſimè reſpondere, quia homines nolunt.* Non dubitat ſcilicet quin poſſint, per adjuuantem illam gratiam: ſed quamuis poſſint, *nolunt.* Et recordandum eſt, quod antea retulimus ex Auguſtino, non ſolere dici de eo, qui non poteſt facere quod ab illo exigitur, *non vult*; ſed dici debere, *non poteſt.* Homines igitur qui nolunt eſſe ſine peccato, potentes eſſe nolunt. Quid eſt autem quod requiritur vt homo ſit ſine peccato, ſeu quid debet facere? Certè nihil aliud, quàm velle non peccare, aut non velle peccare. Eſt enim peccatum primariò in ipſa voluntate; ideóque fieri non poteſt, vt qui non vult peccare, peccet. Ergo qui poteſt eſſe ſine peccato, poteſt velle eſſe ſine peccato: & conſequenter dum non vult, poteſt velle, ac proinde habet indifferentem voluntatem, vt velit, vel non velit eſſe ſine peccato. Et hoc, inquit Auguſtinus, non ſolùm facillimum eſt ad ſoluendam interrogationem illam, cur homo non ſit ſine peccato, cùm eſſe poſſit; ſed etiam *veraciſſimum.* Ergo *mendaciſſima* eſt doctrina, quæ repugnat. Sed quia vidit Auguſtinus ſtatim quæri poſſe, cur homines nolint eſſe ſine peccato, cùm velle poſſint; *Imus in longum*, inquit, *verumtamen ſine prajudicio diligentioris inquiſitionis, breuiter dico, nolunt homines facere quod juſtum eſt; ſiue quia* Cap. 10.

latet an juſtum ſit, ſiue quia non delectat. Vbi vides interea dum expectatur major inquiſitio, ſolutionem eſſe, vt vocant *prouiſionalem*, in qua affertur cauſa remouens prohibens, ejus quod quæritur. Notum eſt enim illud, omnis peccans eſt ignorans: quia licèt habeat totam notitiam, quæ illi neceſſaria eſt, vt poſſit non peccare, poſſet tamen habere majorem: & ſi haberet, non peccaret. Item, licèt habeat in voluntate motus quoſdam, quibus & auertitur à peccato, & ad virtutem allicitur, poſſent illi eſſe vehementiores, & ſi eſſent, voluntas abſtineret à peccato. Atque ita Auguſtinus affert pro cauſa, defectus illos antecedentes in peccatore, *quia latet, vel non delectat quod juſtum eſt*, qui minimè impediunt quominus ſufficientem habeat facultatem ad non peccandum is qui peccat: ſed impediunt ne habeat id, quo dato, infallibiliter non peccaret. Hæc eſt Auguſtini doctrina, quæ procul diſtat à doctrina Ianſenii. Siquidem juxta doctrinam Ianſenii, dum quæritur an poſſit homo in hac vita eſſe ſine peccato, reſpondebitur quidem eſſe poſſe diuinâ gratiâ adjuuante; ſed ſi quæras quo ſenſu dicatur illud, *diuinâ gratiâ adjuuante?* Debet reſponderi ſenſum eſſe conditionalem, & ita reſoluendum, poſſe ſi Deus gratiâ ſuâ adjuuet: non verò abſolutum, qui ſic reſoluitur, poteſt cùm non deſit gratia neceſſaria Dei quæ adjuuet. Vnde ſi jam inſtes, cùm poſſit homo eſſe ſine peccato, adjuuante gratiâ, quare non eſt? Genuina reſponſio in doctrina Ianſenii eſt, quia deeſt illa gratia. Nullus enim eorum qui peccant, habet gratiam ad non peccandum. Itaque quòd homo poſſit eſſe ſine peccato, non refertur ad arbitrium hominis, ſed ad arbitrium Dei, qui poteſt dare, vel non dare homini gratiam ad non peccandum neceſſariam. Ex quibus ſequitur primò, ſi quis abſolutè neget hominem in hac vita eſſe poſſe ſine peccato, verum dicere; & qui abſolutè affirmat, dicere falſum. Quia quod non eſt verum, niſi poſitâ aliquâ conditione, quando conſtat ſublatam eſſe conditionem, abſolutè falſum eſt. Conditio autem diuinæ gratiæ, ex qua pendere dicit Auguſtinus illud *poſſe non peccare*, in ſententia Ianſenii abſolutè tollitur; quippe qui putat neminem peccare, qui non careat diuina gratia ad impediendum peccatum neceſſaria; ſeu quod idem eſt, nulli

peccanti adeſſe gratiam ad impediendum peccatum ſufficientem. Vnde conficitur demonſtratiuum hoc argumentum in doctrina Ianſenii, deſignato quolibet homine. hic homo non poteſt eſſe ſine peccato, niſi diuina gratia adjuuet in qualibet occaſione peccandi; ſed diuina gratia non adjuuat in qualibet occaſione peccandi: Ergo hic homo non poteſt eſſe ſine peccato. Et tamen, inquit Auguſtinus, hoc non poteſt dici ſine nota *incautæ temeritatis*: Ergo ex Auguſtino Ianſeniani hoc charactere notandi ſunt.

Sequitur ſecundò, in eadem ſententia interroganti, quare homo non ſit ſine peccato in hac vita? Obuiam, & quæ ſtatim occurrit, reſponſionem eſſe, quia non poteſt. Cùm enim vt hoc poſsit, neceſſaria ſit gratia; & illa deſit in omni occaſione, in qua homo peccat; & certò ac neceſſariò neceſsitate ad vnum determinante ſit non peccaturus, ſi ea daretur; quicumque interroganti cur homo non peccet, aliam quærit reſponſionem, effugia quærit & fucos adhibet, quibus abſcondat veritatem: Atqui conſtat Auguſtinum nolle ita reſpondere. nempe quia non putat verum eſſe quod Ianſenius dicit.

Sequitur tertiò, eos qui ita philoſophantur, reos eſſe duplicis illius peccati, quod Auguſtinus monuit vt vitaremus, quòd ſcilicet *derogent*, *& libero hominis arbitrio, qui appetit non habere peccatum, & Dei miſericordiæ, quæ adjuuando efficit, vt homo hoc poſſit.* Injuria enim quam Auguſtinus timere poteſt inferendam libero hominis arbitrio, non poteſt eſſe alia, quàm quod dum homo appetit eſſe ſine peccato, appetat rem impoſsibilem: Atqui hoc verum eſt ex principiis Ianſenii: Ergo ex Auguſtino, ſententia Ianſenii derogat libero arbitrio. Injuria verò quæ infertur diuinæ miſericordiæ, quæ hoc adjuuando *efficit*, hoc eſt quæ adjuuando efficit, vt homo *poſſit eſſe* ſine peccato; nòn poteſt eſſe alia, quàm quòd reuera hoc non efficiat adjuuando. Atqui in ſententia Ianſenii hoc non efficit: quia reuera in omni occaſione in qua homo peccat, Deus non dat gratiam quæ neceſſaria eſt, vt poſſit non peccare. Ergo ex Auguſtino, ſententia Ianſenii derogat Dei miſericordiæ.

Sequitur quartò, verum eſſe quod diximus, propoſitio-

nem illam Auguſtini, *hominem diuinâ adjuuante gratiâ, eſſe poſſe ſine peccato*, reſoluendam eſſe per ſenſum abſolutum. *Quia diuina gratia adjuuat*; & non per conditionatum, vt vult Ianſenius, *ſi diuina gratia adjuuet.* Abſoluta enim eſt affirmatio, quâ Sanctus Auguſtinus dicit diuinam miſericordiam adjuuando efficere, vt poſſimus eſſe ſine peccato. Et verò ſicuti laus liberalitatis non conſiſtit in eo quod habeat adjunctam facultatem benefaciendi, quippe quam etiam adiunctam habere poteſt auaritia, & tenacitas: ſed in vſu ipſo & exercitio benefaciendi; ita laus miſericordiæ non conſiſtit in eo quod adjunctam habeat facultatem ſubueniendi miſeris; adjunctam enim habet & rigor atque ſeueritas: ſed conſiſtit in exercitio miſerationis. Ergo Auguſtinus, qui cauet ne diuinæ miſericordiæ derogetur, dum dicitur homo in hac vita non poſſe eſſe ſine peccato; non hoc intendit tantùm, vt intelligatur Deus poſſe juuare hominem, dando facultatem abſtinendi à peccato, ſed vt intelligatur re ipſa juuare: atque hanc facultatem concedere, quotieſcumque neceſſaria eſt; & hoc eſt exercitium miſericordiæ, quod Ianſenius tollit, tollendo ſimul ejus gloriam. Quod valde notandum eſt, non ſolùm pro indifferentia liberæ volitionis, pro qua jam diſputamus, ſed etiam pro gratia ſufficiente quæ illi *monſtrum eſt*, quippe qui domeſticis, ac familiaribus ſcholarum catholicarum ſententiis non ſatis aſſueuit.

Cap. 7. Probatur trigeſimò, ex lib. de corr. & gratia, cùm dicit, *Iuſtior videtur excuſatio dicentium, non accepimus* audientiam, quàm dicentium non accepimus *perſeuerantiam; Quoniam poteſt dici, homo in eo quod audieras & tenueras, in eo perſeuerares, ſi velles.* Quod eſt, juſtam eſſe accuſationem, & injuſtam eſſe excuſationem eorum, qui accepto per Dei gratiam beneficio reconciliationis, non perſeuerant, propterea quòd perſeuerare potuerint, ſi voluiſſent. Ceciderunt igitur potentes ſtare, hoc eſt, cum indifferentia, & ſine neceſſitate ad vnum determinante: & ideo juſtè increpantur, & injuſtè ſe excuſant. Nam quòd dicit, *ſi velles*, manifeſtum eſt ſupponi velle poſſe quibus hoc dicitur: alioqui nullum eſt diſcrimen, quod ponit Auguſtinus, inter non perſeuerantem, non accepto dono perſeue-

ſeuerantiæ : & non venientem ad Chriſtum , non audito
euangelio , cùm dicit juſtiorem eſſe huius excuſationem.
Quare enim juſtior eſt, niſi quia vt audiret euangelium, ſi-
ne quo ad Chriſtum venire non poterat , non fuit in ejus
poteſtate? Quod ſi pariter non fuit in poteſtate ejus, qui non
perſeuerat , *vt vellet* perſeuerare , hoc eſt , *ſi non potuit* velle
perſeuerare, ſine qua voluntate perſeuerantia eſſe non po-
teſt; quomodo non eandem excuſationem habebit, cùm di-
cet, perſeueraſſem quidem, ſi voluiſſem , ſed velle non po-
tui? Et eò ſpectant ſimiles apud Auguſtinum locutiones , vt
cùm dicit in Enchiridio, Coroſaitas *potuiſſe ſaluos eſſe , ſi vel-* Cap. 95.
lent, & quod eſt in ſecundo libro de peccatorum meritis,
interrogantibus, cur homines non ſint ſine peccato, poſt-
quam adiuuante gratia eſſe poſſunt, *veraciſſimè reſponderi, quia
nolunt*, qui modi loquendi ſunt omnino inepti , niſi ii de
quibus hoc dicitur , intelligantur velle poſſe. Et ideo ex
communi ſenſu, loquutiones illæ non vſurpantur, vbi eſt vo-
luntatis illius impoſſibilitas: nec quiſquam dicit Deum poſ-
ſe ceſſare ab amore ſui, ſi velit ; aut beatum ab amore Dei.
Nempe quotieſcumque poſſibilitas rei alicujus intelligi-
tur pendere à conditione impoſſibili , hoc ipſo creditur
nulla eſſe : & rem eſſe in tali caſu abſolutè impoſſibilem.
Et ita non dicimus eſſe poſſibile bouem volare , quamuis
hoc ſit poſſibile, ſi haberet alas ; eo quòd habere alas , ſit
impoſſibile naturæ bouis. Ergo in illa hypotheſi, in qua
deeſt facultas volendi , qui dicit hominem poſſe aliquid ſi
velit, nugatur , quòd conditio voluntatis, ex qua pendet id
quod poſſibile dicitur, ſupponatur impoſſibilis: & ideo dici
debet in tali caſu ſimpliciter impoſſibile.

Probatur trigeſimo-primò, ex lib. de bono perſeuerantiæ, Cap. 5.
dum dicitur : *Quiſquis audet dicere, habeo ex me ipſo fidem, non
ergo accepi; profectò contradicit huic apertiſſimæ veritati* (quid ha-
bes quod non accepiſti) NON QVIA CREDERE VEL NON CRE-
DERE NON EST IN ARBITRIO VOLVNTATIS HVMANÆ , *ſed in
electis præparatur voluntas à Domino. Ideo ad ipſam quoque fidem,
quæ in voluntate eſt, pertinet, quis enim te diſcernit? Quid habes
quod non accepiſti?* Quibus verbis confirmat Auguſtinus quod
aliàs dixerat in libro de ſpiritu , & litera. *Attendat, & videat,*

non ideo tantùm iſtam voluntatem diuino muneri tribuendam, quia ex arbitrio libero eſt, quod nobis connaturaliter concreatum eſt; verùm etiam, quod viſorum ſuaſionibus agit Deus, vt velimus, & vt credamus, ſiue extrinſecus per euangelicas exhortationes, ſiue intrinſecus, vbi nemo habet in poteſtate quid ei veniat in mentem, SED CONSENTIRE, VEL DISSENTIRE PROPRIÆ VOLVNTATIS EST. Vbi vides poſtremam hanc definitionem, *ſed conſentire, vel diſſentire* gratiæ, nimirum ad fidem mouenti, *propriæ voluntatis eſt*, ſuperioribus illis verbis apprime reſpondere, *Non quia credere, vel non credere, non eſt in arbitrio voluntatis.* His autem perſpicuum eſt ſignificari poteſtatem ad vtrumlibet, nempe ad credendum, & non credendum, de eo enim qui vnum tantùm poteſt, vt jam ſuprà notatum eſt, nunquam dicitur habere in arbitrio voluntatis, vt alterutrum faciat: nec ſi nulla ſit cymba, quâ fluuius tranſmittatur, quiſquam ſit adeò inſanus vt dicat, ſtantem ad ripam, habere in poteſtate, vt natando, vel nauigando tranſeat. Quæro igitur quem intelligat Auguſtinus quando dicit, *credere vel non credere poſitum eſſe in arbitrio voluntatis?* an hominem gratiâ deſtitutum? an hominem præditum gratiâ ad credendum neceſſariâ? Si primum, falſum eſt, & Pelagianum quod dicit, poſſe illum credere, vel non credere; nam eſto poſſit non credere qui gratiâ deſtituitur, tamen quomodo dicetur poſſe credere, niſi ab eo qui negat neceſſariam eſſe gratiam ad credendum? Ergo ille vnum tantùm poteſt, non pro arbitrio voluntatis alterutrum. Quòd ſi intelligat Auguſtinus hominem gratiâ præditum, ſicut oſtendunt omnino circumpoſita vtrique loco verba intelligendum eſſe, quomodo poteſt eſſe verum quod dicit, habere illum in libero arbitrio credere, vel non credere: & propriæ voluntatis eſſe quod conſentiat, vel diſſentiat? Eſto enim dici poſſit, *poſſe conſentire, & credere*, vt in ſententia Ianſenii non poteſt dici, *poſſe diſſentire.* Quomodo enim poteſt, ſi ſequatur ex illa gratia, neceſſitas ad vnum tantùm determinans, vt ille docet? Quomodo poteſt, ſi vſus, vel non vſus illius gratiæ non permittatur libero arbitrio? Quomodo poteſt, ſi per victricem illàm gratiam, quâ fit, vt velle credere ſit in poteſtate voluntatis, excludatur contrarius, & victor concupiſcentiæ motus, per quem fit vt nolle credere

ſeu diſſentire in ejuſdem poteſtate ſimiliter ſit? Hæc enim ſunt Ianſenii principia, juxta quæ qui habet gratiam ad credendum requiſitam, pro tempore quo illam habet, nullo modo dici debet, poſſe non credere. Ergo hic quoque non poteſt alterutrum pro arbitrio voluntatis, *credere nimirum aut non credere*, ſed vnum tantùm. Ac proinde nunquam reperietur tempus, in quo veritatem habeat effatum illud Auguſtini, *quod credere vel non credere ſit in arbitrio voluntatis*, quia ſublatâ gratiâ *credere* non eſt in arbitrio: nec eâ præſente *non credere* juxta Ianſenium, qui propterea cenſendus eſt tollere indifferentiam, quam adſtruit Auguſtinus.

Sed expendenda ſunt adhuc illa verba quibus dicit Auguſtinus *propriæ voluntatis eſſe conſentire, vel diſſentire*. Supponunt enim manifeſtè præſentiam gratiæ, cùm nemo conſentire dici poſſit, niſi ſit cui conſentiat: nemo etiam à non exiſtente diſſentire. Ergo ſi quando verum eſt hominem pro ſuo arbitrio poſſe conſentire, aut diſſentire, debet tunc ſupponi eſſe gratia, cui conſentiat, aut diſſentiat; Conſequenter debet ſupponi talis gratia, quæ non tollat, τὸ *poſſe diſſentire*, hæc eſt igitur Auguſtiniana libertas arbitrii. Confirmatur ex ſimili loco in Pſ. 91. *Sathanas non cogit inuitum*, IN TVA POTESTATE EST CONSENTIRE, AVT NON CONSENTIRE. Peccatores alloquitur, atque adeò Diabolo conſentientes, in quorum poteſtate cùm dicat eſſe non conſentire, admonente Deo (hoc enim præmiſit) ſequitur agnoſcere illum beneficio gratiæ ſufficientis indifferentiam in eo, qui peccat, ad non peccandum.

Probatur trigeſimo-ſecundò, illis omnibus locis quibus docet Auguſtinus Deum non præcipere impoſſibilia, quæ cùm plurima ſint, emicat tamen inter alia quod eſt in libro de natura & gratia. Vbi dum Pelagium refutat, qui dicebat poſſe hominem in hac vita eſſe ſine peccato, & vt eſſe poſſit pertinere ad bonitatem Dei, quaſi ni poſſet, putandus eſſet Deus præcipere impoſſibilia. Reſpondet Auguſtinus aliam eſſe rationem hominis lapſi, & hominis integri. *Nunc*, inquit, *de illo agitur, quem ſemiuiuum latrones reliquerunt, qui grauibus ſaucius confoſſúſque vulneribus, non ita poteſt ad juſtitiæ culmen aſcendere, ſicut potuit deſcendere. Qui etiam ſi jam in ſta-* Cap. 47.

bulo eſt, adhuc tamen curatur; Et quia murmurare aliquis poſſet ac dicere; Ergo ab homine lapſo poſtulat Deus id, ad quod non habet vires; pergit Auguſtinus: *Non igitur Deus impoſſibilia jubet: ſed jubendo admonet, & facere quod poſſis, & petere quod non poſſis*: Quaſi diceret, quotieſcumque Deus aliquid jubet, ſupponit te alterutrum poſſe: nempe aut facere quod jubet, aut petere faciendi facultatem; atque ita dum præcipit, ejuſmodi præcepto admonet, vt alterutrum facias, quandoquidem alterutrum potes. Et ne cui videretur excludi gratiæ neceſſitas, ſequitur: *Iam nunc videamus vnde poſſit. Iſte*, Pelagius, *dicit, voluntate non eſt quod natura poteſt. Ego dico, voluntate quidem non eſt homo juſtus, ſi natura poteſt; ſed medicina poterit quod vitio non poteſt.* Nempe inter Auguſtinum, & Pelagium perfectè conuenit, quòd Deus non jubeat impoſſibilia: nec cum eo vult contendere Auguſtinus vtrum poſſit homo eſſe ſine peccato. Tota inter eos contentio eſt, *vnde hoc poſſit*, per naturam, inquit Pelagius, per medicinam, inquit Auguſtinus, quia natura

Cap. 42. vulnerata eſt. Et ideo paulo antè. *Nam neque illud nimis curo, vtrum fuerint hîc aliqui, vel ſint, vel eſſe poſſint, qui perfectam, cui nihil addendum eſſet, habuerint, vel habeant, vel habituri ſint caritatem Dei. . . . . quoniam id quod voluntate hominis adjutâ per Dei gratiam fieri poſſe confiteor, & defendo, quando, vel vbi, vel in quo fiat, nimium certare nolo: neque de poſſibilitate ipſa contendo; cùm ſanatâ, & adjutâ hominis voluntate, poſſibilitas ipſa ſimul cum effectu in Sanctis proueniat.* Vides quò reducat Auguſtinus quæſtionem cum Pelagianis. Non, an ſit aut eſſe poſſit homo ſine peccato: quod eſt, an poſſit ſeruare mandata; ſed an poſſit ea ſeruare ſine gratia, quæ naturæ ſuperaddatur ex meritis Redemptoris. Vnde poſtea cùm retuliſſet Pelagii verba, quibus negabat ſe *defenſare illam poſſibilitatem, ſine Dei gratia*, quin potiùs fateri, *debere illam Deo tantùm*

Cap. 44. *deputari*; Auguſtinus ſubiungit: *Si neſciremus quæ ſequantur, iſtis tantùm auditis, falſa nos de illis jactante fama & quibuſdam fratribus idoneis teſtibus aſſeuerantibus credidiſſe putaremus. Quid enim dici breuius potuit, & verius, quàm poſſibilitatem non peccandi, quantacumque eſt, vel erit in homine, nonniſi Deo debere reputari? hoc & nos dicimus*, IVNGAMVS DEXTERAS. En vt Augu-

ſtinus ſola confeſſione Pelagii contentus eſt, paratúſque inire cum eo pacem, ſi verbis mens reſponderet. Vide autem quomodo quæ rectè dixerat Pelagius, prauâ intelligentiâ corrumpat. Subdit enim Auguſtinus: *An audienda ſunt cætera? Audienda ſunt & corrigenda*, & ſtatim refert Pelagii verba hæc: *Nam cùm dicitur ipſum poſſe arbitrii humani omnino non eſſe, ſed auctoris naturæ Dei ſcilicet: ecquî fieri poteſt, vt abſque gratia Dei intelligatur, quod ad Deum propriè pertinere cenſetur?* Cap. 45.
En tibi totum illud venenum erroris Pelagiani. Gratiam admittit quæ ſit à Deo vt auctore naturæ, hoc eſt gratiam naturalibus donis, quæ per creationem accepimus, minimè ſuperadditam. Hoc ſolum tolle, & clamat Auguſtinus, *jungamus dexteras*; hoc autem eſt Auguſtinum non ſolùm non negare, ſed aſſerere poſſibilia eſſe, etiam tranſgreſſoribus Dei mandata.

Quod iterum perſpicuè confirmat ſub finem hujus libri Cap. 48. cùm dicit ſe *non nimis curare vbi, & quando pleniſſima juſtitia perficiantur, qui proficiunt in virtutibus; ſed confirmare ſe, nonniſi gratia Dei per Chriſtum perfici poſſe.* Et tandem, *valde autem* Cap. 49. *bona ſunt præcepta, ſi legitimè iis vtamur; eo quippe ipſo, quo firmiſſimè creditur, Deum juſtum & bonum impoſſibilia non potuiſſe præcipere: hinc admonemur, & in facilibus quid agamus, & in difficilibus quid petamus.* Quibus verbis Auguſtinus clarè ſignificat alterutrum nobis eſſe facile, aut implere quod jubemur, aut implendi vires orando poſtulare. Quæ cauſa eſt cur paulò antè, negligentiæ, ac pigritiæ attribuerit, quod Cap 48. homines non bene viuant: ideóque cenſuerit exhortandos, terroribus verberandos, præmiorum laudibus erigendos. Nemo autem pigritiam, vel negligentiam agnoſcit, niſi in rebus poſſibilibus. His adde quod eſt in lib. de gratia, & libero arbitrio, *Magnum aliquid Pelagiani ſe ſcire putant, quando dicunt, non juberet Deus quod ſciret non poſſe ab homine fieri. Quis hoc neſciat? ſed ideo jubet aliqua, quæ non poſſumus, vt nouerimus quæ ab illo petere debeamus.*

Supponit igitur Auguſtinus poſſibilia eſſe tranſgreſſoribus Dei præcepta, quod eſt homines potentes ea ſeruare, non ſeruare; hoc autem eſt ſupponere homines habere indifferentiam ad ſeruandum, & non ſeruandum. Et quia inde putat dari locum terroribus, minis, exhortationibus, laudi-

bus, conſequenter ſupponit, pertinere indifferentiam hanc ad libertatem, peccando & merendo neceſſariam.

Probatur trigeſimo-tertiò iis omnibus locis, quibus Auguſtinus calumniam purgat, à Pelagianis irrogatam, quòd tolleret liberum arbitrium; quod facit potiſſimùm in libro de gratia, & libero arbitrio. Notandum enim eſt libertatem indifferentiæ, quam Ianſenius *bicornem* vocat (quòd ſit ad vtrumlibet) ab eodem cenſeri libertatem Pelagianam, hauſtam ex lacunis Philoſophiæ Peripateticæ, *Deſinat*, inquit, *hic obſtrepere Ariſtotelica Philoſophia qua in iſta cauſa cum Pelagio atque Iuliano plenis buccis eam crepante damnata eſt. Neque enim aliud eſt quidquam hæreſis Pelagiana de gratia & libero arbitrio, quàm pura puta Ariſtotelica Philoſophia*: Item, *Ex quo ſit vt nihil magis in hoc argumento de libero arbitrio ſuſpectum eſſe debeat, quàm Ariſtotelica philoſophia, cujus ſolius armis inſtructi Iulianus, & Pelagius libertatem humani arbitrii defenderunt.* Quibus ſimilia ſparſim habet per omnes ferè paginas. Igitur libertas quam Pelagiani queruntur ab Auguſtino deſtrui, eſt libertas ad vtrumlibet duorum, contrariè vel contradictoriè oppoſitorum: & hoc eſt liberum arbitrium quod Pelagiani putant ſe tueri contra Auguſtinum. Auguſtinus autem, quid reſpondet? Abſolutè negat ſe tollere liberum arbitrium quin potiùs fusè probat, accumulatis Scripturæ ſacræ teſtimoniis eſſe admittendum, vt conſtat ex tribus prioribus capitibus libri de gratia & libero arbitrio.

In præf. lib. 6. de gra. Salu.

Iam dico. Vel Auguſtinus dum affirmat retinendum eſſe liberum arbitrium, idem intelligit quod Pelagius, vel non: ſi idem intelligit, habemus intentum, & bicornis libertas Auguſtiniana eſt; ſi non idem intelligit, dolosè cum illis agit, ejuſdémque fraudis reus eſt, cujus aliàs ipſe Pelagium accuſauit, fingentem ſe gratiam admittere, ſed alterius generis, à gratia quam Auguſtinus requirebat. Ita enim modò Auguſtinus liberum arbitrium admittet, ſed aliud intelligendo quàm quod Pelagiani poſtulant. Quòd ſi Pelagiani malè concipiunt liberum arbitrium, in eo debebat Auguſtinus laborare, vt conceptum eorum corrigeret, quod nunquam facit: Legatur enim non ſolùm trigeſies ſexies, vt legiſſe dicitur Ianſenius, ſed etiam millies: & nunquam in-

uenietur aliud corrigere in ſententia Pelagianorum, & in eo quod dicebant liberum arbitrium poſſe facere, vel non facere; quàm vt faterentur *illud poſſe*, quando ſalutem reſpicit, & ad ea refertur quæ pertinent ad vitam æternam, ex gratia eſſe: ſeu quod idem eſt, gratiam efficere vt hoc poſſimus. Conſtat hoc, ex loco paulo antè citato ex libro de natura & gratia, vbi Pelagio dextram porrigit, ſi velit hoc confiteri: quod iterum repetit in eodem libro vbi de poſſibilitate ſeruandi mandata, & viuendi ſine peccato quam adſtruebat Pelagius, *Rectè quidem diſputat*, inquit . . . . *ſed hoc vnde ſit poſſibile, fateatur, & pax eſt. Ipſa eſt enim gratia Dei per Ieſum Chriſtum &c.* Conſtat & ex jam citato libro de gratia, & libero arbitrio; vbi poſtquam admiſit, & admittendum probauit liberum arbitrium; vide quid caueri velit in doctrina Pelagianorum. Non enim illud, vt non concipiatur eſſe facultas ad vtrumlibet, ſed ne *iſta omnia diuina teſtimonia, & quæcumque alia ſunt, quæ ſine dubitatione ſunt plurima, in defenſione liberi arbitrii ſic intelligantur, vt ad vitam piam, & bonam conuerſationem cui merces æterna debetur, adjutorio, & gratiæ Dei locus non relinquatur; & audeat miſer homo quando bene viuit, & bene operatur, vel potiùs bene viuere, & bene operari ſibi videtur, in ſe ipſo, non in Domino gloriari; & ſpem rectè viuendi in ſe ipſo ponere, vt ſequatur illum maledictum Hieremiæ Prophetæ docentis, maledictus homo &c.* Et ſtatim explicans illud, *& firmat carnem brachii ſui, firmat*, inquit, *carnem brachii ſui, qui potentiam fragilem, atque inualidam, id eſt humanam ſibi ſufficere ad bene operandum putat; nec adjutorium ſperat à Domino; Propter hoc enim ſubjecit, & à Domino diſcedit cor ejus. Talis eſt hæreſis Pelagiana, &c.* Hæc nimirum eſt hæreſis Pelagiana, non quòd credat liberum arbitrium includere indifferentiam, quo nomine damnatam eſſe ab Auguſtino, neque Ianſenius, neque Ianſeniani vnquam probare poterunt; ſed quòd talem habeat indifferentiam, vt *ad vitam piam, & æternæ vitæ meritoriam, non relinquat locum Dei adjutorio; ſed ſufficere ſibi putet humana potentia; velitque in ſeipſa ſpem ponere, & non in Deo*, nec aliud deinde probat toto libro. Ergo Auguſtini conceptus de libero arbitrio, conceptui Pelagianorum apprime reſpondet, dum aſſerit liberum arbitrium, quod

Cap. 44. & 59.

Cap. 4.

iſti eum negare mentiebantur : Concedit, inquam, Auguſtinus id eſſe liberum arbitrium, quod Pelagiani putant, facultatem ſcilicet operandi, & non operandi; ſed in iis quæ ſpectant ad ſalutem, hanc facultatem nonniſi per Dei gratiam conſtitui putat.

Et confirmatur euidenter ex eo quòd inter ea loca, quibus Auguſtinus probat liberum arbitrium, citat etiam illud Eccleſ. vbi dicitur homo *poſitus in manu conſilii ſui, appoſitum eſſe illi ignem & aquam, vt ad quodcumque voluerit extendat manum ſuam: eſſe in conſpectu ejus, vitam & mortem, & quodcumque placuerit, ei dandum.* Quibus verbis ſignificatur euidenter indifferentia ad oppoſita; Auguſtinus vide quid addat, *Ecce*, inquit, *apertiſsimè videmus expreſſum liberum humanæ voluntatis arbitrium?* Exprimitur ergo liberum humanæ voluntatis arbitrium, quando exprimitur indifferentia ex Auguſtino. Et notandum eſt contra Caluinum, & Ianſenianos aliquos, qui volunt locum illum pertinere ad ſtatum naturæ integræ, Sanctum Auguſtinum agere de libero arbitrio naturæ lapſæ, quia non accuſabatur quòd deſtrueret liberum arbitrium naturæ integræ, ſed lapſæ; ergo ex mente Sancti Auguſtini locus ille pertinet etiam ad naturam lapſam : eóque ſignificatur vim illam agendi naturæ intelligentis propriam, ita fuiſſe impreſſam in natura integra, vt perſeueret etiam in lapſa, ſicut perſeuerat eſſe riſibile, eſſe admiratiuum, eſſe capax diſciplinæ; cum ea tantùm differentia, quòd ex originali corruptione naſcatur ſpecialis gratiæ neceſſitas. *Neque negetis Dei gratiam*, inquit Auguſtinus, *neque liberum arbitrium ſic defendatis, vt à Dei gratia ſeparetis, tanquam ſine illa vel cogitare aliquid, vel agere ſecundùm Deum vlla ratione poſsimus, quod omnino non poſſumus.* Hoc poſtulat Auguſtinus, hoc vnum commendat: indifferentiam inſuper negare, ſomnium eſt.

Cap. 15.

In epiſt. vnà cum libro de grat. & libero arbitr. ad Valentinum miſſa.

Probatur trigeſimo-quartò, ex Sermone 191. de tempore, qui eſt tertius de Feſto Sanctiſsimæ Trinitatis, vbi S. Auguſtinus fidei ſuæ profeſsionem ſic concludit. *Liberum ſic confitemur arbitrium, vt dicamus nos Dei ſemper indigere auxilio, & tam illos errare qui cum Manichæo dicunt hominem peccatum vitare non poſſe, quàm illos qui cum Iouiniano aſſerunt hominem non poſſe peccare. Vterque enim tollit arbitrii libertatem. Nos verò dicimus homi-*

hominem ſemper, & peccare, & non peccare poſſe, vt nos liberi confiteamur eſſe arbitrii; hæc eſt fides, dilectiſſimi fratres, quam in Catholica didicimus Eccleſia, quámque ſemper tenuimus, & tenemus: quam credimus & à nobis deinceps poſſe teneri. Manichæi non dicebant hominem eſſe in continuo actu peccandi; ſed volebant tantùm in illis occáſionibus, in quibus peccat, ita præualere ſuggeſtionem malæ animæ ſupra bonam, vt hæc non poſſit vitare peccatum. Hoc eſt igitur quod Auguſtinus putat tollere arbitrii libertatem, & pertinere ad hæreſim Manichæam: ac proinde cenſet pertinere ad Fidem Catholicam, quòd credatur is qui ſuccumbit tentationi, poſſe non ſuccumbere: & qui peccat, poſſe non peccare, quod eſt indifferentiam pertinere ad liberum arbitrium, etiam prout dicit potentiam expeditam voluntatis ad non faciendum quod facit. Nam remotam non negabant Manichæi, cùm non negarent eſſe mutuas vices in conflictu animæ bonæ cum mala, & bonam aliquando vincere, ſeu non ſemper vinci. hoc enim illi nuſquam dixiſſe reperientur, quin potiùs ſuppoſuiſſe contrarium, præſertim in illis, quos vocabant Electos, & Purgatores partis diuinæ, quam nobis ineſſe fabulabantur. Iam quod dicit Iouinianum quoque tollere liberum arbitrium, dum negat hominem poſſe peccare; non eò pertinet, vt nuſquam puterur eſſe liberum arbitrium ſine potentia peccandi, ſed quia Iouinianus loquebatur de puris hominibus, quos negabat poſſe ſubuerti ſi baptizati eſſent non tantùm in aqua, ſed etiam in ſpiritu, vt conſtat ex libro de hæreſibus ad Quodvultdeum, & ex Hieronymo lib. 2. contra Iouinianum; Auguſtinus, qui videbat in illa ſuppoſitione inſeparabilem eſſe potentiam peccandi à libero arbitrio, cenſuit eum qui hanc negaret, illud etiam negare, voluítque duo hæc principia fixa eſſe, liberum arbitrium tolli, ſi negetur is qui conſentit concupiſcentiæ poſſe non conſentire: item liberum arbitrium tolli, ſi negatur Chriſtianus in hac vita, in qua videt tantùm per ſpeculum in ænigmate, poſſe peccare dum tentatur.

Claudit hæc Auguſtini teſtimonia trigeſimum quintum, ex libro 12. de Trinitate, vbi clariſſimè exprimitur, & dominium voluntatis, & indifferentia, tanquam ad peccandum ne- Cap. 12.

ceſſaria, his verbis: *Neque enim poteſt peccatum, non ſolùm cogitandum ſuauiter, verùm etiam perpetrandum efficaciter mente decerni, niſi & illa intentio penes quam ſumma poteſtas eſt, membra in opus mouendi, vel ab opere cohibendi, malæ actioni cedat & ſeruiat.* Si Molina quidam, vel aliquis Leſſius dixiſſet, penes liberum arbitrium hominis eſſe *ſummam poteſtatem mouendi, vel cohibendi membra*, Ianſeniani centum buccis clamarent, blaſphemauit, humanum arbitrium diuino dominio ſubtrahit. Atqui Auguſtinus ita loquitur, & S. Thomas approbat, vt poſtea conſtabit. Et eundem ſenſum habet quod dictum erat antea, *In ſpecula conſilii præſidere ſuperiorem hominis portionem, eique demandatam temporalium rerum adminiſtrationem: & cenſeri illam conſentire immoderato appetitui, cùm non cohibet, nec refrenat.* Summa poteſtas membra mouendi, vel cohibendi; eſt-ne poteſtas, clauo neceſsitatis vni parti affixa? Et quæ aliam atque aliam diſpoſitionem expectat, vt modò in vnum feratur, & poſtea in aliud, eſt-ne ſumma? Numquid ea quoque brutis competit? Quis non rideat præſidem illam in ſpecula conſilii, & ſuperiore hominis portione poteſtatem, quæ ſic regit appetitum, vt dum conſentit, non poſsit cohibere, & dum cohibet, non poſsit habenas laxare? Rem tantulam Auguſt. tam ſpecioſis nominibus ſignificauerit? Ergo & indifferentiam Auguſtinus tanquam ad peccandum neceſſariam requirit; & talem indifferentiam, quæ ſine proxima, & ad vtrumque expedita voluntatis facultate non poſsit explicari.

Cap. 8.

§. 3. *Miracula Janſeniana.*

HÆc ſunt teſtimonia numero quinque ſupra triginta, nec tamen omnia, quibus probamus Auguſtinum in conceptu liberi arbitrii id incluſiſſe, quod indifferentiæ nomine ſignificatur, hoc eſt poteſtatem agendi & non agendi. Sunt verò hæc (ſi Ianſenio credimus) triginta & quinque miracula. Siquidem ille ita animo perſuaſum habet, neceſſitatem huic indifferentiæ contrariam, ex doctrina Sancti Auguſtini, non obeſſe libertati, *vt ingenuè fateatur ſe* miraculi *loco habiturum ſi in Auguſtini doctrina oſtendi poſſit, voluntatem quæ potentiſsimè, & immobiliter, & perpetuò juſtitiam diligit, & opera-*

to. 3. l. 6. cap. 8.

tur, non eſſe in iſta volitione, & operatione liberam. Quibus verbis quid intelligat, conſtat ex ſuperioribus, dum dicit. *In illo acerrimo, diuturnóque conflictu, quo cum Pelagianis de gratia, & libertate voluntatis decertatum eſt, in nullis Auguſtini libris, vel ſemel inueniri poſſe vnum textum, vel veſtigium opinionis iſtius, quod idcirco voluntas, ſub gratia quæ facit eam facere, maneat libera, quia ceſſare poteſt.* Hoc ſcilicet huic Auctori miraculum eſt, inueniri apud Auguſtinum vnum textum, quo ſignificetur cauſam liberam ideo eſſe liberam, quia ſic agit, vt poſſit non agere. Videat lector an ſuperioribus locis contrarium ſatis probatum ſit: ſimúlque decernat, ſi pergant Ianſeniani rem adeò manifeſtam negare, quid ſit ſentiendum de illa contumacia, quæ triginta quinque miraculis ſanari non poterit.

Eſt verò viciſſim magnum hoc miraculum, hominem ingenii, & eruditionis minimè vulgaris, viginti duobus annis Auguſtini libris incubantem; poſtquam decies circiter omnia ejus opera legit: & quæ ſunt ſcripta contra Pelagianos facilè ſexies & tricieſies, nuſquam vidiſſe aut intellexiſſe quod tam multis locis proponebatur. Cujus ego rei cauſam vix aliam inuenire poſſum, quàm quia faſcinati amore propriarum ſententiarum oculi videre nequeunt quæ illis aduerſantur; hinc verò intelligitur quàm meritò ſuſpecta eſſe debeant cætera quæ de Sancti Auguſtini doctrina hic auctor confidentiſſimè pronuntiat, quaſi ex præjudicio tam diuturni ſtudii minimè dubium cuiquam eſſe poſſit, quin affirmet Auguſtinus quæ ille affirmare teſtatur, quin neget quæ negare ipſum refert. Quippe jam conſtat tum hoc experimento, tum aliis multis, minimè tutam eſſe regulam hanc, nec Lectorem ſapienter facturum, qui neglecta propriorum oculorum indagine fidem ſuam teſtimonio Ianſenianorum committet. Quare facilè quidem admittimus quod dicunt, *miram viſum* iri eorum doctrinam ſcholaſticis: *doctrinam hanc inauditam eſſe recentioribus, & non mediocriter miram videri: ad nomen incoactæ libertatis exhorreſcere* non tantùm *nonnullos*, ſed pleroſque omnes, catholicos doctores: *perſtrepere nunc ſcholas illo modo conciliandæ libertatis cum gratia; Doctoréſque fatigari, vti ſub nomine libertatis indifferentiam illam libratam contrarietatis aut contradictionis muniat & ſtabiliat;* tom. 3. c. 6. ibid. c. 12. ibid. lib. 7. c. 21. ibid. cap. 8.

hæc inquam admittimus non inuiti. Neque enim poreſt non
mirum videri quod in Catholicis ſcholis nouum eſt: nec re-
centiores non exhorreſcere, dum poſt Sancti Thomæ ſenten-
tiam, quâ pronunciauit *hæreticam eſſe* opinionem, quâ putatur
voluntas ex neceſſitate moueri, dummodo citra violentiam,
& neceſſitatem moueatur, *eo quòd tollat rationem meriti, & de-
meriti ad quam requiritur, vt quod fit non ita fit ex neceſſitate quin
vitari poſſit* poſt manifeſtam duorum Pontificum definitionem,
duas iſtas Baii propoſitiones damnantium. *Quod voluntariè fit,
etiam ſi neceſſariò fiat, liberè tamen fit, & ſola violentia repugnat
libertati hominis naturali*: poſt decretum Concilii Tridentini,
quo ad ſaluandam contra Caluinum arbitrii libertatem defi-
nit *conſentientem diuinæ gratiæ poſſe diſſentire*, quod eſt eſſe in-
differentem ad vtrumlibet; poſt communem Catholicorum
omnium ſenſum, quo putatur Caluinus liberratem arbitrii
deſtruxiſſe, cùm tamen incoactam admiſerit; erumpat tamen
v[illegible]us aliquis è tenebris, & non jam *perſtrepentibus*, ſed conue-
nientibus miro conſenſu ſcholis omnibus, quamuis ſuo vna-
quaque modo, Geneuenſe canticum intonet, incoactæ li-
Tom. 3. lib. 6. c. 6. Ibid. cap. 8. bertatis. Sed quod addunt eſſe doctrinam hanc in Auguſti-
ni principiis *indubitatam, & in tot libris, quot exarauit de libero
arbitrio contra Manichæos, & de gratia, non tollente libertatem ad-
uerſus Pelagianos, vix vllum veſtigium reperiri poſſe, vbi de liber-
tate indifferentiæ loquatur: Nullam vel tenuem vmbram in ſcriptis
ſuis reliquiſſe, quod libertas arbitrii in hujuſmodi indifferentia collo-
Ib. cap. 10. canda ſit: Solicitum eſſe de ſola voluntate ſeu volitione, nihil curan-
do de libertate, eo quòd eſſentialiter libertas ſit conjuncta voluntati:
horrorem illum, & admirationem recentiorum oriri ex intolerabili
Ib. lib. 8. cap. 21. antiquitatis imperitia, remotiſſimos eſſe ab ea libertatis intelligentia,
quam Auguſtinus, ac diſcipuli cum tota Eccleſia antiqua tradiderunt:
Argumenta quibus, vel ſua probant, vel aliena improbant, ſola doctri-
na à majoribus tradita ignoratione & humanæ ratiocinationis liber-
tate niti.* Hæc, inquam, & alia id genus multa, quæ concio-
nabundus amplificare Ianſenius ſolet, judicio Lectoris ita
permitto, vt poſtquam ſuperiora Diui Auguſtini loca expen-
derit, qua æquitate, ac veritate nitantur, ipſe pronuntiet.

Idem dico de illo ferali vaticinio, quo in ſuam ipſe do-
ctrinam malè ominoſus ſic loquitur: *Fidenter dico, quicumque*

doctrinam iſtam à nobis traditam erroris inſimulare auſus fuerit, non Auguſtinum, non Bernardum; ſed philoſophiam fortaſsis Ariſtotelis ducem ac patronam habiturus eſt; & in iſta doctrina culmina, & columina neceſſe eſt vt anathema priùs dicat. Nempe conſtare cuilibet poteſt ex dictis, ſuffragatorem habere Auguſtinum, quotquot in hanc Ianſenii ſententiam anathema dicunt, nec dubium eſt quin præeuntem Auguſtinum Bernardus ſequatur ejus ſectator indiuiſus. Omitto rationes alias, aliorúmque Patrum teſtimonia, quia propoſitum eſt hoc loco vnius Auguſtini ſententiâm exquirere. Sed videamus quid dicant alii quidam Ianſenii Sectatores, & quid objiciant. Ex eorum enim refutatione ſuperiora illuſtrabuntur.

EXAMINANTVR ALIQVÆ VINCENTII Lenis cogitationes ſuper iſta controuerſia.

CAPVT I.

De quibuſdam Vincentii Lenis, atque aliorum Janſenianorum opuſculis, & quid ille tum de Janſenio ſentiat, tum etiam de ſe.

INTER eos, qui Ianſenianæ Theologiæ tuendæ veluti procurationem accepiſſe videntur, eminet in paucis Vincentius Lenis, *Theriacæ* primùm diſpenſator, idémque deinde *Fulgentius*, *Lucernæ Auguſtinianæ* faber. Siue enim imitari voluit fugitiuos, qui nomen, & profeſſionem cum locorum mutatione ſubinde mutant: ſeu Græcos artifices, apud quos, vt ait Tullius, qui citharœdi eſſe non poſſunt, aulœdi fiunt, pharmacopœam primùm profeſſus in componenda *Theriaca*, ſub nomine *Vincentii*, in cudenda deinde *Lucerna* ſub nomine *Fulgentii*, videri voluit Laternarius. Quin etiam quòd vſu venit malè occupatis opificibus, pertæſus artium ac nominum inutilium, animum adjecit ad militiam, & factus eſt, *Stratagematis* auctor anonymus. Nec jurare poſſum, nullam illum habuiſſe partem in illa celebri venatione, quæ *vulpem captam* anno ſuperiore per Italiam, Galliam, Hiſpaniam, circumduxit, tanto cum triumpho, vt diceres captam à Romanis Carthaginem. Crediderim equidem nonnullum in exequendo ejuſmodi conſilio fuiſſe vſum canis illius, quem alere ſe Vincentius narrat. Canem enim alere ſe ne genus humanum ignoraret, ſibi narrandum eſſe duxit, à quo inter duo oſſa deliberante, quæ ſit indifferentia liberi arbitrii didicerit. Verùm ſiue ille ſit, ſiue alius quiſpiam qui vulpem cepiſſe dicitur, ſupereſt nobis non leuis ſcrupulus, dicendum-ne ſit captam à cane vulpem, an potiùs à vulpe canem. Mittamus ambages, Ioannes Martines de

Vincentius Lenis de ſuo cane lib. 1. Theriacæ cap. 22.

Ripalda in opere illo erudito, quod edidit contra Baianos, mille ac mille modis errores eorum conuicit, in vna, & altera citatione, ſeu propria ipſius hallucinatione, homo enim erat, ſeu vitio Amanuenſium & Typographorum negligentia, à quibus procul diſtabat, dum ejus ſcripta ederentur, aberraſſe deprehenſus eſt; hìc Baiani vocem tollere, plaudere manibus, lætitiâ exultare, totique mundo inexpectatam nuntiare victoriam; *Vulpem captam.* Sed illa, ô viri boni, elapſa eſt integra & adhuc currit, eſto pilos aliquot tanquam ex cauda reliquerit in canum dentibus. Nobis verò haud paulo major eſt occaſio gloriandi ob proſtratos atque deuictos eoſdem canes, quos vulpes illa denſis morſibus confoſſos reliquit.

Fatigatos ex laborioſa venatione ac ſitientes expectabat *Collatio Antuerpienſis* inſtructa bellariis à Ianſeniano penu petitis. Neſcio cur non maluerint vocare cœnam, quàm vernacula & impropria ſignificatione, *Collationem.* Ita enim ipſi antiquo atque honeſto nomine dici potuiſſent, dipnoſophiſtæ. Collationi ne fructus deeſſent, & raræ apud Belgas vuæ recentes; decreta eſt, *Racematio*, ſi tamen illa vuarum fuit, & non potiùs labruſcarum. Conuiuio muſicam addiderunt, ſed lugubrem: Nam cùm Summus Pontifex omnino vellet vt obediretur Bullæ contra Baium & Ianſenium; cùm eam Rex Catholicus recipi juberet; cùm id vrgeret Sereniſſimus Gubernator, rati Neroniana rediiſſe tempora, edidere *Planctum veritatis in Belgio patientis.* Atque vt nullæ forent Muſæ quæ Ianſenio non canerent: & nouo dogmati litarent pariter Oratores & Poëtæ, addidere rhythmos, hoc eſt, *Rhythmicam conſiderationem*, quæ cum ſenſu Eccleſiæ comparata, diſſona eſt & nomen perdit. Ex quibus intelligi poteſt, quàm ingenioſi fuerint Ianſeniani in inueniendis variis artibus quibus receptæ jam pridem per totum orbem doctrinæ, ac repetitis Sedis Apoſtolicæ decretis reſiſterent. Sed Vincentium audiamus, qui ſic de Ianſenio; *Se oculis clariſſimè cernere, & manibus, vt ſic dicam, palpare Ianſenium Sancti Auguſtini & Eccleſiæ mentem diuina prorſus luce, & explicatiſſimo ordine attigiſſe.* Quæ ſi vera ſunt, neceſſe eſt Eccleſiæ hodiernæ cæcitatem damnemus, damnatam eſſe Ianſenii doctrinam pre-

Ep. prodr. pag 53.

nunciantis. Damnari enim non potuit niſi à cæco judice, quæ veræ, ac veracis Eccleſiæ mentem attingebat. Addit, *clariſſimam lucem à diuina ſapientia his temporibus, quando caligines, & tenebræ in dies creſcebant, ingenioſiſſimæ illi animæ infuſam, vt alii etiam inde mutuarentur.* Quod oſtendit iniquiſſimè factum à Pontificibus Romanis, qui damnato Ianſenio tanta nobis luce interdixerunt. Denique Ianſenium pronuntiat Vincentius, *cæteris Auguſtiniani æui Doctoribus adjungendum eſſe*, Ambroſio videlicet, Hieronymo, Auguſtino, accenſendum. Atque vtinam doctrinæ diſcrimen non impediiſſet ne in album Sanctorum illorum Patrum referri poſſet. Sed vereor vt Romanum Calendarium vnquam conjungat, quos tanta diſcordia ſententiarum diuiſit. Scire autem velim, non cujus æui, ſed cujus Eccleſiæ doctor ſit ille, qui cùm non neſciret, quid de Ianſeniana Theologia pronuntiarint Eccleſiæ Romanæ Summi Paſtores ac Præſides, reſiſtere illis in faciem auſus eſt, atque affirmare, diuinam eſſe doctrinam, quam illi reprobaſſent. Hæc eſt Vincentii de Ianſenio ſententia; de ſe autem quid ſentiat explicat ipſe.

Nam cùm aduertiſſet in his nominibus, *coactionis*, *violentiæ*, *neceſſitatis*, æquiuocationem latere, quæ confuſionem magnam, & tenebras in doctrinam Sancti Auguſtini, & Eccleſiæ inuexiſſet, maximáque parte peperiſſet ignorantiam iſtam; qua *non pauca etiam magna hujus æui ingenia mirum, & miſerandum in modum laborant. Ego quoque*, inquit, *olim, fateor, in hac caligine fui, ſed non ſegni operum Sancti Auguſtini, & diſcipulorum ejus lectione adjutus, lucem in ea philoſophia, & quis Sancti Auguſtini, ac ſcholæ ejus in re liberi arbitrii ſit ſenſus, tam clarè quàm quidquam aliud philoſophiæ humanæ, me videre jam exiſtimo. Ad tenebrarum igitur fugam face aliqua diſtinctionis eſt opus, quam capite ſequenti accendemus.* O nos beatos, quibus in obſcuriſſima difficultate laborantibus datum eſt talem ſequi luciferum, facem igitur hanc diſtinctionum intueamur.

CAP.

CAPVT II.

Examinatur diſtinctio duplicis neceſſitatis ſimplicis, quarum altera tollit; altera ſeruat arbitrii libertatem.

Janſenii & Vincentii diſcrepantia.

IANSENIVS cùm putaret volitionem eo ipſo quod eſt volitio, eſſe eſſentialiter liberam; conſequenter nihil agnouit, quo deſtrui poſſet libertas volitionum, quam quo fieret vt volitio deſineret eſſe volitio. Sed quia ſtatim ſequebatur motus primos, & affectus voluntatis indeliberatos, qui ſunt etiam quædam volitiones, eſſe liberos; ſuam ipſe mentem ita eſt interpretatus, vt per volitionem intelligeret tantùm eam, quæ plenum intellectus judicium & aduertentiam ſupponeret, vt conſtat ex libro 6. cap. 5. & 36.& lib. 8. cap. 9. To. 3. de gra. Salu. Ergo ſuppoſita judicii plenitudine putauit Ianſenius volitionem omnem eſſe neceſſariò liberam, nec poſſe fingi quid deſtrueret libertatem, præter quam aut neceſſitatem illam, quæ reſpectu actuum internorum voluntatis imaginaria eſt, & impoſſibilis, violenta ſcilicet, & propriè cogens neceſſitas: aut naturalem, quâ ſcilicet naturæ impetu, non expectatâ rationis aduertentiâ, voluntas afficitur; quæ quia ſpeciem etiam habet coactionis, ideo vno nomine neceſſitatis cogentis, vel violentæ, comprehendit id omne quod aduerſatur libertati noſtrarum volitionum. Præter hanc autem agnouit neceſſitatem aliam, quam vocat *ſimplicem, ad vnum determinantem, qua ſimpliciter neceſſe eſt vt aliquid fiat, non repugnante, ſed immutabiliter volente voluntate*, & quam ideo vocat *voluntariam*, putátque non repugnare libertati. Conſtat hoc ex libro ſexto citato, cap. 6. & lib. 8. cap. 19. vbi dicit juxta principia Auguſtini, Proſperi, & Fulgentii, *nullam gratiæ efficaciam, nullam neceſſitatem actibus voluntatis liberis formidandam eſſe: ſed ſolam vim, coactionem, & neceſſitatem violentiæ, quæ*

videlicet, vt loquitur Auguſtinus, non eſt in noſtra poteſtate, ſed etiam ſi nolumus, hoc eſt, nobis inuitis, & nolentibus & reluctantibus efficit id, quod poteſt: quibus ſimilia ſparſim aliis in locis inuenies.

Vincentius Lenis, quia vidit ex illa philoſophia ſequi, minimè culpandos eſſe, vel Manichæos, vel Stoicos fatum admittentes, vel Aſtrologos ex influxu planetarum liberos actus diuinantes, vel Caluinum decretoriam, & ineluctabilem agendi neceſſitatem in voluntates noſtras inuehentem, quaſi liberum arbitrium deſtruxiſſent; quod nemo eorum vel neget aduertentiam, & plenitudinem judicii, vel admittat eam coactionem, quâ volitiones noſtræ *nobis inuitis, & nolentibus, & reluctantibus fiant*, & idcirco perinde dici poſſe voluntariam neceſſitatem ab illis admiſſam, ac illam, quam admittit Ianſenius: ne contra ſenſum communem Catholicorum omnium & antiquum & hodiernum pugnare videretur, ampliandum putauit quod Ianſenius ſtrinxerat: & dicendum, volitionem illam quæ ſe ipſa libera eſt, non ſolùm ſequi debere plenam rationis cognitionem, ſed etiam elici *connaturali modo*.

Hinc ſtatim neceſſitatem illam ſimplicem ad vnum determinantem, ſaluâ rationis aduertentiâ, quam vnicam Ianſenius poſuerat, putauit in duas ita diuidendam, vt altera libertatem volitionum tolleret, quod impelleret ad agendum, *non connaturali modo*, altera ſeruaret. Vnde facile deinde fuit oſtendere, potuiſſe Manichæos, & Stoicos, & Aſtrologos, & Caluiniſtas libertatem eripere, etiam ſi ſupponerent præuiam, & plenam rationis aduertentiam, inducta ſcilicet neceſſitate illa, quæ connaturalitati operationum voluntatis opponitur: Ianſenium autem non eripere, quòd non admittat neceſſitatem eidem connaturalitati repugnantem. Colliguntur hæc ex iis, quæ docet lib. 1. Theriacæ, vbi voluntatem definit, potentiam, *quæ ex vi eſſentiæ ſuæ ſpecificæ, ſi naturali ſuo modo agendi relinquatur, nunquam ad agendum aut ſuſpendendum actum ſuum cogi poteſt.* Et ideo *incogibilitas*, inquit, eſt inſtar differentiæ, prout ſcilicet excludit neceſſitatem illi modo connaturali agendi repugnantem. Et deinde. *Et breuiter quotieſcumque neceſſitas voluntatem ad agendum ex ſufficienti judicio rationis*, ET CON-

Cap. 10. Cap. 11. Cap. 13.

NATVRALI MODO *compellit, toties neceſſitas eſt voluntaria, nec libertatem conſenſus euertit.* Alia igitur, quæ licèt ex ſufficienti judicio rationis, non tamen *connaturali modo* compellit; non eſt voluntaria, & libertatem euertit. Ex quo fundamento poſtea lib. 2. Ianſenianam à Caluiniana, & Manichæa, & Stoicorum, & Aſtrologorum ſententia conatur diſtinguere.

§. 2. *Oſtenditur diſtinctionem illam Vincentianam ſtare non poſſe.*

ET hæc quidem rectè, dummodo conſtitui poſſit certa quædam, & plana duarum illarum neceſſitatum differentia. Sed hoc exponendum reſtat. Age igitur, Vincenti, Caluinus libertatem euertit, admiſſâ tali neceſſitate, quæ voluntatem compellit ad agendum *modo non connaturali*, Ianſenius libertatem confirmat, admiſſâ tali neceſſitate, quæ voluntatem compellit ad agendum *connaturaliter:* vterque autem ſupponit ſufficiens judicium rationis. Quid igitur eſt illa connaturalitas, quam vnus tollit, alius retinet; & quid eſt in vnius neceſſitate, quo tolli cenſeatur connaturalitas illa, quod non ſit etiam in neceſſitate alterius, qui eam ſeruat. Eò, vt vides, tota reſoluitur controuerſia; & in hoc puncto neceſſe eſt vt ſe ſe explicent illi radii, qui te videntem in hac difficultate fecerunt, non minùs clarè, quàm in alia vlla philoſophiæ parte. Te conſulimus, Vincenti, nos qui *mirum, & miſerandum in modum laboramus in hac ignorantia. Accende quæſo diſtinctionis facem* illam, qua pellantur, quibus obſidemur, tenebræ. Age, inquam, cur Caluini neceſſitas impedit *connaturalem modum agendi* voluntatis; Ianſenii non impedit: & conſequenter, cur illa libertatem euertit, iſta non? cur iſta vocatur voluntaria, illa non item? Ego ſi meis cogitationibus adhærerem, dicerem ideo Caluiniana neceſſitate tolli connaturalem agendi modum, & euerti libertatem, quia illa ſic compellit ad agendum, vt voluntas non poſſit non agere: hoc eſt quia tollit indifferentiam. Adderem, ſi hoc ipſum faceret Ianſeniana, nullum eſſe inter vtramque diſcrimen. Sed hæ ſunt antiquæ illæ tenebræ, ex quibus tu Vincenti diuinis illuſtrationibus adjutus emerſiſti tandem. Nos qui adhuc iis implicamur

ad te confugimus, cui luminis participes futuri. Dic ergo tandem, quod ſit inter neceſſitatem Caluinianam, & Ianſenianam diſcrimen?

Non nego quin diſertus ſit iſte Vincentius, & verborum diues, ſed inutilium. Poſtquam ex longa & vſque ad lepores, atque facetias facunda diſſertatione, quod facit ad propoſitam difficultatem expreſſeris; vix aliud colligas, quàm eam neceſſitatem, quæ libertatem euertit, qualem concedit eſſe Caluinianam, mouere noſtram voluntatem *ſicut Atropos*, Ianſenianam verò *ſicut Lacheſis*; Illam influere in voluntatem *ſicut Rhodanus in Sequanam*, iſtam ſe illi miſcere *placidiùs*. Et hæc ſimilitudo adeò illi arriſit, vt lectorem moneat. *Rhodanum appetitum bruti, Sequanam humanam voluntatem eſſe cogita, & iſta comparatione oſtium tibi aperi ad aſpiciendum id, quò te mox capite ſequenti deducam.* Addit illam neceſſitatem eſſe *arctam, ferream, ſuffocantem, ſtrangulantem, dominantem*. Iſtam eſſe *molliorem, ſuauem, voluntariam, cedentem voluntati; qua ſinat voluntatem eſſe imperioſam ſui, & imperatricem*: ac proinde quæ ſit *neceſſitas ſeruiens* voluntati potiùs quàm *dominans*. Nec credi poteſt quàm multis modis & quàm præclaris vocabulis ſignificet nihil. Si enim quod ſubeſt phraſibus illis in ejus ſententia apprehendere coneris, præter tinnitum verborum nihil ſupererit.

Lib. 1. c. 11. & l. 2. c. 5.

lib. 1. c. 13.

Et in Ep. prodr. pag. 21.

Eſſet quidem optimè conſtituta diſtinctio, ſi quod dicit *voluntariam* eſſe hanc ſecundam neceſſitatem, *& cedere voluntati*, & voluntatem ſub illa *dominium* in *ſuos actus retinere*. eo modo intelligeret, quo intelligunt illi à quibus hæc ſumpſit: & quem propria & vſitata verborum acceptio præſefert. Quis enim cùm audit *voluntariam* eſſe aliquam neceſſitatem, non intelligat eam, quæ vel exiſtit, vel operatur ita dependenter à voluntate, vt poſſit voluntas impedire ne vel exiſtat, vel operetur: & ſi hoc velit, vel non futura, vel non operatura ſit? Et hoc ſine dubio intendebat Auguſtinus, cui Vincentius tribuit appellationem hanc voluntariæ neceſſitatis. At num etiam ipſe ita intelligit? Annuat, & habemus indifferentiam, quam impugnat à libertate inſeparabilem. Renuat, & quomodo vel erit hæc neceſſitas voluntaria, vel non erit etiam Caluiniana?

Similiter quod dicit hanc neceſſitatem cedere voluntati, ſi ad mentem Sancti Bernardi, ex quo ſumpſit; & juxta com-

munem ſignificationem acciperet, ſalua res eſſet. Neceſſitatem enim cedere voluntati, quid aliud eſſe poteſt, quàm voluntatem poſſe illi reſiſtere, & ſi velit, non ſequuturum neceſſitatis effectum? Alioqui quomodo cedit? At, hoccine intelligis Vincenti? Annue; & habemus indifferentiam cum libertate neceſſariò coniunctam; Renue; quomodo igitur magis cedit voluntati Ianſeniana hæc neceſſitas, quam illa Caluiniana. Et cùm hoc dicatur molle quod tangenti atque impellenti loco cedit: quomodo vel illa *mollis eſt*, vel iſta *dura* vocari poteſt?

Idem dico de illo dominio, quod ſub Ianſeniana neceſſitate ſeruare dicitur voluntas. Intelligitur enim dominium in ſuum actum, quod eſt poteſtas de eo diſponendi: hoc eſt, illum exprimendi, vel ſupprimendi, ſi velit: Et cùm dico, ſi velit, intelligitur poteſtas hoc volendi, vel in actu ſignato, vt loquuntur, vel in actu exercito. Quæro igitur, vtrum voluntas, quæ actum exprimit, habeat poteſtatem ſupprimendi, nec ne? & vtrum voluntas quæ ſupprimit, habeat poteſtatem exprimendi? Si habet, habemus indifferentiam; ſi non habet, quomodo concipitur ſui actus domina ſub Ianſeniana neceſſitate, magis quàm ſub Caluiniana.

Nam quod addit Vincentius, voluntatem ſub Ianſeniana neceſſitate retinere connaturalem agendi modum, quo caret ſub Caluiniana, vox eſt & præterea nihil. Quis enim eſt ille connaturalis agendi modus, ſi non eſt modus, quo voluntas circa objecta finita, & circa infinitum obſcurè cognitum ex ſufficienti judicio rationis, operatur cum indifferentia? Nam de cætero, negat-ne Caluinus agere voluntatem, & ab intrinſeco, & vitaliter, & cum inclinatione & affectu ad objectum, ſiue dum obedit concupiſcentiæ, malè agendo; ſiue dum gratiæ cooperatur, bene agendo? Quæ igitur eſt connaturalitas in vno caſu, quæ non ſit in alio? Rapitur, inquit Vincentius, ex Caluino *raptu fatali*, & *Manichæo*. At nunquid hæ quoque meræ ſunt phraſes, de quibus quæro, quid inueniant in vna neceſſitate ad ſignificandum, quod non pariter occurrat in alia?

Quare neceſſariò deueniendum eſt ad hoc principium, id quo vnico, quæ dicitur Caluiniana neceſſitas,

libertatem tollit, hoc eſſe; Quia voluntas ſub illa ſic agit, vt non poſſit non agere: ſic non agit, vt non poſſit agere. Hoc vnicum tolle; cætera omnia retine, & ſtatim mutabitur Atropos in Lacheſim, Rhodanus in Sequanam, durum in molle, ferrum in lanam, & quod ſuffocabat, & ſtrangulabat in auram vitalem. Tolle, inquam, hoc vnum, & nihil aliud; & neceſſitas Caluiniana contradicente nemine, fiet Catholica. Inde verò demonſtratiua ducitur argumentatio. Si totum illud, quo Caluiniana neceſſitas eſt Atropos, & Rhodanus, & ferrea, & ſtrangulans, & dura, reperitur in neceſſitate Ianſeniana: hæc quoque Atropos eſt, & Rhodanus, &c. Sed totum illud in hac reperitur: Eſt igitur iſta quoque Atropos, Rhodanus, &c. probatur minor. Nam illud totum non eſt aliud quàm talis agendi modus ſub neceſſitate Caluiniana, vt voluntas agens non poſſit non agere, & non agens, non poſſit agere. Dicat autem Vincentius, reperiatur-ne hoc in voluntate, quæ ſubeſt alteri neceſſitati, nec-ne: ſi reperitur, eſt igitur Atropos, &c. ſicut Caluiniana, ſi non reperitur; manet igitur indifferentia, & illa necesſitas non eſt Ianſeniana, quia hæc indifferentiam excludit. Denique ſi relegantur ſuperiora Sancti Auguſtini teſtimonia, ſtatim intelligetur quid rei neceſſarium ſit, vt ſtatuatur diſtinctio inter eam neceſſitatem, quæ tollit libertatem, & eam, quæ non tollit. Cùm enim toties, & tam conſtanter, & tam clarè libertatem exprimat Auguſtinus illo agendi modo, quo voluntas agens poteſt non agere, quæ eſt indifferentia; ſatis ſignificat nullum hîc eſſe locum fabulis, & Atropon eſſe necesſitatem omnem, quæ cum indifferentia non ſtat.

Non deſinam autem monere Lectorem vt aduertat, Vincentium, qui *ex diuina illuſtratione, & aſſidua Sancti Auguſtini, & diſcipulorum ejus lectione,* adeò clarè hujus difficultatis ſolutionem viderat, nihil vt clarius in tota philoſophia cernere poſſet, duxiſſe tamen Lectorem ſuum in domum Erebi, ad conſulendas Noctis filias, vt intelligi poſſet: & ne in ea quoque Parcarum diſtinctione fuiſſe conſtantem, dum modò Lacheſim repræſentat libertatis conſeruatricem cap. 11. modò deſtructricem cap. 16.

CAPVT III.

Examinatur alia diſtinctio duplicis libertatis, eſſentialis, & accidentalis.

§. I. *Explicatur Vincentii diſtinctio.*

EX dictis intelligi poteſt, quid ſit ſentiendum de alia diſtinctione, quam tradit Vincentius Lenis, duplicis libertatis, *eſſentialis* nimirum, & *accidentalis*. Eſſentialem vocat illam, quam voluntas *omni ſuo actui, quem elicit ex ſeipſa, & ex directione rationis infundit; mouere enim ſeipſam modo agendi igemonico & actum ſuum ſibi imperare: Item ex poteſtate illa ſublimi & imperioſa, qua ſupra modos agendi agentium naturalium eminet, efficere ſuum actum, eique dominari, & à ſe exire quodammodo imperare;* Hunc agendi modum ſignificaſſe Damaſcenum, eúmque accepiſſe ab Ariſtotele: Intelligi etiam ex illa virtuali reflexione, qua voluntas aliquid volendo vult ſe velle, item *ex incogibilitate, &c.* Illi enim repugnare ſolam coactionem, ſeu coactiuam neceſſitatem: Præter illam libertatem ab omni actu voluntario, cum ſufficienti rationis aduertentia elicito inſeparabilem, eſſe aliam accidentalem quæ vocatur contradictionis, aut contrarietatis: accidentalem autem ideo eſſe, quia ſiue accedat, ſiue recedat, ſemper remanet idem modus agendi, & ſeipſam mouendi voluntatis, in quo conſiſtit libertas eſſentialis: Libertatem hanc accidentalem eſſe *expanſionem* libertatis eſſentialis, ſeu *libertatem expanſam*; Et Diuum Thomam, & veteres, quando negant amorem beatificum eſſe liberum, negare tantùm *expanſam* libertatem, non autem eſſentialem. Nam ſi de eſſentiali ſit quæſtio, liberum eſſe, & amorem beatificum, & amorem, quo ſe Deus amat, atque adeò ipſam quoque ſpirationem actiuam, hoc eſt productionem Spiritus Sancti: Sufficere ad meritum libertatem illam eſſentialem, & ob eam tantùm cauſam Deum per amorem ſui ipſius, vel productionem Spiritus Sancti nihil mereri, quia

l. 1. Ther. cap. 2. 8 9. 10. 22. 26. Ep. prod. pag. 11. 12. 13. 19.

ipſe non eſt capax meriti, cùm non ſit creatura, beatos autem ideo non meteri per amorem beatificum, quia ſunt extra viam, &c.

§. 2. *Refutantur quæ dicit de libertate Eſſentiali.*

INTELLIGITVR, inquam, ex dictis, his phraſibus, vel nihil ſignificari, vel ſignificari quid peruerſum, & damnabile. Et primò conſtat ex ſuperioribus omnibus Sancti Auguſtini teſtimoniis, libertatem illam, cujus præſentia meritum fundat, cujus abſentia impedit, eſſe libertatem, quâ voluntas ſic agit, vt poſſit non agere. Ergo ſi hoc conuenit *expanſæ* tantùm; expanſa tantùm ex Auguſtino eſt fundamentum moralitatis, & *contracta*, quæ dicitur eſſentialis, non eſt. Deinde quid ſonant voces illæ *imperii, dominii, authoritatis*, quo libertatem eſſentialem explicat? propriè loquitur an impropriè? Si loquitur impropriè atque abuſiuè: ſaluus ſit, neſcimus enim quid velit. Si propriè loquitur, quando libertatem eſſentialem reperit in amore, quo ſe Deus amat; eſt igitur ibi dominium, & imperium, & authoritas; & conſequenter eſt aliquid quod eis ſubjiciatur. Quid autem eſſe poteſt? Imperioſæ, inquam, & dominanti libertati qua Deus ſe amat, quid ſubjicitur? Debet enim hoc dominium referri ad id, in quo libertas exercetur: Ergo ſubjicitur amor, quo ſe Deus amat, vel ejus objectum, quod eſt Deus ipſe? An hoc concedit Vincentius? An vult Deum ſibi ipſi ac ſuæ authoritati eſſe propriè ſubjectum? Et cùm extendat *imperioſam* hanc, & *dominantem* libertatem ad productionem Spiritus Sancti, audebit nominare *imperium*, *& dominium*, & *authoritatem* Patris & Filii in Spiritum Sanctum, & ſuſcitare ſepultas hæreſes, atque ab inferis Macedonium euocare?

Putat autem ſe rem magnam dicere, cùm dicit eſſe in exercitio illo libertatis eſſentialis virtualem quandam reflexionem, qua velit ſe velle, quaſi verò hoc non etiam reperiatur in volitione, quæ ſubeſt neceſſitati Caluinianæ. Iuuaret, ſi volitio quatenus eſt reflexa, eſſet magis in poteſtate, quàm ſit, prout eſt directa; ſed cùm eadem neceſſitate feratur voluntas ad volitionem volitionis reflexam illam & virtualem,

tualem, atque ad ipſam volitionem, quæ volita eſt; ecquod inde trahi poteſt argumentum dominii & libertatis? Si quod eſt virtuale explicaretur, & fierent duo actus diſtincti, quorum vnus alium vellet; an cenſeretur actus volitus, mutuare libertatem à volente, ſi volens nihilominus eſſet neceſſarius, & magis in poteſtate, quàm volitus? Ergo cùm duæ illæ rationes, dum in vno actu identificantur, non aliter ſe habeant quoad hoc, quàm ſi eſſent diſtinctæ, ac ſeparatæ; altera alterius libertatem nihil juuat. Nec niſi aliquid aliud addatur, intelligi vnquam poterit, quare potiùs ille actus, quo quis vult ſe velle, ob reflexionem virtualem dominium indicet, quàm ille, quo vel Deus ipſe intelligit ſe intelligere: vel creatura, Deo juuante, id ipſum intelligere poteſt. Itaque tota illa explicatio libertatis eſſentialis, fumus eſt.

Sed dum, quod citat ex Damaſceno pro illa eſſentiali libertate, ſumptum dicit ex Ariſtotele, an ſibi ſatis conſtat? Non ſentit ipſe cum Ianſenio Ariſtotelicam eſſe philoſophiam, quæ perſuaſit Pelagianis, eorúmque ſequacibus, nullam eſſe veram libertatem, niſi quæ includeret indifferentiam? Non dicit Diuum Thomam, propterea quòd in vltimis præſertim operibus non videtur agnoſcere libertatem aliam, quàm libertatem indifferentiæ, & ob eam cauſam negat amorem beatificum vel liberum eſſe, vel merendo idoneum, *loquutum eſſe vt philoſophum Peripateticum?* Loquitur Damaſcenus, vt philoſophus Peripateticus, dum exprimit libertatem eſſentialem: Loquitur Diuus Thomas vt philoſophus Peripateticus, dum eam ſupprimit? Tuam ô Vincenti memoriam.

§. 3. *Refutantur quæ addit de libertate accidentali, & oſtenditur cauſæ liberæ neceſſariam eſſe proximam agendi, & non agendi potentiam, conſentientibus Thomiſtis, quibus Vincentius imponit.*

NIHILO felicior eſt in exponenda, quam vocat, libertate accidentali, hoc eſt indifferenti ad contraria vel contradictoria. Vide enim definitionem illam vſitatam, quâ hu-

l. 2. Ther. cap. 16. juſmodi libertas exprimitur, quomodo accipiat. *Eſt potentia, inquit, quæ poſitis omnibus ad agendum prærequiſitis, ita poteſt actum ſuum ſibi imperando agere, vt etiam in ejus ſimul poteſtate ſit, ex ſimili imperio non agere, ſeu actum ſuum ſuſpendere .... Non tamen iterum, quaſi ſemper voluntas* ILLO INSTANTI, TAM PROXIME *ad ſuſpenſionem actus, quàm ad eliciendum actum, vt Petauius & Ricardus falsò imaginantur, accincta ſit. Fieri enim poteſt, vt tunc nulla de ſuſpendendo directè, vel indirectè actu voluntatis in intellectu cogitatio adſit: ſed quia rationes aliquæ ſubſunt, quas voluntas ſibi applicare poteſt, propter quas actum ſuum ſuſpendere poſſit. Quia enim ſuper actus ſuos, & actus potentiarum ſibi obedientium ſe reflectere valet; poteſt auertere intellectum, aut ei imperare, vt rationes ſuſpendendi actum, vel contrarium volendi exquirat, & ſibi renuntiet. Vnde per iſtam poteſtatem, qua intellectui hoc imperat, poteſt ſibi vt ſic dicam* FABRICARE PONTEM, *per quem ab vno latere indifferentiæ, ad oppoſitum tranſeat.* Hujus difficultatis rationem deinde petit ex neceſſitate judicii practici, ſine quo *actus poſitiuus, inquit, rationali, & humano more ſuſpendi nequit... Vnde licet actui poſitiuo libero, qui eo inſtanti elicitur in eadem voluntate conjungatur poteſtas, ad ſuſpendendum actum,* NON TAMEN PROXIMA *& accinctiſſima eſt. etiam ſi ſit talis quæ per imperium ſuum & applicationem intellectus ad conquirendas rationes poſſit ſe ad poteſtatem proximam promouere.*

Ep. prodr. pag. 21.

Addit exceptionem quorumdam caſuum, in quibus ob aliquam in intellectu incertitudinem de bonitate objecti, aut dubitationem de eliciendo circa illud amore, quod contingit ſcrupuloſis hominibus, voluntas poteſt eſſe æquilibris, & proximè accincta, vt vel non obſtante ſcrupulo ſe determinet, vel certè ibi ſubſiſtat, & ſuſpendat actum. *Et hinc,* inquit; *in philoſophia Petauii & Ricardi, manifeſtum eſt quomodo voluntas in eo inſtanti quo agit, poſſit etiam non agere.* Hinc eſt quod deinde ſcribit in epiſtola prodroma: *Dicit Sanctus Thomas liberum arbitrium verſari poſſe inter oppoſita, non quomodo vos imaginamini, quaſi prædeterminatione ad vnius medii electionem voluntati impreſſa, voluntas ad alterius medii electionem proximè expedita, & inter vtrumque indifferens, quòd nemo magis quàm montem ſine valle imaginari poteſt, adhuc permaneat,* SED QVIA ILLA FACVLTAS QVA AB HAC PRÆDETERMINATIONE IN VNAM

PARTEM FLECTITVR, IN ALIAM PARTEM AB ALIA PRÆDETERMINATIONE SE REFLECTERE POTEST. *atque ita quia, & ſub hac, & ſub illa prædeterminatione ſe ipſam mouere ſinitur, libertatem ſuam eſſentialem ambifariam exercet. Hoc eſt opinor, quod dicere volunt Thomiſtæ doctiores, quando aiunt voluntatem prædeterminatam poſſe vertere ſe in oppoſitum in ſenſu diuiſo, non in ſenſu compoſito*, EXCVSSA PRÆSENTI DETERMINATIONE, NON EA RETENTA.

Ex quibus patet hunc Auctorem non admittere immediatam indifferentiam ad agendum, vel non agendum, hoc eſt immediatam agendi, & non agendi potentiam: ſed immediatam ad vnum tantùm, & mediatam ad alterum. Excipit ſolùm ſcrupuloſos illos qui perplexi ſunt an debeant, vel non debeant agere. Et neſcio quare illos excipiat. Nam ſi, vt vult, neceſſarium eſt ad eliciendum humano modo actum, vt de eo eliciendo ſit judicium practicum, & ad ſuſpendendum etiam humano modo, vt de ſuſpendendo ſit aliud judicium: & illa duo judicia ſimul eſſe non poſſint, in quo deceptos putat Petauium, & Ricardum; cùm ſcrupuloſus ſupponatur liberè agere, atque adeò humano modo, quomodo non erunt etiam tunc judicia contraria, ſi proximè ad vtrumlibet liber eſt: & ſi non ſunt, cùm ſint tamen vt putat ad libertatem neceſſaria, quomodo poteſt dici liber ad vtrumlibet? Sed longum eſſet, & has & id genus alias omnes hallucinationes hujus Auctoris conuincere: hoc ſolum miror, cur Ricardo, & Petauio tantùm contrariam attribuat ſententiam, cùm ſit Catholicorum omnium, qui ſe dicere aliquid putauerunt in hac quæſtione ſupra Caluinum. Vbi enim, & quando negauit Caluinus proximam in voluntate ad vnum oppoſitorum potentiam, ſimul & remotam ad aliud? Negátne Caluinus illum, qui dominante concupiſcentia poteſt proximè peccare, ſuſceptiuum eſſe gratiæ, quæ ſi adueniat & concupiſcentia reprimatur, non peccabit: atque ita remotè poſſe non peccare? negátne in hoc infelici ſtatu ſuccedere poſſe viciſſim abeunti gratiæ concupiſcentiam, ac proinde eum, qui præſente gratia immediatè poteſt bene agere, ſimul poſſe, ſed remotè, malè agere? Et tamen, inquit Ianſenius, admittenda eſt in hoc ſtatu quædam indifferentia: *contra ha-* Tom. 3. lib. 6. cap. 20.

reticos noſtri temporis : Ergo admittenda eſt major, quàm quæ dicit proximam potentiam ad vnum oppoſitorum, & remotam ad aliud. Nempe hic fuit hactenus communis omnium ſenſus, hunc agendi modum eſſe proprium cauſæ liberæ; & qui eum illi concedunt, putant ſe concedere aliquid, quod non conueniat cauſæ neceſſariæ. Nulla eſt autem cauſa neceſſaria, quæ non habeat proximam potentiam ad vnum ſaltem contradictoriè oppoſitorum, & remotam ad aliud. Quòd ſi hoc ſufficeret ad indifferentiam, nulla eſſet quæ non poſſet dici indifferenter actiua; quod tamen de nulla dicitur. Non ſolùm, inquam, negatur intellectus noſter, verbi gratiâ, eſſe liber; ſed negatur etiam eſſe cauſa indifferenter actiua: eadémque ratio eſt de appetitu brutorum, in quo, ſi quando dicitur eſſe ſpecies quædam indifferentiæ, vt in cane Chryſippi in triuio deliberante quâ herum ſequeretur, & in cane quoque Vincentii, cujus memoriam putauit poſteritati commendandam, propterea quòd cùm ei è menſa os objeciſſet, & ille cœpiſſet rodere, altero deinde objecto, ſubſtiterit paulisper canis, & quaſi dubitans tandem relicto priori, ad poſterius acceſſerit, ſed eo olfacto mox ad priùs redierit; hæc, inquam, ſi quam habent vmbram indifferentiæ, ideo habent, quia videtur inibi eſſe proxima, & expedita ad vtrumlibet potentia: videri dico, non autem eſſe. Vbi autem hæc non apparet; nec apparet vlla indifferentiæ vel libertatis vmbra.

l. 1. Ther. cap. 21.

Et confirmatur; Quare enim putat Vincentius in amore beatifico, reperiri tantùm libertatem eſſentialem? An non ibi etiam reperietur accidentalis, ſi conſiſtit in ea indifferentia, quæ includat ſolùm potentiam ad vnum proximam, & remotam ad aliud? Si ſubtrahatur illa cauſa ex qua oritur amandi neceſſitas, vel ſi eſſet præceptum ceſſandi ab amore, ex ſuppoſitione, quam Vincentius videtur admittere; numquid ceſſaret amor? Et quidquid ſit de beatifico amore, ſupponit Vincentius eſſe poſſe in via, *raptum* quendam amoris *tranſeuntem*, ſimilem illi, qui perpetuus in cœlo eſt: neque tamen liberum fore putat, niſi libertate eſſentiali: at numquid in tali raptu, cùm proxima ad amandum potentia, eſſet etiam remota ad non amandum? Et tamen abeſſet indifferentia, ſeu libertas, vt vocat, accidentalis. Ergo ad illam non ſufficit

proxima ad vnum potentia, cum potentia remota ad alterum. Perſuaſum videlicet omnibus eſt, propriè loquendo, & ad communem ſenſum, eo momento quo eſt potentia ad vnum, & impotentia ad alterum, non poſſe dici eſſe indifferentiam ad alterutrum.

Thomiſtis autem debet pœnas date Vincentius, quòd eam illis ſententiam imponat, quam nunquam profeſſi ſunt; potentiam, inquam, conſentiendi, & potentiam diſſentiendi ſucceſſiuè dici de voluntate prædeterminata: & dum poteſt conſentire, ideo tantùm poſſe diſſentire, quia excuſſa priore prædeterminatione poteſt contraria ſuccedere; quo tempore poterit proximè diſſentire: atque hanc eſſe interpretationem diſtinctionis ſenſus diuiſi, & ſenſus compoſiti, qua vtuntur. Nego id vnquam dixiſſe Thomiſtas: aio ſemper id negauiſſe. Sed eſt, inquit Vincentius, tam neceſſaria ſequela, quàm neceſſarium eſt eſſe vallem, vbi ſupponitur eſſe mons. Ego verò non diſputo modò, an ſit hæc neceſſaria ſequela ex eorum principiis. Eſt enim illa propria controuerſia noſtra, quam ego non tango. Tantùm dico, non debere tribui ſententiæ Thomiſtarum, niſi ſequelam quam illi vident, & approbant; hæc autem non eſt hujuſmodi, illam enim negant, nec putant eſſe connexam cum eorum principiis. Ad quod probandum vnus ſit inſtar omnium Didacus, qui quæſt. Num. 10.
112. de auxiliis, *Eos qui non recipiunt in ſe ipſis, nec habent auxilium* IMMEDIATE SVFFICIENS *ad credendum*. negat pecare contra fidem ſi non credant; quia ſcilicet non eſt omiſſio fidei libera, ſi non eſt immediata ad credendum potentia, & diſp. 23. num. 29. *Motio prædeterminans non aufert à voluntate* PROXIMAM POTENTIAM *ad actum oppoſitum*. Idem diſput. 70. vult hoc auxilium *ita eſſe ſufficiens, vt nullum aliud requiratur ad hoc, vt homo dicatur poſſe bene agere, & ſaluari*. Et diſp. 94. ex profeſſo rejicit ſenſum illum, quòd voluntas non poſſit diſſentire toto tempore, quo eſt motio: ſed ſequenti tempore, & quando illa abierit. Et diſp. 115. *ſenſum eſſe* Num. 5.
veriſſimum, quòd in cauſa libera, ſimul cum omnibus prærequiſitis ad operandum, ſtat ſimul potentia ad operandum & non operandum. Et diſp. 122. *potentiam diſſentiendi ſimul compati, & componi in eodem arbitrio cum gratia efficaci, ac proinde cum potentia conſentiendi*. Et hoc probat ex ſancto Thoma; ac proinde minimè cenſet excutiendam eſſe gratiam efficacem, & expectandam contrariam prædeterminationem vt ſit potentia diſſentiendi.

§. 5. *Deſtruitur pons à Vincentio fabricatus, & lucerna Fulgentii extinguitur.*

QVOD addit Vincentius, voluntatem proximè potentem ad vnum oppoſitorum, poſſe imperare intellectui vt quærat rationes, quibus adducatur ad proximam etiam in oppoſitum potentiam, itàque *pontem ſibi fabricare*, quo tranſeat ab eo quod eſt poſſe hoc, ad poſſe illud; hoc eſt quod jam refutauimus, ſufficere nimirum ad indifferentiam, quòd iſtæ potentiæ ſibi ſuccedant. Sed prætereа, plebeia eſt hæc cogitatio, nec ſolidi quicquam continet; aut quod explicari facilè poſſit ac defendi. Statuamus enim quando ita vult Vincentius duo iſta littora, poſſe amare, & poſſe ſuſpendere amorem. Quando voluntas in eo eſt vt poſſit proximè amare, diſtátque toto fluminis alueo ab vlteriore ripa, in qua poſſit amorem ſuſpendere, poteſt, inquit, fabricare pontem. At, inquam, interea dum fabricat, quid facit? Amat nec ne? Si non amat; ergo proximè ac ſine ponte potens eſt ad ſuſpendendum amorem. ſi amat; eò igitur tota reducitur indifferentia amandi, vel non amandi, quòd poſtquam amauerit poteſt non amare. Egregia ſcilicet indifferentia, & agentis voluntarii admodum propria. Atqui, vt hoc poſſet, nullo indigebat ponte: quia nullus eſt canis, nullus equus, nulla beſtia, quæ ſine ponte non poſſit, poſtquam appetiuerit aliquid, illud non appetere; itaque tranſire ab eo quod eſt poſſe appetere, ad poſſe non appetere. Prætereа, quando voluntas imperat inquiſitionem hanc rationum, vel ita imperat, vt poſſit proximè non imperare, vel non: ſi primum; habemus in hoc imperio proximam ad vtrumque potentiam: & quare non poſſit ſimiliter eſſe in aliis actibus? ſi non poteſt; explicanda igitur erit hujus imperii indifferentia, per alium pontem, de quo fiet ſimilis interrogatio: & ita nullus erit finis pontium ſibi ſuperpoſitorum in philoſophia Vincentii.

Sed nihil magis miror quàm concluſionem diſſertationis, quam inſtituit Vincentius de judiciis practicis. Quæſtionem enim Theologicam, & ſancti Auguſtini doctrinam vt expo-

neret, ad philoſophorum tricas putauit deducendam. Ergo poſtquam diu egit de neceſſitate judicii practici ad actum liberum, an debeat eſſe vnum, an duplex: an ſic liberum, & quomodo pendeat, aut non pendeat à voluntate: de conſultatione, quæ debet illud præcedere &c. quærendo, ſcrutando, fodiendo, & in omnes partes verſando quæſtionem longis tandem laboribus ad hanc difficultatis hujus deciſionem peruenit. *Altæ hic tenebræ ſunt, qui poteſt videre videat, & capere capiat; ſi non capis; intellectum in tali judicio practico eliciendo eſſe formaliter liberum cum Durando dicere poteris. Igitur vt finiamus* &c. ô Vincenti, ô Fulgenti, quid factum eſt *lucerna tua?* Quid illa *face diſtinctionum*, quam ad ſolem Auguſtini, & diſcipulorum ejus te accenſurum eſſe promiſeras? Quòd ſi ea in quæſtione, qua nullam à te in tota Philoſophia clariùs comprehenſam eſſe dixiſti, clamare cogeris, *altæ hic tenebræ ſunt*; rebus in obſcuris quid facies?

CAPVT IV.

Expenditur Vincentiana interpretatio Concilii Tridentini, & ipſa explicatione oſtenditur quàm ſit inanis.

INDIFFERENTIA liberi arbitrii nuſquam diſtinctiùs exprimitur quàm in Concilio Tridentino, dum definit accipientem diuinam motionem poſſe abjicere, & conſentientem poſſe diſſentire. Vnde etiam inferri poteſt dari poſſe gratiam merè ſufficientem, quia quàm verum eſt conſentientem diuinæ gratiæ poſſe non conſentire; tam verum eſt gratiam quæ eſt efficax eſſe poſſe merè ſufficientem. Et quia minimè dubium eſt, quin Concilium hæc definierit ad tuendam veram & propriam libertatem contra hæreticos noſtri temporis; conſequenter dicendum eſt, & eſſe indifferentiam illam, & eſſe ad veram, & propriè dictam libertatem, quæ ad meritum præmii, vel pœnæ requiritur, neceſſariam: & talem eſſe qualem hæretici reſpuere ſoleant. Cap. 7. ſect.

Igitur Vincentius lib. 2. Theriacæ, vt Tridentino ſatiſ- 1. & . 2.

faciat, difficultatem inprimis eleuat; & ſaccharum addit ad condiendam ſolutionem, *Vnde*, inquit, *Petauii*, *Ricardi*, *Suarus*, *Molinæ*, *Leßii*, *Raynaudi*, *diſputatio videtur mihi ferme de lana caprina, & quærere nodum in ſcirpo, quandoquidem homo non aliter ſuauitati gratiæ Chriſti, quàm ſuauitati mellis aut ſacchari in ciborum condimentis, voluntatem ſuam liberè inclinet.* Atqui, ô Vincenti, æqui bonique conſulas oportet, vt de iſta lana diſputemus: quod ſi tibi amarum eſt, amabo te, tuo tibi ſaccharo ac melle conſule. Non contendimus nullum eſſe diſcrimen inter gratiam hominis ſtantis, & lapſi. Non negamus ita à ſuauitate diuinæ gratiæ inclinari voluntatem ad bonum, quemadmodum ſuauitate ſenſibilium delectationum inclinatur ad malum. Quodcumque volueris ea in parte tibi concedimus, hoc tantùm doce, Quomodo in tua ſententia verum ſit quod docet Tridentinum; hæc tibi lana pectenda eſt.

Poſtquam ſuppoſuit diuinum illud gratiæ auxilium eſſe ſuauitatem quandam, ac proinde actum vitalem, ſed indeliberatum, *Igitur*, inquit, *veriſsimum eſt quod affirmant Tridentini Patres, liberum hominis arbitrium, à Deo motum, & excitatum poſſe diſſentire ſi velit. Ratio eſt, quia ſi primo inſtanti, quo gratiæ prima ſuauitas per actum vitalem indeliberatum infunditur, non illico addatur conſenſus voluntatis (poteſt enim tam velox eſſe, vt ſine mora adjiciatur, poteſt etiam differri) nihil vetat quin liberum arbitrium non tantùm poſſit diſſentire, ſed etiam ipſo facto diſſentiat.* Quibus verbis, duo dicit; Primum, Ideo liberum arbitrium poſſe diſſentire, juxta mentem Tridentinorum Patrum, quia ſi non addat conſenſum, quando gratia primùm infunditur, poteſt diſſentire, imò ipſo facto diſſentit. Et quia addere conſenſum, vt patet, conſentire eſt; ſenſus erit, ideo liberum arbitrium poſſe diſſentire, quia ſi non conſentiat, poteſt diſſentire. Quæ interpretatio, quia puerilis eſt, & perabſurda, addit conditionem illam, *ſi non addatur conſenſus*, interdum purificari, itáque tranſire quod dicit, in propoſitionem abſolutam, & liberum arbitrium interdum non tantùm poſſe diſſentire; ſed diſſentire de facto. Et quia *interdum* tantùm res ita habet, *interdum* verò aliter; ſequitur id quod dicit Concilium Tridentinum, interdum

eſſe

eſſe verum, interdum eſſe falſum. Accipiamus tamen quod dat tanquam à malo debitore: & videamus quid intelligat cùm dicit, poſſe interdum differri, ſeu non adjici conſenſum gratiæ. *Fieri enim poteſt*, inquit, *vt in pugna ſpiritus, & carnis, dum aliqua fortè tantùm leuis gutta mellis ſpiritualis in voluntatem pluit; eodem momento major torrens carnalis voluptatis irruat, ad quam voluntas ſe per conſenſum conuertat, & à minore dulcedine ſpirituali ſe per diſſenſum auertat.*

Itaque poteſt voluntas reſiſtere, vel non conſentire diuinæ gratiæ, quando illa eſt tantùm *gutta mellis*, occurrens *torrenti* in contrarium impellenti, quod eſt voluntatem à torrente raptam; poſſe reſiſtere guttæ in contrarium occurrenti. Et non videtur hæc eſſe magna quædam vis voluntatis, magnáque libertas, quòd cùm impellitur à torrente potentior ſit quàm cùm repellitur à gutta? Et non erat admodum neceſſarium, vt tam abſconditam veritatem Concilium definiret? Quippe aliqui erant hæretici, qui negabant torrentem eſſe guttâ fortiorem? Sed videamus adhuc quâ ratione id tandem fiat.

Poſtquam dixit, ſi ſit major dulcedinis cœleſtis affluentia ex propoſito & intentione perducendi voluntatem ad conſenſum, eſſe impoſſibile vt voluntas gratiæ diſſentiat, addit. *Quia tamen conſenſum illum modo voluntati liberæ accommodato operatur, ſinendo illam ſuo imperio, vt ſphæram minorem ſub majore, & vt rotam in rota ſe ipſam mouere, idcirco non violat eſſentialem ejus libertatem: nec eam naturali impetu ad vnam partem coactiua neceſſitate alligat: ſed vtrumque contradictionis cornu (quantum ex modo actionis) expanſum, & bipatens relinquit.* Vides vt abundat ſimilitudinibus vndequaque petitis, modò ex cœlo, modò ex inferno: nec deſunt phraſes, & expanſa bipatenſque ad idem negandum, & affirmandum eloquentia, atque aſylus ambiguæ locutionis quò ſe recipiat, ſi vrgeatur. Sed quid hoc tandem rei eſt? *Adeò*, inquit, *vt ſi voluptas carnalis major ſuperueniret, aut rationes ſuſpendendi conſenſus, vel agendi contrarium haberet ſuſpendere eum aut ſe vertere in oppoſitum poſſet. Quod quia Caluinus negabat, qui voluntatem humanam actione quidem ſua gratiæ cooperari, ſed naturali quodam irreſiſtibili impetu ad vnam partem alligari dicebat; ideo Concilium definit poſſe diſſentire, ſi velit.*

En tibi propalatum hujus Theologiæ totum myſterium. Quid eſt voluntatem conſentientem diuinæ gratiæ poſſe diſſentire ſi velit? Quid eſt habere expanſum, & patens alterum cornu? Non eſt aliud, inquit, quàm poſſe ſuperuenire voluptatem carnalem majorem, & occurrere rationes ſuſpendendi conſenſum, vel agendi contrarium: quo poſito ſuſpendet, aut vertet ſe in oppoſitum. Et Caluinus hoc negabat? Negabat Caluinus ſucceſſiuè fieri poſſe vt minuatur impetus ad bonum creſcente impetu ad malum? Negabat poſſe occurrere apparentes aliquas rationes, quibus adducamur ad mutandum bonum propoſitum? Quando, & vbi hoc negauit Caluinus? Et quid poſſunt Baiani glorioſiùs prædicare de hoc Hæreſiarcha, quàm dum indicant eſſe damnatum propter crimina, quæ nec probata ſunt, neque probari poſſunt? Quòd ſi certum eſt, & meritò damnatam eſſe Caluini doctrinam, & non ob eam cauſam eſſe damnatam: quippe cùm ille non eſſet adeò bardus, vt negaret rem vniuerſaliſſimâ hominum experientiâ comprobatam; quid ſupereſt, niſi vt dicamus ideo eſſe damnatam, quòd libertatem negaret, vt loquitur ipſe, *in vtramque partem ſolutam*: hoc eſt, in qua cum potentia conſentiendi, non ſucceſſiuè, ſed ſimul coniuncta eſſet potentia diſſentiendi? Et ea de re adeò inter Catholicos omnes conuenit, vt ipſimet Thomiſtæ, quorum maximè intererat negari poſſe, id tamen ſemper conciliare conati ſint cum phyſica prædeterminatione. Concedendum ſcilicet eſt, id definiuiſſe Concilium quod aliquis mortalium negaret, aut negare poſſet ſine amentia; ſed nemo eſt qui negare poſſit ſine amentia, voluntatem quando non poteſt conſentire, poſſe non conſentire: nec ſimiliter in hoc ſtatu mutabili, & viciſſitudinibus expoſito, voluntatem quæ non poteſt conſentire vno tempore, alio tempore, mutatis circunſtantiis, poſſe conſentire: & quæ poteſt conſentire, alio iterum tempore atque aliis in circunſtantiis poſſe non conſentire, vel poſſe diſſentire. Ergo non hoc tantùm definiuit Concilium; ſed verò definiuit illud quod & negarunt plerique, & cujus negandi apparentes habuerunt rationes, poſſe voluntatem eodem tempore accinctam eſſe ad conſentiendum & diſſentiendum, eſto ſucceſſiuè id poſſit, ſucce-

1. Inſt. c. 2. ſect. 7.

dentibus ſibi inuicem neceſſitatibus, quarum vna compelleret ad conſenſum, altera ad diſſenſum.

Huc refer quod dicit Vincentius in epiſt. prodr. vbi abſurdam hanc interpretationem Tridentinorum verborum. *Quippe qui illam abjicere poteſt* Auguſtino affingit, *vnumquodque auxilium à nobis rejici poſſe, poſtquam proximum velle ad quod à Deo deſtinabatur operatum fuerit.* Et antea. *Quandoquidem gratia medicinalis Chriſti ſit adjutorium qua datur ipſum velle*, SEMPER SINE DVBIO EFFICAX EST, *vſque ad illud velle propter quod proximè datur.* Itaque nunquam eſt ſufficiens ad id, ad quod non eſt efficax. Pergit: *Verùm vbi iſtud adjutorium primam hanc impreſſionem in voluntate fecit, rejici & excuti à libero arbitrio, ne progrediatur vlterius, poteſt.* Quod quis non videt quàm ſit abſurdum? Quid enim mirum eſt, quòd poſſit impediri ne progrediatur vlteriùs id quod nullam habet vim progrediendi vlteriùs, poſtquam ſupponitur feciſſe totum id, ad quod deſtinabatur, & ad nihil aliud ſufficit? Et quid ſibi vult quod addit, *pulſat ſæpe ſemiſurdis iſtis, & tamen reſpuitur?* Reſpuitúrne ita vt non aſſequatur id ad quod datur, & ad quod ſufficiens eſt, vt paulo antè docuit? Et audet contrariæ ſententiæ fœdiſſimam, & indelebilem maculam inurere Semipelagianiſmi? Et vult Semipelagianos fieri Tridentinos Patres, ab iis qui non attribuunt illis tam abſurdos ſenſus? Quaſi verò nullum ſit medium inter Semipelagianos, & Caluinum. Pag. 73. Pag. 17.

Hinc patet quid ſibi velit quod priùs dixerat, *præter victricem delectationem & inſuperabilem, eſſe alteram inter quam & oppoſitam tam ſæpe voluntas etiam jam noſtra libratur, & fluctuat, & cardinem ſuum volendi huc & illuc torquet.* Neque enim putat ita fluctuare voluntatem, vt ſub eadem diſpoſitione huc & illuc torquere poſſit cardinem ſuum: ſed quia recurrentibus viciſſim bonæ malæque delectationis fluctibus, nunc vno impellitur ad bonum, & imperfecto aliquo niſu illud appetit; nunc alio viciſſim ab eo repellitur, & tunc etiam ab eo auertit ſeſe: ſemper autem ſupponit fluctus gratiæ extorquere à voluntate quidquid ab ea extorquere apti ſunt, vt antea oſtenſum eſt. Pag. 6.

Hujus diſputationis hæc ſumma eſto, Definitionem quâ dicitur, hominem quando vel non habet gratiam, vel non

habet ſufficientem ad eliciendum conſenſum , poſſe illi non conſentire ; eſſe definitionem, non falſam, ſed abſurdam, & ridiculam : & œcumenico Concilio indignam, & quam nullus vnquam hæreticorum negauit ; & tamen ſequitur ex Vincentio Tridentinum nihil aliud definiuiſſe, cùm dicit hominem poſſe diuinæ gratiæ diſſentire ſi velit, quàm poſſe non cònſentire cùm gratia abierit, quod eſt non conſentire, quando non eſt gratia : vel poſſe non conſentire, quando eadem gratia, ſuperante concupiſcentiâ, facta fuerit inſufficiens ad exprimendum conſenſum.

CAPVT V.

Quomodo ſoluat Vincentius locum D. Thomæ ex quæſtione ſexta de malo art. vnico.

§. I. Refertur doctrina D. Th. Rejicitur intempeſtiua, & parum decora Vincentii fabella, & ſolutio, quam affert ab inconuenienti : fruſtra conari Vincentium Thomiſtas implicare Janſenianis controuerſiis.

EST etiam illuſtris locus Diui Thomæ ad confirmandam libertatem indifferentiæ, quæſt. 6. de malo art. 1. cùm dicit : *Quidam poſuerunt quod voluntas hominis ex neceſſitate mouetur ad aliquid eligendum : nec tamen ponebant quòd voluntas cogeretur. Non enim omne neceſſarium eſt violentum : ſed ſolùm id cujus principium eſt extra. Vnde & motus naturales inueniuntur aliqui neceſſarii, non tamen violenti, violentum enim repugnat naturali, ſicut & voluntario ; Quia vtriuſque principium eſt intra : violenti autem principium eſt extra.* HÆC AVTEM OPINIO EST HÆRETICA. *Tollit enim rationem meriti, & demeriti in humanis actibus.* NON ENIM VIDETVR ESSE MERITORIVM, VEL DEMERITORIVM QVOD ALIQVIS SIC EX NECESSITATE AGIT, QVOD VITARE NON POSSIT.

Tractat hunc locum Vincentius lib. 2. cap. 8. ſed nauſea- Sect. 7.
bundus adeò, vt tam facilem nodum ſolutione ſua vix dignari videatur. Miratur enim inprimis cæcitatem noſtram, quòd non videamus, ſi eſſet is ſenſus quem dicimus Sancti Thomæ, fore ipſum phyſicæ prædeterminationi liberatum cauſarum contrarium. Deinde intelligendum dicit de neceſſitate ſimplici coactiua, non verò de alia illa ſua de qua ſuprà. Tertiò demum ad abducendam, vt opinor, Lectoris Sup. cap. 2.
cogitationem à difficultate, inducto de Manichæis ſermone; narrat hiſtoriam illam de Diuo Thoma, menſæ Regis Galliæ accumbente, & cùm eſſet abſtractus à conſideratione rerum præſentium, percutiente manu menſam ac dicente, *concluſum eſt contra Manichæos.* Quam ille narrationem ad objectam difficultatem aſſuit adeò intempeſtiuè, & extra locum, & filo tam craſſo, vt videri poſſit defectum aliquem paſſus ejus ſapientiæ, quæ decebat grauem ac maturum Theologum: ſed eò fortè ſpectabat ejus conſilium, vt locum inueniret huic additioni; *Fama publica etiam addit*, inquit, *manus in iſta ecſtaſi otioſas non fuiſſe: ſed caponem ante ſe poſitum, per incogitantiam diſcerpſiſſe.* Expectabam, vt adderet; *Et per hæc patet ſolutio ad propoſitam difficultatem.* Vincenti, & ita jocaris in re ſeria? Et audes tam inficetis ſalibus aſpergere mentionem virorum ſanctorum, & primorum ſcholaſticæ Theologiæ principum? *Fama publica*, inquit, *hæc addit.* Sed quarum gentium quorumve populorum? Ego enim tametſi non attigerim annos Priami, nec æquauerim peregrinationes Vlyſſis, videor mihi tamen, & ſat vixiſſe, & tot hominum mores, atque vrbes vidiſſe, vt poſſim non neſcire famam publicam: & teſtor tamen, idque bona fide, me hujuſce fabellæ primum odorem hauſiſſe ex tua Theriaca: quam tu Vincenti compoſuiſti ex hiſce *Ingredientibus*, pellendo ſcilicet Semipelagianiſmi veneno perquàm efficacibus.

Cæterum quod putat D. Thomæ ſententiam, vt à nobis proponitur, eſſe contrariam phyſicis prædeterminationibus, eò ſpectat, vt cauſam Ianſenianorum miſceat cum cauſa Thomiſtarum: ſed fruſtra. Conueniunt enim nobiſcum Thomiſtæ in aſſignanda verborum Diui Thomæ intelligentia Ianſenianæ ac Vincentianæ contraria. Iam quid inde ſequa-

tur, aut non ſequatur contra prædeterminationem phyſicam; inter nos deinde ſic diſputatur, vt illi potiùs negaturi ſint phyſicam prædeterminationem, quàm concesſuri falſam eſſe, vel eſſe Ianſenianam Diui Thomæ, tum hoc, tum ſimilibus locis, doctrinam.

§. 2. *Oſtenditur ex doctrina citatæ quæſtionis S. Thomam requirere ad libertatem, agendi & non agendi potentiam, & quidem immediatam.*

ERgo quomodo eſt intelligendus Diuus Thomas? Eſt ita intelligendus, inquit Vincentius, vt cenſeatur damnare opinionem eorum, qui dicebant voluntatem noſtram moueri neceſſitate ſimplici coactiua, hoc eſt illa *ferrea* & *ſtrangulante* de qua ſuprà: non autem alia molliore ac plumea. Ego verò præciſis hiſce omnibus diſtinctionibus, ad obducendas veritati tenebras adinuentis, dico D. Thomam damnare ſententiam, admittentem neceſſitatem omnem proximæ ad agendum & non agendum indifferentiæ contrariam. Quod probatur manifeſtè ex tota illius quæſtionis doctrina, & primò ex citatis verbis, cùm dicit, *Tollit enim rationem meriti, & demeriti in humanis act. bus: Non enim videtur eſſe meritorium vel demeritorium*, *quod aliquis* SIC EX NECESSITATE AGIT, QVOD VITARI NON POSSIT. Vnde ſic argumentari poſſumus. Vel neceſſitas, quam admittit Vincentius ex Ianſenio talis eſt, vt eâ inexiſtente, voluntas ſic agat, quòd non poſſit non agere, vel non: ſi eſt talis; ergo tollit rationem meriti, & demeriti, & eſt *hæretica* ex Diuo Thoma: ſi non eſt talis; ergo datur indifferentia in libera voluntate: & datur tanquam neceſſaria ad meritum, & demeritum.

Cap. 2.

Secundò. S. Thomas citato loco negat interuenire in *exercitio* liberorum actuum neceſſitatem, quam illi quos impugnat admittunt circa *ſpecificationem*, dum voluntas fertur in communem rationem boni: Sed hæc non eſt neceſſitas ſtrangulans, & ferrea; ſed eſt mollis, & blandiens; Ergo non ſolùm ferream, & ſtrangulantem arcet ab exercitio liberorum actuum, ſed etiam blandam, & mollem, hoc eſt Vincentianam, Ianſenianámque. Probatur minor ex aduerſariis ipſis,

qui minimè concedunt, nec concedendum putant in doctrina Auguſtini, Deum ferrea neceſſitate cogi vt non peccet, ſed neque beatos, neque nos ipſos, dum non poſſumus odiſſe ſummum bonum. Major eſt expreſſa in ſancto Thoma. Poſtquam enim dixit voluntatem ex neceſſitate moueri circa bonum quod eſt conueniens ſecundùm omnia particularia bona; *Dico autem*, inquit, *ex neceſſitate quantum ad determinationem actus, quia non poteſt velle oppoſitum*: NON AVTEM QVANTVM AD EXERCITIVM ACTVS. *quia poteſt aliquis tunc non velle conſiderare, nec cogitare de beatitudine, quia etiam ipſi actus intellectus, & voluntatis particulares ſunt.* Et iterum, *Sic ergo quantum ad aliqua, voluntas ex neceſſitate mouetur ex parte objecti, non autem quantum ad omnia.* SED EX PARTE EXERCITII ACTVS, NON EX NECESSITATE MOVETVR? Moueturne *quantum ad aliqua* illa quorum meminit S. Thomas, neceſſitate ſtrangulante, & non potiùs molli? Mollem ergo non patitur, quoad exercitium.

Tertiò. S. Thomas non vult majorem eſſe neceſſitatem volendi, in eo qui liberè vult, quàm ſit in eo qui liberè calefit, admouendi vel remouendi à ſe foculum, quo calefit: Sed eſt manifeſtum illum qui ita calefit, & indifferentiam, & proximam habere potentiam admouendi, vel remouendi foculum à ſe, vel ſeipſum à foculo: Ergo idipſum vult S. Thomas in eo reperiri, qui liberè vult. Ecce verba D. Th. Loquitur de libero amore beatitudinis, qualis eſt in hac vita, & eſt eadem ratio de quocumque alio libero actu. *Nullum bonum ſuperat virtutem voluntatis, quaſi ex neceſſitate ipſam mouens, niſi id quod eſt ſecundùm omnem conſiderationem bonum: & hoc ſolum eſt bonum perfectum, quod eſt beatitudo, quam voluntas non poteſt non velle; ita ſcilicet quòd velit eius oppoſitum.* POTEST TAMEN NON VELLE ACTV..... ET QVANTVM AD HOC NEC IPSAM BEATITVDINEM EX NECESSITATE VVLT. En tibi confirmationem ſuperioris argumenti, quo negat in exercitio amoris circa beatitudinem eſſe neceſſitatem illam, quæ in ſpecificatione reperitur. Pergit: *ſicut etiam aliquis non ex neceſſitate calefieret, ſi poſſet à ſe calidum repellere, cùm vellet.*

Quartò: Libertas qua voluntas facit, vt ſtante ſufficienti alicuius actus principio, impediatur tamen ille actus, eſt libertas

indifferentiæ proximæ ad vtrumlibet: Sed talis eſt libertas pro qua pugnat D. Thomas contra neceſſitatem: ergo pugnat contra neceſſitatem huic indifferentiæ oppoſitam, quæcumq; tandem illa ſit, ſiue ferrea, ſiue lanea. Maior patet ex penetratione terminorum: Minor apertè continetur in reſponſ. ad 15. Cùm enim obiiceretur, ſi voluntas aliquid determinatè vult, neceſſe eſſe vt ſit aliqua cauſa, quæ faciat illam velle: & ſi eſt talis cauſa, poſitâ causâ, effectum neceſſariò ſequi: vel ſi non ſequatur, neceſſarium ſignum eſſe quòd illa cauſa non fuerit ſufficiens; Reſpondet S. Thomas. *Ad decimumquintum. Dicendum quòd non omnis cauſa ex neceſſitate inducit effectum*, ETIAMSI SIT SVFFICIENS, *eo quòd cauſa poteſt impediri....... Sic ergo illa cauſa quæ facit voluntatem aliquid velle; non oportet quòd ex neceſſitate hoc faciat:* QVIA POTEST PER IPSAM VOLVNTATEM IMPEDIMENTVM PRÆSTARI, *vel remouendo talem conſiderationem, quæ inducit eam ad volendum: vel conſiderando oppoſitum, ſcilicet quòd hoc quod proponitur vt bonum, ſecundùm aliquid, non eſt bonum.* Vult ergo, & eſſe poſſe *ſufficientem* cauſam, quæ faciat voluntatem velle, *& voluntatem impedire ne hoc faciat.* Quo tempore voluntas tali cauſæ coniuncta, potens facere, non faciet: qui eſt ſtatus indifferentiæ immediatæ, pro quo ſanctus Thomas contra neceſsitatem ei contrariam diſputat.

Quintò: ſanctus Thomas hoc loco pugnat, vt obtineat cauſam liberam eſſe ſimul potentem ad oppoſita: Ergo neceſsitas, quam reiicit, eſt neceſſitas quæ hoc impedit: Sed omnis neceſsitas, quæ impedit ne voluntas poſsit vnum oppoſitorum, quando poteſt aliud, impedit ne ſit ſimul potens ad oppoſita: Ergo pugnat ſanctus Thomas contra neceſsitatem omnem, quæ impedit ne voluntas poſsit vnum oppoſitorum, quando poteſt aliud: hæc autem eſt neceſſitas omnis ad vnum determinans, & indifferentiam tollens ad vtrumlibet: Ergo contra talem omnem neceſsitatem, ſiue *mollem ſiue duram*, hoc eſt, ſiue rubram ſiue viridem pugnat: ſunt enim perinde impertinentes hæ diſtinctiones, ſi ſemper ſtat, neceſſitatem quocumque vocetur nomine, indifferentiæ aduerſari, & tollere ſimultaneam facultatem ad oppoſita.

Eſſe autem hanc mentem S. Thomæ patet ex reſponſione ad

ad 18. & ad 19. In priore loco ſic loquitur : *Potentia voluntatis ad oppoſita ſe habens, cognoſcitur à nobis, non quidem per hoc, quòd actus oppoſiti ſint ſimul; ſed quia ſucceſſiuè ſibi inuicem ſuccedunt,* AB EODEM PRINCIPIO. En vt diſtinguit inter actus oppoſitos, & inter potentiam ad illos. quòd ſcilicet actus ſimul eſſe non poſsint, quaſi diceret potentiam ſimul eſſe : quod etiam exprimit, cùm dicit actus illos oppoſitos ſibi ſuccedentes eſſe ab *eodem principio*, contrà quàm ſuperiùs dixerat Vincentius, qui vult potentiam ad vnum tantùm actum *proximè accinctam* eſſe, & deinde facta mutatione in principio, hoc eſt, excuſſa priori prædeterminatione, & adueniente alia, fieri potentiam ad aliud oppoſitum accinctam: quod vides quàm repugnet D. Th. qui vult *idem eſſe principium* oppoſitorum actuum, ſibi ſuccedentium. Et hoc adhuc magis exprimit poſteriore loco, ad decimum nonum, *Licèt ſimul inſit homini potentia voluntatis ad oppoſita ſe habens : tamen oppoſita illa ad quæ ſe habet voluntas, non ſunt ſimul.* Eò etiam pertinet ſolutio ad 16. Atque hæc manifeſtè conuincunt mentem Diui Thomæ contrariam eſſe in hac parte Theologiæ Vincentianæ; ac proinde etiam Ianſenianæ. Videant autem qui reſiſtunt, quid dicat Diuus Thomas. Nimirum opinionem, quam impugnat, *annumerandam eſſe inter extraneas philoſophiæ opiniones, vtpote quæ ſubuertat omnia principia philoſophiæ moralis. Induci autem homines ad huiuſmodi opiniones partim propter proteruiam, partim propter ſophiſticas rationes, quas ſoluere non poſſunt.* Si ſe pungi queruntur Ianſeniani, Diuum Thomam conueniant.

§. 3. *Quidquid faciant Ianſeniani, non poſſe diſſimulare quam animo conceperunt parum æquam de doctrina D. Th. opinionem.*

AD extremum, vt intelligatur quid ſentiat Vincentius de doctrina ſancti Thomæ, in quæſtione propoſita, referre iuuat quod dicit in epiſtola prodroma. Dum enim videt ſe non poſſe negare, quin neget ſanctus Thomas meritum eſſe vbi eſt neceſſitas, indifferentiæ contraria; ac proinde quin putet ob talem neceſſitatem, amorem beatificum non eſſe meren-

do idoneum; diſtinguit inter priora & poſteriora opera ſancti Thomæ : & fatetur illum ita loqui in poſterioribus operibus, ſed non in prioribus. Vide autem quid dicat pag. 24. *Sanctus Thomas in prioribus operibus ſuis magis ſimpliciter, & Theologicè in poſterioribus, vbi iam philoſophiâ peripateticâ expolitior & conſummatus eſſet, magis philoſophicè loqui ſolet.* Et pag. 25. dicit *componere Ethicam ſuam ad normam Ariſtotelicæ phraſis:* Addit, *Etiamſi modum loquendi Ariſtotelicum religioſius ſeruet, non deſerere tamen ſententiam antiquam.* Quod admodum abſurdum eſt. Quia ſi phraſis Ariſtotelica Pelagiana eſt, vt volunt, & Auguſtinianæ contraria, quid aliud eſt ſanctum Thomam antiquam ſententiam & veram exprimere phraſi Ariſtotelica, quàm Pelagianis verbis fidem Catholicam profiteri? Eadem repetit deinde, vbi obiicitur ſanctum Thomam negare libertatem eſſe in amore felicitatis. *Nempe*, inquit, *quia in illa reſponſione ad tertium, loquitur phraſi peripatetica.* Et iterum pag. 26. *Peripateticè loqui*, dum negat laudem eſſe vbi non eſt agendi, & non agendi libertas. Sed quid refert Peripateticè, an Platonicè: Academicè, an Stoïcè loquatur? Dic Vincenti, loquiturne verè, necne? Non audet dicere Vincentius quod in animo habet. Audiendus eſt iterum, cùm dicit:

Pag. 11. *Sanctus Thomas libertatem ſtrictè, pro illa libertate indifferentiæ, quæ liberum ac deliberans arbitrium ſequitur, accipere ſolet: & proportionaliter meritum, quod ex libertate oritur, pro merito liberi & deliberantis arbitrii plerumque accipit; loquitúrque vt philoſophus Peripateticus: Vnde paſſim ad meritum ſtrictè ſumptum libertatem contrarietatis requirere videbis. Attamen non vbique eſt tam præciſus, & ſcrupuloſus*, & citat 3. ſent. diſtinct. 18. quæſt. 2. art. 1. *Vbi*, inquit, *non ampliùs vt philoſophus peripateticus loquitur.* Diceres commentarios in libros ſententiarum ſcriptos eſſe poſt Summam, & libros contra Gentes. Quidquid ſit, Sanctus Thomas ex Vincentio Leni, *ſcrupuloſus*, & *præciſus* factus eſt, ex quo etiam factus eſt Peripateticus: & cùm magis Theologicè diſcurreret, conſcientiæ fuit liberioris ac laxioris.

Videntur autem hæc eò tendere quod habet Ianſenius. Cùm enim ad probandam ſuam libertatem incoactam produxiſſet teſtimonia præcipuorum Scholaſticorum, S. Tho-

mæ, S. Bonauenturæ, Scoti, Gandauenſis, Ricardi, Marſilij aliorúmque à Magiſtro Sententiarum, vſque ad Gabrielem incluſiuè; quia intellexit quàm nulla eſſent quámque facilè ſolui poſſent ex aliis eorumdem auctorum verbis, quibus eorum mens clariùs exprimitur, fatetur tandem ex illis quos laudauerat, non ſolùm alios ab aliis, hoc eſt recentiores ab antiquioribus ſenſim deflexiſſe; ſed conſtare inſuper. *Nonnullos veteres Scholaſticos initio ad amuſſim, cum Magiſtro ſentientes, imò longè audaciùs, & apertiùs illius ſenſa promentes quàm ipſe prompſerat, deinde ſub finem vitæ, in alterum extremum, quamuis nonnihil vacillando vergere.* Nec animaduertit, hîc igitur damnandum eſſe tritum illud, *Secundæ cogitationes ſapientiores.* Sed quomodo quærimus, hinc patet, huic Ianſenii iudicio apprimè reſpondere illud Vincentii, S. Thomam in hac controuerſia initio magis Theologicè, ſub finem magis philoſophicè loquutum, atque etiam magis ſcrupuloſè, ſtringente illius conſcientiam Philoſophia, quam Theologia laxauerat.

Cæterum ſi ex iſtis verbis Ianſenij formetur vna quædam propoſitio, *Deſinat obſtrepere Ariſtotelica philoſophia, quæ in iſta cauſa cum Pelagio atque Iuliano plenis buccis illam crepante, damnata eſt. Neque enim eſt aliud quidquam hæreſis Pelagianæ de gratia, & libero arbitrio* QVAM PVRA PVTA ARISTOTELICA PHILOSOPHIA, *& nihil magis in hoc argumento ſuſpectum eſſe debet* QVAM ARISTOTELICA ILLA PHILOSOPHIA, *cuius ſolius armis inſtructus Iulianus, & Pelagius libertatem humani arbitrii defenderunt.* In præf. lib. 6. de gr. Saluat.

Si ex his quoque Vincentii formetur alia, *S. Thomam in poſterioribus præſertim operibus*, loqui vt *philoſophum peripateticum.* Item, *In philoſophia peripatetica conſummatum, magis philoſophicè loqui*, de libertate ſcilicet ad merendum, & demerendum neceſſaria, & *ſuam Ethicam compoſuiſſe ad normam Ariſtotelicæ phraſis*; Si, inquam, formentur hæ duæ propoſitiones, prima ex verbis Ianſenij, in quæſtione quam tractamus, pro eodem habendum aliquem eſſe Ariſtotelicum, ſeu Peripateticum, & eſſe Pelagianum; Secunda ex verbis Vincentii, in eadem quæſtione S. Th. loquutum vt philoſophum Ariſtotelicum, & ſuam Ethicam compoſuiſſe ad normam Ariſtotelicæ phraſis; quænam alia concluſio inde poteſt deduci, quàm

Reliq. de S. Cyra. p. 27. illa quam Sancyranus expreſſit; vt teſtatur vir fide dignus Abbas de Precibus Ciſtercienſis Ordinis, *S. Thomam deſtruxiſſe veram Theologiam, inductis in eam humanis rationibus, & Ariſtotelicis principiis?* Scio Ianſenianos vri dum hæc audiunt, ſed æqui bonique conſulere debent, vt quod dicunt in tenebris, ſuper tecta prædicetur.

EXPENDITVR QVOD RESPONDET Apologiſta Ianſenii.

CAPVT I.

Conſilium Apologiſtæ quærere præſidia ſuæ ſententiæ à Scriptoribus Scholaſticis exemplo Janſenii: & de approbatione Illuſtriſſimi Vabrenſis Epiſcopi circa librum de Libertate Dei & creaturæ.

APOLOGISTA Ianſenii, qui maluit videri vir eſſe nullius nominis, quàm proprio cognoſci, Apologiæ 2. lib. 3. cap. 3. pro libertate incoacta pugnat etiam ipſe, ſicuti pro arce Ianſeniſmi, aſſumpto ad diſputandum hoc argumento, *Doctrinam eſſe Antiquorum Scholaſticorum, vt & Auguſtini, quòd ſtet libertas cum ineuitabili agendi neceſſitate.* Tum verò producit vnum aut alterum Auguſtini locum, vnde nihil inferri poſſe contra doctrinam communem monſtratum eſt ſuperiùs. Addit teſtimonia Scholaſticorum illa ipſa quæ ſunt apud Ianſenium lib. 6. & 8. de grat. Saluat. & quæ ſigillatim ſoluit Antonius Ricardus, prolatis eorumdem Auctorum manifeſtiſſimis aliis in contrarium teſtimoniis; vt nihil neceſſe ſit in iis immorari. hoc ſolùm monendus eſt Lector, vt aduertat Ianſenium in hoc puncto, vt aliàs ſæpe, ſecum pugnare. Fatetur enim, vt antea notatum eſt, ea quæ de libertate docet, non poſſe non videri *noua* Scholaſticis doctoribus, eſſe illis, *inaudita*, & non *mediocriter mira*, *exhorreſcere* illos ad nomen incoactæ libertatis: & tamen eadem extare dicit apud Magiſtrum Sent. Victorinos ambos, Alenſem, D. Thomam, D. Bonauenturam, Scotum; Marſilium, Ricardum, Henricum, Dionyſ. Gabrielem, &c. At quinam ſunt illi Scholaſtici, quibus inauditæ ſunt, atque ad horrorem Lib. 3. de lib. Arb. ſupra 1. par. c. 1. § 3.

vſque miræ, quæ ſunt communes ſententiæ illorum omnium auctorum? Eſto, eſſe poſſint qui non approbent; ſed qui neſciant, neque audiuerint vnquam ea quæ ſunt ab eis, communi conſenſu tradita; ſi vſpiam reperiantur, negamus eſſe in numero ſcholaſticorum recenſendos. Sed quod retulimus ex Ianſenio, etiam antiquos Scholaſticos tandem in contrariam ſententiam, licèt *nonnihil vacillando* deflexiſſe: & quod eſt in cap. 13. eiuſdem libri ſexti. *Neminem, quod ſciat; inuentum eſſe in Eccleſia Latina per annos octingentos, qui diſſenſerit*; ſatis oſtendit ipſum quoque vacillare. Quare enim octingentos tantùm annos ponit? Quare non & mille ducentos? Non audet nimirum polliceri quidquam ſibi de ſuffragio Scholaſticorum. Et ideo citra ſæculum illorum continet prædicationem antiquæ approbationis eius ſententiæ, quam tuetur. Sed num etiam Hincmari Remenſis, & Rabani Moguntinenſis, & aliorum qui nono ſæculo reſtiterunt Goteſcalco, oblitus erat? An vult illos pertinere ad Eccleſiam Græcam, quando de Latina tantùm loquitur? An expungendos ex tabulis octingentorum annorum, qui intercurrerunt inter ſæculum Auguſtini, & ſæculum Scholaſticorum? hæc ſcilicet oſtendunt in hoc auctore pleraque vacillare.

Apologiſta in affirmandis rebus incertis, atque incompertis generoſior eſt. Nihil eum terret, quod Ianſenius de illa declinatione antiquorum Scholaſticorum dicit: nihil illa ſuſpicio quam oſtendit, dum octingentorum tantùm annorum ſpatio definit poſſeſſionem eiuſmodi doctrinæ. Magno animo pronuntiat, ſine metu, ſine dubitatione, ſine exceptione, eſſe illam Antiquorum Scholaſticorum ſententiam: quod quàm falſum ſit, iam ab aliis, vt dixi, demonſtratum eſt: & ex iis quæ de Sancto Thoma ſuprà retuli, de quo addam plura poſtea, coniectura ſumi de cæteris poteſt.

Suprà p. 1. cap. 5.

Præterea vrget Apologiſta argumentum petitum à libertate Chriſti, quod quia fusè tractatur à Theologis ad tertiam partem, actum agerem, ſi vellem hîc reſpondere. Hoc ſolum dico, ex illa varietate ſententiarum, qua conantur Theologi explicare, quomodo Chriſtus cum impeccabilitate, & cum neceſſitate amoris beatifici, potuerit exhibere Deo liberam, quoad exercitium, obedientiam, de re ipſa certos eſſe, de modo verò

rei dubios: & ſollicitudinem illam tantam, & tam anxiam, quam oſtendunt circa quæſtionem, quomodo ſit; oſtendere apud illos definitam eſſe quæſtionem an ſit. Ergo fuit liber etiam Chriſtus libertate exercitij, hoc eſt, potens ad vtramlibet contradictionis partem, in omnibus illis actibus qui fuerunt per ſe, ac formaliter meritorij, ac ſatisfactorij.

Denique illuſtriſſimum Vabrenſem Epiſcopum nominatim inſectatur, quòd cùm approbarit olim Gibieufi librum *De libertate Dei & creaturæ*, modò damnet doctrinam Ianſenii de libertate incoacta, cùm tamen doctrina vtraque eadem ſit; hæc ille loco iam citato. Ego verò non ſuſcipio defenſionem Clariſſimi Antiſtitis: non quòd aut voluntas deſit aut ratio; ſed quia ille nullius ope indiget, vt ſe tueatur. Nam præter dignitatem quam in Eccleſia præcipuam obtinet, & quam merito virtutis, & eruditionis eſt conſequutus; quæ hactenus edidit opera pro tuenda Eccleſiaſticæ doctrinæ veritate, & Sanctæ Sedis Apoſtolicæ auctoritate; iis omnibus quibus liuor, & affectus malè ordinati non perturbant oculos, ſatis oſtendunt ſufficere ipſum ſibi, & habere vnde iis qui ſe allatrant, excutere dentes poſſit. Quòd ſi meam etiam admittere operam vellet, dicerem Apologiſtæ. Primò, Gibieufi librum à Ianſenio quoque fuiſſe approbatum atque laudatum: & tamen ab eodem Ianſenio poſtea damnatam eſſe illius doctrinam. De illa enim loquitur lib. 7. de grat. Saluatoris cap. 16 vbi recenſitis iis, quæ placere poterant in eius opinione, alia improbans, ſic incipit. *Quapropter illa opinio tribus in rebus ab Auguſtini ſenſu mihi videtur deuiare. primo, &c.* Senſus Auguſtini Ianſenio ſenſus eſt Eccleſiæ: ac proinde qui *deuiat* à ſenſu Auguſtini deuiat à ſenſu Eccleſiæ. Quomodo autem approbari, atque laudari potuit ea doctrina, quæ ſciebatur *deuiare à ſenſu Eccleſiæ?* Iprenſem Apologiſta purget, & Vabrenſem abſoluerit. Cap. 4.

Poſſem addere ſecundò, non eſſe ita ſeuerè agendum cum amicis approbatoribus, vt nihil omnino gratiæ dent, & præconceptæ de Auctore opinioni, præſertim in emendicatis approbationibus, quæ non tam quæruntur ad cenſuram & emendationem librorum edendorum, quàm ad commendationem, & laudem editorum. Quare ſi quippiam relinquant

in ejuſmodi libris indiſcuſſum, & inemendatum; non ideo ſtatim dicenda illis dies eſt, tanquam reis commodati erroribus ſuffragii. Neque deſunt recentia magnorum virorum exempla, quorum honori ac dignitati vix alia ratione, quàm hac epieikeia conſuli poteſt.

Et hoc tertiò addendum eſt, doctrinam de incoacta libertate non ita expreſſam eſſe in opere *de libertate Dei, & creaturæ*, quin poſſit etiam expreſſa videri contraria; vt nihil cauſæ ſit, cur qui librum approbarunt, videri poſſint approbaſſe potiùs hoc, quàm illud. Siquidem Auctor illius operis, quamuis eſſet vir bonus, nec ineruditus; quia tamen non ſatis erat in ſcholarum palæſtra exercitatus, cùm vellet nouam philoſophando viam inire, Platonicas imagines cum ſcholaſticis ita miſcuit, vt emerſerit neſcio quid, de quo dubitatum eſt an eſſet ab auctore ipſo ſatis comprehenſum. Præter alia quæ id temporis notata ſunt, eſt qui ex primo tantùm libro, & vno aut altero capite ſecundi, contradictiones collegerit ſeptuaginta, quas totis viginti annis nec ſoluere auctor, nec edere quos dixerat ſe prælo paratos habere de gratia commentarios auſus eſt.

Denique conſtat eorum teſtimonio, qui cum eo Auctore, poſt editum Ianſenii Auguſtinum familiariùs egerunt, minimè illi probatam fuiſſe Ianſenianam Theologiam, ſicuti nec Sancyranam. Vnde cùm nec ipſe Ianſenio, nec ipſi Ianſenius ſat fuerit probatus; quid ſentiendum de Apologiſta, qui vult amborum eamdem fuiſſe doctrinam? Sed omitto totam illam cauſam, quippe cùm hoc potiſſimum ſuſceperim inquirendum, quæ ſit in hac controuerſia mens Auguſtini, & S. Thomæ: & an illi ſit conformis doctrina Ianſenii. Ergo ex omnibus quæ tractat Apologiſta duo tantùm ſuperſunt examinanda. Primum eſt, an Ianſenius negauerit reipſa eſſe in hoc ſtatu viatorum indifferentiam libertatis, ſeu indifferentem libertatem. Secundum, an rectè ſenſerit, & ad mentem Auguſtini ac S. Thomæ, cùm dixit, non eſſe indifferentiam ad libertatem neceſſariam.

CAPVT II.

Vtrum Janſenius admiſerit libertatem hominum viatorum eſſe indifferentem.

§. I. *Probatur admiſiſſe.*

ADMONET Apologiſta, Ianſenium confeſſum libertatem hominum viatorum immunem eſſe, non ſolum à violentia, & coactione, ſed etiam ab illa immutabili neceſſitate, quæ opponitur indifferentiæ: & quod docet, ſtare libertatem cum tali neceſſitate, pertinere tantùm ad ſtatum beatorum, & damnatorum. Velle enim ipſum cum immutabili neceſſitate Deum amandi, & cum immutabili neceſſitate odio habendi, ſtare tam in beatis libertatem amoris, quàm in damnatis libertatem odii: contendere autem nullam eſſe talem neceſſitatem in hoc ſtatu medio: ac proinde eſſe in hoc ſtatu medio, indifferentiam. Contineri confeſſionem hanc integris apud Ianſenium capitibus &c. Loc. cit. punct. c. 1.

Ita eſt, Ianſenius, *hominum viatorum non ſolùm coactionis expertem eſſe libertatem, ſed etiam neceſſitatis immutabilis voluntariæ, hoc eſt, eam ad vtrumque indifferentem eſſe, cum ſcripturis, Auguſtino, & Patribus, & Catholica fide perlibenter fatetur; ſed in illa indifferentia ſitam eſſe generaliter arbitrii libertatem eoſdem Patres aſſerit pernegare . . . ſed poſſe illam adeſſe, vel abeſſe à voluntatis arbitrio, ſine diſpendio libertatis.* Iterum, excepto amore beatifico, & motibus indeliberatis, *Cæteras*, inquit, *humanæ vitæ actiones, quamuis etiam juxta tradita jam Auguſtini principia, ſine indifferentia nihil vetaret eſſe liberas, reipſa tamen non ſolùm ſine violentia, ſed & cum quadam indifferentia contradictionis, imò contrarietatis, ex Auguſtini, & veterum citatorum mente fieri credimus.* Et antè, *Nec quicquam ad illam ſententiam reprobandam facit, quod in eadem diſtinctione dicit* (loquitur de Magiſtro Sentent.) *liberum arbitrium eſſe liberum ad vtrumlibet, videlicet bonum &* Lib. 6. c. 34. Ib. c. 37. Cap. 10.

centiores? Illi admittunt-ne aliam indifferentiam, quàm illam quam admittit Eccleſia? aut Eccleſia negat-ne quam admittunt Scholaſtici? Oſtendant quæſo aliquod eſſe diſcrimen, vel quoddam diſſidium inter Eccleſiam, & conſentientem Scholaſticorum ſententiam circa conceptum illius indifferentiæ, quæ *ſine fidei læſione*, vt dicunt, non poteſt negari? Sinit quidem Eccleſia Scholaſticos diſceptare circa modum defendendi indifferentiam, ſed non circa conceptum ipſum indifferentiæ, pro quo retinendo illi & inter ſe, & cum Eccleſia conſentiunt. Ergo non ab illis modò, ſed ab Eccleſia quoque diſſentit Ianſenius, dum negat talem indifferentiam, & aliam ſubſtituit.

Secundò. Quando admittenda eſt indifferentia contra *hæreticos noſtri temporis*, vt dicit Ianſenius, admittenda eſt illa quam hæretici noſtri temporis negant: Sed quam illi negant, illa eſt quam admittunt Scholaſtici: Igitur admittenda eſt illa, quam admittunt Scholaſtici. Minor patet apud Caluinum, qui dum diſputat de libero arbitrio, negátque illi *vim electiuam ad vtrumlibet*, quæ eſt indifferentia, de qua diſputamus, profitetur ſe potiſſimùm à Scholaſticis diſſentire, ideóque Sorbonicos doctores *Sophiſtas* vocat, & ætatis noſtræ *Pelagianos* qui *Pelagium patrem ſuum imitantur*. Vide autem in quo diſſentiat, nempe quòd illi putent in manu noſtra eſſe reſpuere, vel accipere oblatam Dei gratiam: & ideo nos cooperari Dei gratiæ, *quòd noſtri iuris ſit eam vel reſpuendo, irritam facere, vel obedienter ſequendo, confirmare, diſſentire ſe à ſenioribus Scholaſticis, ſed longiore interuallo à recentioribus ſophiſtis, qui etiam à vetuſtate longiùs receſſerunt*, quæ verba Ianſenius videtur ob oculos habuiſſe cùm ſcriberet, *Eoſdem nonnullos ſcholaſticos veteres, initio ad amuſſim cum Magiſtro ſentientes; deinde ſub finem in alterum extremum, quamuis nonnihil vacillando, vergere viſos, & paulatim ab illa primæua libertatis intelligentia declinari cœptum, cóque rerum noſtra ætate ventum, vt illa Auguſtini, Bernardi, Magiſtri, & cæterorum doctrina, vix auribus quorumdam ferri, vix ſine erroris ſuſpicione tradi poſſit.* Itaque negat Caluinus illam tantùm indifferentiam, quam putat tenuiſſe quidem antiquos Scholaſticos, ſed non cum illa expreſſione, & firma adhæſione, quæ cernitur in recentioribus. Ergo ſi eſt af-

2. Ir.

Ib. ſec. 11. & ca. 42.

ſect. 6. 6. de gr. Salu. c. 33. & ante cap. 20.

firmanda quam negat Caluinus, vt fatetur Ianſenius, affirmanda eſt illa, quæ licèt apparuerit in antiquis ſcholaſticis, expreſſiùs tamen, & firmiùs defendi cœpit à modernis. At illam ipſam Ianſenius negat. Ergo negat quam affirmandam putat, poſtquam affirmandam putat quam negat Caluinus.

Tertiò. Quando eſt admittenda indifferentia cum Auguſtino & Patribus, admittenda eſt quam illi admittunt: Sed quam illi admittunt, non eſt alia, quàm illa quam admittunt Scholaſtici: Ergo ſi negatur à Ianſenio quam admittunt Scholaſtici; negatur quam Auguſtinus, & Patres admittunt, & quam ipſe putat non poſſe negari *ſine læſione fidei Catholicæ.* Minor probatur. Et quidem quod ad cæteros Patres attinet, nulla eſt difficultas. Ianſenius hæret in Auguſtino, & nos

Sup. contr. Nou. Aug. c. 2. etiam. Legantur autem illa 35. Auguſtini teſtimonia ſuperiùs adducta, & conſtabit ſtatim, indifferentiam, quam ille poſtulat, in eo ſitam eſſe, quòd voluntas agens poſſit non agere; & non agens, poſſit agere: Scholaſtici nihil aliud poſtulant. Ergo &c.

Paral. not. 79. Quartò. Expreſſa eſt apud Ianſenium indifferentiæ negatio, dum Suarem, Bellarminum, & Vaſquem eo nomine accuſat, quòd gratiam admittant, cum qua voluntas *indifferenter* operetur, *vt probent*, *inquit*, *gratiam quæ nunc hominibus ad credendum diuinitus datur, ita eſſe libero arbitrio attemperatam, vt inſtar gratiæ potentialis, quam Auguſtinus adjutorium ſine quo non appellat, ea ſtante in libero arbitrio, poſſit arbitrium* INDIFFERENTER *velle, vel nolle?* En tibi peccatum Bellarmini, & Suaris, ex Ianſenio, quòd nimirum putent *ſtante gratia in libero arbitrio, poſſe arbitrium indifferenter velle, vel nolle.* Et tamen, inquit Apologiſta, non negat indifferentiam. Pergit, & allato Auguſtini teſtimonio, quo illi quos impugnat, vtuntur, *Ex quibus verbis*, inquit, *iſtam* INDIFFERENTIAM *voluntatis, quam cum gratiâ ſua congrua vel ſufficiente copulant, ſub adjutorio gratiæ remanere contendunt.* Et addit citata illa verba, ex quibus indifferentia colligitur, non continere ſententiam Auguſtini, ſed eſſe *verba doctrinæ Pelagianæ poſtea Semipelagianæ.* Itaque Pelagianum putat, quòd admittatur *indifferentia*, quâ ſtante gratiâ, poſſit voluntas velle, vel nolle. Iterúmque negat *à nutu* INDIFFERENTE *voluntatis, pendere no-*

Tom. 3. lib. 2. degr. Sal. c. 4.

ſtrum velle, vel nolle. Et antea, *Adjutorium ante ruinam erat tale, vt influxus adjutorii perinde atque voluntatis in opus, ab ipſo libera voluntatis nutu penderet, adeòque ſalua maneret illa libertatis in vtramque partem flexibilis* INDIFFERENTIA *: Nunc verò poſt ruinam &c.* Itaque ante ruinam erat flexibilis in vtramque partem indifferentia ſub Dei adjutorio, jam non eſt. Et iterum, ſententiam quam refutat ita refert. *Per libertatem autem intelligunt, non id quod in ſcriptis ſuis omnibus de gratia Auguſtinus intelligit, ſed ſemper illud jus dominatiuum voluntatis, quo penes ipſam illa vltima manet ac decretoria ſententia, vt* PRO SVA IN VTRAMQVE PARTEM INDIFFERENTIA *ſe determinet, aut non determinet, quamuis determinatio hic & nunc non fiat ſine gratia concurrente.* Vides, vt negat flexibilem in vtramque partem indifferentiam. Et iterum, dum agit de ſcientia conditionata, & modum tuendæ per eam libertatis refutat. *Iſtius*, inquit, *praſcientia beneficio hoc aſſequuntur, ne adjutorium inuictè rapiat voluntatem,* ADIMATQVE POTESTATEM ILLAM INDIFFERENTEM, QVA VTITVR VEL NON VTITVR ADIVTORIO SI VOLVERIT *: hoc eſt vt per hoc adjutorium detur voluntati poſſe, ſi velit : velle verò, & nolle vti, & non vti adjutorio, in ejus libero relinquatur arbitrio.* Vbi vides quid Ianſenio diſpliceat, in illa doctrina, nempe quòd adjutorium non *rapiat inuictè voluntatem, ita vt adimat poteſtatem indifferentem vtendi, vel non vtendi adjutorio, ſi voluerit.* Et vides quid intelligat per indifferentem poteſtatem, nempe, *quòd vti vel non vti adjutorio Dei libero relinquatur arbitrio.*

Ib. cap. 5.

Ib. cap. 8.

Vnde probatur jam quintò, non ſolum nomen indifferentis poteſtatis, ſed rem eo nomine ſignificatam à Ianſenio diſertiſſimè rejici, nempe *poteſtatem vtendi, vel non vtendi Dei adjutorio.* Patet ex diſtinctione quam afferre ſolet inter gratiam integræ naturæ, & gratiam naturæ lapſæ. In eo enim diſtinguit, quòd *gratia ſana voluntatis in ejus libero arbitrio relinqueretur, vt eam ſi vellet, deſereret, aut ſi vellet, vteretur : gratia verò lapſa, ægrotæque voluntatis* NVLLO MODO *in ejus relinquatur arbitrio, vt eam deſerat aut arripiat, ſi voluerit.* Poſſe accipere, vel non accipere gratiam, & poſſe vti, vel non vti, eſt habere indifferentem potentiam ad accipiendum, vel non

Lib. 2. de gra. Salu. cap. 4.

accipiendum, vt Ianſenius ipſe ſuperiùs explicuit: illud non conuenit ægrotæ voluntati, vt idem met jam ſignificat: ergo neque iſtud. Eódem pertinet quod dicit eodem loco, voluntatem integram, hoc eſt ante lapſum, fuiſſe *optioni ſuæ relictam*, quod non conuenit jam voluntati ægrotanti.

Cap. 5. ib. Idem iterum ſic explicat diſcrimen gratiæ Adami, & noſtræ, quod *nullum adjutorium gratiæ, cujus vſus ita ponitur in arbitrio voluntatis, vt illo vtatur, aut non vtatur, vt illud amplectatur aut deſerat, vt illi conſentiat, aut non conſentiat ſi voluerit, quantumuis ſine illo non velit, aut velle non poſſit; eſſe adjutorium quo ſit vt velit, ſed tantùm ſine quo non: & proinde ad medicinale adjutorium Chriſti nullo modo poſſe pertinere, ſed ad adjutorium primi hominis, & ſanæ voluntatis eſſe referendum. Nam in eo conſiſtit eſſentialiter differentia vtriuſque adiutorii, ſine quo non ſit actio, & quo ſit; & conſequenter ſanæ voluntatis, & infirmæ.* Non eſt quo euadat Concilium Tridentinum. Poſtquam enim definiuit liberum arbitrium *diſſentire poſſe, ſi velit* à gratia, quæ jam datur, ignorauit conſequenter eſſentialem illius, & gratiæ primi hominis differentiam. Vides autem quomodo nullam relinquat indifferentiam, neque *ad vtendum aut non vtendum* gratia; *neque ad eam amplectendam, aut deſerendam;* neque *ad conſentiendum illi, aut diſſentiendum*, vt videantur Ianſenio defuiſſe verba, & modi ad exprimendam, vt volebat, indifferentiæ negationem. Eadem ſæpe repetit, & inculcat in eodem libro, & præcipuè cap. 27. cùm dicit, *Quapropter, quiſquis iam alia diuinæ gratiæ adiutoria infirmis hominibus afferre nititur, quæ deſerant, ſi velint: & in quibus permaneant, ſi velint; cum quibus tanquam ſufficientibus operentur, ſi velint; nihil aliud imprudens facit, niſi vt originalis peccati virus euacuet, illæſas liberi arbitrii vires eſſe, Chriſtum fruſtra veniſſe, & gratis mortuum eſſe perſuadeat.* Ejuſmodi plura paſſim occurrunt apud hunc au-
Tom. 2. ctorem, præſertim in libro de gratia primi hominis, & An-
Tom. 1. gelorum, & libro octauo de hæreſi Pelagiana, vbi vult ad Semipelagianam hæreſim pertinere quòd internæ gratiæ poſſit aliquis cooperari, ſi velit, & ſi velit, etiam non cooperari.

Iam verò cùm proprius indifferentiæ conceptus in cauſa efficiente nihil aliud eſſe poſſit, quàm hoc quod eſt, poſſe facere vel non facere; ſeu, poſſe facere hoc, vel illud; quem-

admodum nec in cauſa recipiente poteſt eſſe aliud, quàm hoc quod eſt, poſſe recipere, vel non recipere, ſeu poſſe recipere hoc, vel illud; cùm jam conſtet Ianſenium hoc negare, ſequitur negare illum id quod propriè loquendo, & ſecundùm communem vſum vocum intelligitur nomine indifferentiæ: ac proinde negare, & nomen, & rem.

At exiſtimandum eſt etiam, & Auguſtinum, & Bernardum, & Patres alios, & ipſam demum Eccleſiam, quæ dicitur agnoſcere in hoc ſtatu aliquam in arbitrio libero indifferentiam, non abuti rerum nominibus, ſed intelligere id quod ea voce intelligi ſolet, dum ad liberum arbitrium applicatur. Nec hæretici, quibus ad errorem tribuitur quòd negent indifferentiam, meritò reprehenderentur, ſi negarent tantùm illud, cui hoc nomen propriè conuenit, poſtquam id etiam modò negandum ſupponitur. Igitur & Auguſtinus, & Patres, & Eccleſia poſtulant, vt agnoſcatur in libero arbitrio potentia faciendi, & non faciendi: vel faciendi hoc, aut illud, prout libuerit. Quod cùm Ianſenius neget, negat quod Auguſtinus, & Patres, & Eccleſia affirmandum putant: & abſoluit hæreticos, quippe qui nihil negare videantur, dum negant indifferentiam, quod, ſi propriè loquamur, negandum non ſit ex Ianſenio.

§. 3. *Probatur ampliùs, ſpeciem tantùm inanem indifferentiæ à Janſenio admiſſam.*

QVOD vt magis explicetur, & conſtet Ianſenium verâ, quæ ab auctoribus admittitur, indifferentiâ negatâ, ſubſtituere ſpuriam, ſeu potiùs laruam quamdam, & inane ſimulacrum indifferentiæ, Lib. 8. de gr. Salu. cap. 10.

Examinandum eſt ſextò, quod dicit, fateri ſe indifferentiam ad contraria, hoc eſt ad volendum, faciendúmque bonum, & malum, ſiue in infidelitate ante gratiam, ſiue jam ſub gratia, ſemper ineſſe libero arbitrio, *Sed non*, inquit, *eo modo, quo iſti Scholaſtici putant..... qui quocumque modo arbitrium ſiue gratiæ, ſiue peccati delectationibus imbuatur, ſemper exiſtimant* CVM VTRAVIS EIVS DISPOSITIONE *poſſe fieri, vt vtrum-*

libet velit, ſiue bonum, pro illa ſola ſcilicet innata indifferentia voluntatis, quæ ſub quacumque diſpoſitione actum præueniente, ſeſe ſua libertate in vtramuis partem flectit. Vides quid velit. Liberum arbitrium gratiæ delectationibus imbutum, negat poſſe velle vtrumlibet, ſed poſſe velle tantùm bonum; imbutum verò delectationibus peccati, negat poſſe velle bonum, ſed tantùm poſſe velle malum; atque ita cum vna diſpoſitione poſſe vnum tantùm, cum alia aliud tantùm: Ergo totam ejus indifferentiam in eo poſitam eſſe, quòd poſſit habere hanc, vel illam diſpoſitionem. Quod ampliùs declaratur ex eo quòd alibi docet, præter nudam voluntatis facultatem, eſſe

Tom. 3. lib. 7. cap. 2. *aliquid aliud, quo actus ponatur in ejus poteſtate:* & hoc eſſe reſpectu boni *victricem delectationem gratiæ*, reſpectu mali *victricem delectationem peccati*; vtrâque illâ delectatione voluntatem fieri *liberam, & potentem* agere, & actum ad quem ordinatur, poni *in ejus poteſtate; alterutra omnino abſente, fieri impotentem, & actum illi reſpondentem eſſe omnino extra poteſtatem voluntatis: has eaſdem delectationes eſſe vincula, quæ voluntatem à volendo certum genus actuum retrahunt, & impediunt; ita vt tale velle non ſit in ejus poteſtate, niſi tunc tantùm, quando illa poteſtas aliunde datur:*

lib. cap. 5. *Iuſtitiæ, & peccati delectationem eſſe illud vinculum, quo liberum arbitrium in juſtitia, vel peccato ita firmiter ligatur & retinetur, vt quamdiu illo ſtabiliter poſſidetur & conſtringitur, actus oppoſitus ſit extra ejus poteſtatem, ita videlicet, vt arbitrium non liberatum, eum velle non poſſit.*

Neque hoc tantùm verum eſſe putat de indifferentia voluntatis ad contraria, ſed etiam ad contradictoria. Et ideo poſtquam reiecit ſenſum illum Scholaſticorum, qui voluntatis indifferentiam ad vtrumlibet ita intelligunt, vt *cum vtrauis eius diſpoſitione*, vel *ſub quacumque diſpoſitione* vtrumlibet velit bonum, & malum, dixitque hanc eſſe libertatem à Pelagianis contentioſiſſimè poſtulatam, & ab Auguſtino conſtantiſſimè negatam, ſubdit,

Lib. 8. ca. 20. *Alio igitur ſenſu liberum arbitrium ante gratiam, quemadmodum etiam alio ſenſu ſub gratia indifferentiam contrarietatis, & contradictionis habet.* Ac proinde alio ſenſu habet libertatem contradictionis, quàm eo, quo intelligatur ſub ea diſpoſitione, ſub qua poteſt agere, poſſe etiam non agere. Vult ergo ſub vna diſpoſitione poſſe agere, & ſub alia non agere: & conſequenter indifferentiam

tiam contradictionis in eo ſitam eſſe, quòd poſſit voluntas habere alterutram diſpoſitionem.

Et ideo putat victricem delectationem imponere voluntati *neceſſitatem* conſentiendi, non quidem *immutabilem*, hoc eſt perpetuam, ſicut eſt in cœlo, ſed pro tempore, quo ipſa eſt: nec aliter diſtingui quoad hoc amorem Dei in beatis, & in viatoribus, quàm quia perpetua ibi eſt amandi neceſſitas, hîc tantùm eſt temporaria. Et hoc confirmatur ex fundamentali principio hujus Auctoris, quòd nulla poſſit eſſe gratia ſufficiens in hoc ſtatu, ſequitur enim inde, non poſſe voluntatem ſuſpendere illius effectum, non agendo. Adde quod dicit, gratiam Christi *diametraliter repugnare philoſophicæ libertati, ſeu indifferentiæ libertatis, quia illam extrahit ab indifferentia agendi*: & ideo in beatis, vbi conſummata eſt gratia, ſtirpitus tolli illam indifferentiam, in terris non tolli omnino: nimirum quia gratia non tanta eſt, vt ſit perpetua, & ſemper victrix, ſed poteſt ſuccedere illi præpollens concupiſcentia. Tom. 3. lib. 6. c. 34. & lib. 8. c. 10. & 17. Tom. 3. l. 7. c. 14.

Præterea Ianſenius perpetuam ſeruari vult proportionem inter delectationem concupiſcentiæ, reſpectu mali, & delectationem gratiæ, reſpectu boni: & ita eſſe voluntatem noſtram per delectationem gratiæ ſeruam iuſtitiæ, & liberam à peccato; quemadmodum per delectationem concupiſcentiæ libera fit à iuſtitia, & peccati ſerua. Atqui ſub præpollente concupiſcentia non poteſt abſtinere à malo; *nam*, inquit, *ipſum non conſentire, & non facere id ad quod impellit concupiſcentia, gratiæ victricis effectus eſt*: ac proinde, quia non poteſt eſſe gratia victrix ſimul, & præpollens concupiſcentia, ſequitur non ſolùm non poſſe voluntatem elicere actum contrarium bonum, ſed nec ſuſpendere quidem malum. Ergo à pari, non conſentire victrici gratiæ, ſeu non facere id, ad quod impellit, erit effectus præpollentis concupiſcentiæ; quæ quia eſſe non poteſt cum victrice gratia, ſequitur nec eſſe poſſe ſuſpenſionem conſenſus, & actionis eiuſdem gratiæ; ſed eſſe iſta quoad exercitium neceſſaria, & quod idem eſt, carere indifferentia contradictionis. Et hoc ſatis declarat quod dicit, *Quemadmodum igitur qui ſub gratia ad opus bonum determinante operatur, ſimul etiam peccare poteſt, ita quoque è contrario, qui iſta gratia deſtituitur, ſiue fidelis, ſiue infidelis, & peccati tentationibus quatitur, poteſt benefacere. Non qui-* Lib. 8. c. 10.

dem quaſi ſemper etiam ante ſuſceptam Chriſti aut Dei fidem, gratiâ ad non peccandum muniatur, quo nihil alienius ab Auguſtini doctrina dici poteſt: aut arbitrium etiam ante gratiam ſit in illius indifferentiæ æquilibrio, quæ ſe ad vtrumlibet NVLLA MVTATIONE FACTA IN REQVISITIS AD AGENDVM, *pro libero voluntatis nutu flectat, quod non minus capitaliter principiis Auguſtini aduerſatur.* Sed &c. En quid requirat, vt vel ille, qui eſt ſub diſpoſitione gratiæ, poſſit non conſentire: vel ille, qui eſt ſub diſpoſitione concupiſcentiæ, non peccare: nimirum *vt fiat aliqua mutatio in prærequiſitis ad agendum.* & ideo negat illum, qui dicitur poſſe peccare, habere gratiam ad non peccandum neceſſariam. Ergo per id quod dicitur, eum qui peccat poſſe non pecare, intelligendum eſt tantùm eſſe illum in ſtatu, in quo poſſit recipere gratiam; & quando illa aduenerit, poſſe non peccare, quod adhuc exprimit, cùm dicit excitari homines & corripi, *Non vt ſignificetur adeſſe illam* IMMEDIATAM *operandi poteſtatem, quam tribuit gratia, vt nutu voluntatis ei tantùm accedente, influxum eius ſequatur, aut non ſequatur.* Sed nimirum, quia fieri poteſt, vt recipiant incrementum quoddam bonæ diſpoſitionis, quo poteſtas quæ *mediata* tantùm erat, fiat immediata. Ac proinde, cùm dicitur quis poſſe non conſentire concupiſcentiæ, cui ſuccumbit, nihil aliud ſignificatur, quàm poſſe illum habere poteſtatem non conſentiendi: & quando illam habuerit, poſſe non conſentire. Et ideo iterum indifferentiam ita explicat, *Quia ſi Spiritus ſanctus aſpirauerit, bonam voluntatem ſuſcipere poteſt* homo in hac vita. Interea verò fatetur eſſe præſentem conſentiendi, & peccandi neceſſitatem, vnde dicit poſtea, *Itaque Sanctus Auguſtinus huiuſmodi peccata, quæ ex iſta contracta* per peccatum ſcilicet Adami, *peccandi neceſſitate contingunt, vera peccata eſſe profitetur*, QVAMVIS EA VOLVNTAS ITA CONSTITVTA VITARE NON POSSIT. Tandémque concludit hæc omnia indiſcriminatim intelligi, tam de indifferentia contradictionis, quàm contrarietatis. Quæ omnia, licèt cum aliquo fortè lectoris tædio, fuere tamen referenda, vt euoluatur Ianſenii doctrina, nec poſſint Ianſeniani criminari aliquid imponi Magiſtro. Hæc igitur ſumma eſt hujus doctrinæ. In hac vita poteſt excogitari quadruplex ſtatus voluntatis. Primus, vt ſit ſine vlla delectatio-

ne boni, & ſine vlla delectatione mali: & tunc voluntas non eſt libera, quia nihil habet in poteſtate. Delectatio enim eſt id, per quod habet aliquid in poteſtate, quæ cùm hîc deeſſe ſupponatur, conſequenter nec quidquam eſſe in poteſtate dici poteſt. Secundus eſt, vt habeat voluntas delectationem boni victricem, & delectationem mali pariter victricem; vnde fiat vt vtrumque habeat in poteſtate, facere & non facere bonum, & facere ac non facere malum. Et hic ſtatus eſt impoſſibilis, vt patet ex terminis, quòd repugnet duos de vna & eadem re pugnantes, eſſe ambos victores. Superſunt igitur alii duo ſtatus liberæ voluntatis. Primus eſt, vt voluntas ſupponatur habere delectationem boni tantùm, aut ſi habeat etiam mali, inæqualem tamen, & minorem. Et tunc voluntas habet tantùm in poteſtate facere bonum: non facere autem non eſt in poteſtate, ſed erit, ſi hæc boni delectatio tollatur aut minuatur, & mali delectatio, vel adueniat de nouo, vel creſcat. Et in hoc conſiſtit ejus indifferentia. Alter ſtatus oppoſitus eſt, ſi ſupponatur voluntas habere delectationem mali tantùm, boni autem vel nullam habere, vel minorem, & inæqualem. Et tunc voluntas habet in poteſtate tantùm facere malum; non facere autem, vel facere bonum non habet in poteſtate; ſed poteſt habere, quatenus poteſt aut tolli, aut minui mali delectatio, adueniente aut creſcente delectatione boni: & in hoc pariter indifferentia ejus poſita eſt. Ego verò contendo hanc eſſe meram laruam, ſeu potiùs ſpectrum quoddam illius indifferentiæ, quam dicit Ianſenius à Sancto Auguſtino, & à Patribus agnitam: ab hæreticis negatam: & à Catholicis, ſi velint *illæſam eſſe fidem*, retinendam, quod mox probabitur.

§. 4. *Contradicere Janſenium ſibi ipſi, Auguſtino, Tridentino, Scripturæ ſacræ, & communi mortalium ſenſui.*

ET primò, hæc doctrina contradicit ipſi auctori. Ille enim fatetur ita conuenire indifferentiam libero arbitrio, *vt quibuſcumque poſitis, quæ ad agendum bonum & malum requiſita ſunt, poſſit liberum arbitrium in hac vita facere bonum & malum,* Lib. 8. cap. 10.

facere alterutrum, & non facere. Et iterum, *Dicimus liberum arbitrium, quantumcumque vehementi atque efficaci gratiæ delectatione præuentum atque determinatum ad faciendum bonum, adhuc tamen poſſe bonum non tantùm non facere, ſed etiam malum. Verum eſt enim iſtud, non in ſenſu compoſito vt vulgò dici ſolet, ſed in ſenſu diuiſo.* Quid eſt hoc? *Omnibus poſitis quæ prærequiruntur* poteſt facere alterutrum, & non poteſt facere alterutrum, *niſi fiat aliqua mutatio in prærequiſitis?* Quid eſt *quantumcumque vehementi delectatione præueniatur*, poteſt non facere, hoc eſt ſuſpendere actionem ſuam; &, non poteſt ſuſpendere *ſub vtrauis diſpoſitione*, non poteſt ſuſpendere *potentia immediata*, non poteſt ſuſpendere niſi *deſinat* delectatio, quæ vehementer mouet, & adueniat contraria? Non eſt hæc mirabilis quædam pugna, confuſióque cogitationum?

Ib. cap. 4. Adde quod dicit eodem libro, dum putat ſe ſuam ſententiam defendere poſſe eadem ratione, qua Thomiſtæ, *In libero arbitrio, quantumcumque per gratiam præparato atque determinato, reperiri ſimultatem potentiæ ad operandum, & non operandum:*

Ib. cap. 20. *eſto non ſit potentia ſimultatis.* Et quod idem eſt: *Quamuis duo actus contrarii ſint oppoſiti, & in eadem voluntate ſimul eſſe non poſſint, poteſtates tamen ad oppoſita, non ſunt oppoſitæ: nec ſibi inuicem, nec actibus oppoſitis: ſed in eodem ſimul ſubiecto ſiue agente, ſiue quieſcente ſimul commorantur.* Eſt ſimultas, inquit, poteſtatum, & potentiarum: & poteſtas hæc datur voluntati, per victricem delectationem: Ergo-ne igitur eſt ſimultas victricium delectationum? Eſt ſimultas poteſtatum: & voluntas ſub ea diſpoſitione ſub qua poteſt vnum oppoſitorum, non poteſt alterum, niſi fiat mutatio in prærequiſitis? Et quæ eſt illa mutatio, quæ fieri debet in prærequiſitis, niſi quia debet ceſſare id, quo dabatur poteſtas ad vnum, adueniente poteſtate ad alterum? Et ibi eſt ſimultas poteſtatum, vbi neceſſe eſt vt poteſtates ſibi ſuccedant, & vna det locum alteri?

Lib. 7. de grat. Salu. cap. 2. 3. Iterum, Quid eſt poteſtatem ad vnum non habere oppoſitionem cum actu oppoſito? Non recordatur ſe docuiſſe mouente voluntatem delectatione victrice, *actum oppoſitum eſſe* EXTRA ILLIVS POTESTATEM? Et fieri poteſt vt ſimul ſint ambæ poteſtates, & tamen actus, qui vni opponitur, non poſſit dici eſſe in poteſtate, ratione alterius? Quod ſi non po-

teſt, quomodo non habet oppoſitionem cum illa poteſtate, per quam excluditur?

Vſitata eſt iſta diſſidentium cogitationum pugna in Ianſeniana Theologia. Hîc autem inde proceſſit deceptio, quòd putauerit ſe eodem modo philoſophari poſſe quo Thomiſtæ, cùm diuerſiſſima ſint eorum principia. Nam Thomiſtæ cum victrice concupiſcentia, verbi gratia, ponunt ſufficientem gratiam ad reſiſtendum peccato: & cum victrice gratia ſupponunt etiam naturam eſſe ſufficientem ad reſiſtendum: nec putant quidquam requiri in alterutro caſu, quod habeat rationem principii, & virtutis actiuæ: & ideo dicere poſſunt ſimultatem eſſe potentiæ ad vtrumlibet oppoſitorum, immediatè ac proximè. Neque vnquam ſenſum compoſitum & diuiſum ſic explicuerunt, vt dicerent voluntatem poſſe vnum in ſenſu compoſito, & in ſenſu diuiſo, hoc eſt ſucceſſiuè, atque ex hypotheſi, quòd fiat mutatio in prærequiſitis, poſſe alterum. Nunquam Thomiſtæ ita ſenſum illum compoſitum & diuiſum explicuerunt. Ianſenius cùm neget ſub victrice concupiſcentia gratiam eſſe ſufficientem ad reſiſtendum, & viciſſim; itáque putet neceſſariam eſſe ſucceſſionem aliquam potentiæ ſufficientis ad vnum oppoſitorum, & ſufficientis ad aliud; vult tamen videri idem ſentire quod Thomiſtæ, eadémque diſtinctione ſenſus diuiſi, & ſenſus compoſiti euadere poſſe. In quo admodum fallitur, nec vllum vnquam inueniet ex Thomiſtis, qui hactenus ſcripſerunt, qui non repellat inſinuantem ſeſe, ac doctrinæ ſocietatem in hac parte falsò affectantem. Scio id quod dicunt Thomiſtæ ſuas habere difficultates, de quibus inter nos contentio eſt; ſed aliud eſt videre quid ſentiant, aliud quid contra eorum ſententiam objici poſſit.

Secundò hæc doctrina contradicit Auguſtino, ex cujus ſententia Ianſenius putat admittendam eſſe neceſſariò indifferentiam in hoc ſtatu viatorum. Probatur. Quia ſi quando Auguſtinus docuit neceſſariò admittendam eſſe indifferentiam; hoc docuerit, dum impugnaret eos, qui eam negabant, cujuſmodi fuerunt Aſtrologi, Philoſophi Stoici Aſſertores Fati, & potiſſimùm Manichæi: Et ideo teſtimonia pleraque, ex iis quæ allata ſunt ſuperiùs ad probandam indif- Sup. contr. Nou. Aug. c. 2.

ferentiam, ſumpta ſunt ex libris ſcriptis contra Manichæos.
Lib.6.c.34. Et Ianſenius ipſe hoc fatetur, cùm dicit, *Itaque reſpondeo, argumentum eſſe veriſſimum, quo concluditur admittenda indifferentia. Quod ab ipſo Auguſtino, Damaſceno, Bernardo & cæteris, non ſolùm admittitur, ſed velut* CATHOLICÆ FIDEI IMMOBILIS BASIS *aduerſus Manichæos* ALIASQVE PESTES, VERITATIS ET LIBERTATIS INIMICAS, *inuictiſſimè defenditur, ac defendi debet.* Debet igitur admitti juxta mentem Auguſtini indifferentia, quam illæ *peſtes* negabant. Atqui non negabant illam, quam admittit Ianſenius. Quodnam enim eſt veſtigium, quod Manichæi dixerint eſſe in hac vita in quibuſdam perpetuam amandi Dei, verbi gratia, neceſſitatem, in aliis perpetuam neceſſitatem odio habendi? Vſquam-ne colligi poteſt ex iis quæ docet Auguſtinus adeò illos inſaniuiſſe, vt negarent vllam eſſe illorum actuum viciſſitudinem, vllamve interruptionem in hac vita, ne in dormientibus quidem?

Et Aſtrologi & Fatidici, qui ex ſtellis, vel ex fato in hominum voluntates deriuant certorum actuum neceſſitatem, deriuant-ne immutabilem neceſſitatem? Non admittunt varias ac diſcrepantes pro variis temporibus actuum, etiam contrariorum neceſſitates? An non igitur admittunt cum proxima ad vnum potentia, eſſe in voluntate potentiam mediatam, & remotam ad oppoſitum? An non concedunt voluntati eam flexibilitatem, quâ, *facta mutatione aliquâ in prærequiſitis ad agendum*, voluntas verti poſſit ad oppoſita? Sed hæc eſt Ianſeniana indifferentia: Ergo & illam admiſerunt Manichæi, & cæteræ *peſtes humanæ libertatis*, & aliam requiſiuit Auguſtinus, cùm eos refutauit: ac proinde minimè contentus fuit Ianſeniana indifferentia.

Atque hinc patet quàm verum ſit, & quàm cohærenter dictum id quod ſuprà retulimus ex Ianſenio, cùm Pelagiani *contentioſiſſimè* poſtularent indifferentiam, Auguſtinum *conſtantiſſimè* illam negaſſe: neque vnquam dum eos impugnat, concordiam diuinæ gratiæ cum libertate per indifferentiam explicuiſſe. Hæc enim quomodo ſtare poſſunt cum eo, quod
Lib. 6. de grat. Salu. cap. 34. docet Ianſenius, qui putat ex loco illo Eccleſiaſtici, *Deus reliquit hominem in manu conſilii ſui*, probari indifferentiam con-

tra Manichæos? Etenim Locus idem adhibetur ab eodem Auguſtino in libro de gratia & libero arbitrio, vbi diſputat contra Pelagianos, & refellit calumniam violatæ libertatis, admiſſa neceſſitate gratiæ. Ergo vt ſatisfaciat Pelagianis, eo teſtimonio vtitur, quo continetur confeſſio indifferentiæ à Manichæis negatæ.

Et ideo quod dicit Ianſenius ab Auguſtino *conſtantiſſimè* negatam indifferentiam, quam Pelagiani poſtulabant, adeò non eſt verum, vt potiùs dicendum ſit conſtantiſſimè conceſſam, dummodo non excluderent gratiam. Quod eſt, placuiſſe Auguſtino rem ipſam, ſed improbatum rei modum, quo Pelagiani vtebantur. Volebant enim hanc indifferentiam, etiam ex ea parte qua bonum reſpicit, conſtitui per naturam, ſecluſâ gratiâ: & hoc eſt quod *contentioſiſſimè* poſtulabant. Auguſtinus è contrario volebat conſtitui per gratiam: & hoc eſt quod *conſtantiſſimè* contendebat, de cætero paratus *inire pacem* cum illis, & *dextras jungere*, ſi gratiam illam admitterent, vt manifeſtè conſtat ex iis, quæ diximus ſuperiùs. Vnde jam ita poſſumus argumentari, Sup. contra Nou. Aug. c.2. arg. 33.

Pelagiani petebant vt admitteretur immediata liberi arbitrii ad vtrumlibet facultas: Sed Auguſtinus putauit concedendum quod petebant, dummodo non excluderetur gratiæ neceſſitas; Ergo Auguſtinus putauit concedendam immediatam ad vtrumlibet facultatem, dummodo non excluderetur gratiæ neceſſitas. Et hanc fuiſſe mentem Auguſtini probari poteſt ex omnibus iis teſtimoniis, quæ loco jam citato adducta ſunt. Significant enim illam expeditam ad vtrumlibet poteſtatem, ſed reſpectu boni ſalutaris, per gratiam, reſpectu mali, per naturam. Non eſt quod ea hic repetam. Lector id ſtatim intelliget, ſi ea relegat.

Tertiò hæc doctrina contradicit Tridentino: quia continet in terminis contradictoriam definitionis ejus ſententiam. Dicere enim liberum arbitrium *motum & excitatum* à Deo; eſt dicere liberum arbitrium *ſub motione, & excitatione*: & dicere, *poteſt diſſentire*, eſt dicere, habet potentiam & poteſtatem diſſentiendi. Atqui Tridentinum definit liberum arbitrium *motum* & *excitatum poſſe diſſentire*. Ergo definit liberum arbitrium ſub motione, & excitatione habere potentiam, & po-

teſtatem diſſentiendi. At juxta doctrinam Ianſenii ſuperiùs relatam & explicatam, liberum arbitrium *ſub vtrauis diſpoſitione* non poteſt oppoſita, ſed per diuinam motionem accipit poteſtatem tantùm ad conſenſum, & vt ſit poteſtas ad diſſenſum, oportet vt abeat hæc motio, & contraria aduemiat. Ergo ſub diſpoſitione diuinæ motionis, ſicut caret motione contraria, ita etiam caret poteſtate, & potentia diſſentiendi. Ac proinde aut verum eſt, *motum & excitatum* à Deo, hoc eſt ſub diuina motione *non poſſe diſſentire*: quod eſt contradictorium Tridentino: aut verum eſt, quando non habet poteſtatem, aut potentiam diſſentiendi, poſſe diſſentire, quod eſt ridiculum. Iam autem oſtenſum eſt quàm non habeat locum in ſententia Ianſenii diſtinctio ſenſus compoſiti, & diuiſi, quæ locum habet in ſententia Thomiſtarum, ob diuerſas eorum hypotheſes.

Quartò hæc doctrina contradicit Scripturæ. Nam locus Cap. 15. ille Eccleſiaſtici ſignificat euidenter immediatam facultatem ad bonum & malum: quid enim ſibi velle poſſunt verba illa, *Appoſuit tibi aquam, & ignem, ad quod volueris porrige manum tuam. Ante hominem vita & mors, bonum, & malum, quod placuerit ei dabitur illi*: poſtquam ex Sancto Auguſtino qui eis vtitur contra Pelagianos, locum habent etiam in natura lapſa? Quid inquam ſibi velle poſſunt? Nonne manifeſtè ſignificant facta per gratiam boni copiâ, perinde expoſitum eſſe ignem & aquam, vitam & mortem, hoc eſt bonum & malum? Ecquis audeat vbi paritatem Scriptura ponit, diſparitatem inducere? Quis ferat nullum eſſe tempus, in quo poſſit eſſe optio boni vel mali: ſeu in quo vtrumque ſit homini propoſitum; ſed vno tempore appoſitum eſſe bonum tantùm, & tunc non poſſe malum operari; expectandum enim eſſe vt fiat ſucceſſio diſpoſitionis alterius, quâ adueniente manus extendi poterit ad malum, ſed non poterit tunc extendi ad bonum, niſi fiat alia iterum mutatio? Hoc dicere, interpretari eſt Scripturam, an corrumpere?

Eandem vim habet, quod continetur Deuteronom. cap. 30. *Mandatum hoc, quod ego præcipio tibi hodie, non ſupra te eſt, neque procul poſitum: nec in cælo ſitum vt poſſis dicere, quis noſtrûm*

valet

valet ad cælum aſcendere, vt deferat illud ad nos, vt audiamus, atque opere compleamus. Neque trans mare poſitum, vt cauſeris, & dicas, quis ex nobis poſſit transfretare mare, & illud ad nos vſque deferre, vt poſſimus audire, & facere quod præcipium eſt. SED IVXTA TE EST SERMO VALDE, ET IN CORDE TVO VT FACIAS ILLVM. Supponamus hominem ſub motione concupiſcentiæ poſitum, & vt vult Ianſenius motione gratiæ carentem. Ille hoc ipſo quod caret gratia, caret etiam poteſtate obſeruandi mandatum, contra quod à concupiſcentia impellitur, quia illa poteſtas non datur niſi per gratiam. Quo ſenſu igitur poteſt illi dici, quod tibi præcipitur *non eſt ſupra te, nec procul poſitum, ſed eſt juxta te, valde in corde tuo?* Habere gratiam, quam Deus non vult dare, non eſt ſupra me? Eſt valde juxta me, & in corde meo, vt faciam id ad quod habeo tantùm potentiam remotam? Et ſi expectandum eſt vt veniat Dei gratia, non eſt pariter expectandum, vt de cœlo veniat, vel vt in cœlum aſcendat, qui gratiam illam afferat? Pete, inquies, & Deus dabit tibi. At numquid pariter verum eſt in ſchola Ianſenii, dum non peto, denegari gratiam ad petendum? Quid ergo faciam, & quid exigitur à me? Deus non vult mihi dare gratiam, vt impleam mandatum; non vult etiam mihi dare, vt orem, & petam quo indigeo; an eſt poſitum in poteſtate mea, vt Deus habeat voluntatem, quam habere illi non placet? Et quod pendet ex illa voluntate non eſt ſupra me? Et ego cenſebor id poſſe quod non poſſum, niſi ſuppoſita conditione, quæ non eſt; & quam ego ponere non poſſum? Et dicitur juxta me poſitum, quod tam procul diſtat à me, quàm procul eleuatur ſupra dominium creaturæ Dei voluntas? Non eſt quæſtio jam quid perdiderim, aut potiùs quid mihi perdiderit Adamus.

Quæritur quomodo verum ſit, quod Deus jam poſt illam jacturam mihi dicit: & conſtat euidenter, ſi vera ſit doctrina Ianſenii, falſum atque illuſorium eſſe quod dicit, quod cogitare blaſphemum eſt.

Adde illud quoque Eccleſiaſtici, quo beatus dicitur *is, qui potuit tranſgredi, & non eſt tranſgreſſus, facere malum, & non fecit.* Cap. 31.
Vbi enim eſt, vel quando fuit ille beatus? nonne manifeſtum eſt in doctrina Ianſenii nullum vnquam fuiſſe, qui poſſet tranſ-

gredi, & non tranſgrederetur? Age, cùm propoſitiones de præterito verificari debeant per verba de præſenti, quodnam vnquam fuit momentum, in quo verum eſſet de aliquo, *Ille iam poteſt tranſgredi, & non tranſgreditur?* Poteſt-ne quiſquam tranſgredi iuxta Ianſenium, ſi delectatio præpollens concupiſcentiæ non ponat tranſgreſſionem in poteſtate voluntatis? Et ſi illa tranſgreſſionem ponit in poteſtate voluntatis, quiſquam-ne poteſt non tranſgredi? Quid hîc laudatur niſi voluntas, ſeu volitio non tranſgrediendi? Eſt-ne autem vllus, qui potuerit habere illam volitionem, & non habuerit? vel eſt-ne vllus, qui potuerit volendo tranſgredi, & non tranſgreſſus ſit? Laudat ergo Scriptura vel quod nunquam fuit, vel quod omnium eſt. Nam ſi ſit quæſtio de potentia proxima volendi tranſgredi, nunquam illa fuit, quin fuerit tranſgreſſio, vel in effectu, vel in affectu: ſi verò ſit quæſtio de potentia tantùm remota, nemo eſt qui ea ratione poſſit tranſgredi, & tamen tranſgrediatur: ac proinde cùm dicit Scriptura, *quis eſt hic, & laudabimus eum?* reſpondere debet Ianſenius, vel nullus eſt huiuſmodi, vel omnes ſunt: & conſequenter fictitia ſunt mirabilia illa, quæ feciſſe dicitur hic beatus *in vita ſua*, quia vel nuſquam ſunt, vel communia ſunt omnibus hominibus, ac proinde non ſunt mirabilia.

Tom. 3. lib. 7. de grat. Salu. cap. 1.

Quintò, contradicit hæc doctrina communi ſenſui omnium mortalium, qui quoties libertatem indifferentiæ concipiunt, concipiunt libertatem ſolutam à vinculo neceſſitatis ad vnum determinantis, quæ in ſententia Ianſenii nunquam reperitur. Semper enim eſt neceſſitas, non eadem quidem; ſed ſemper eſt vna, vel altera: nempe vel illa, quam imponit delectatio juſtitiæ, vel illa, quam imponit delectatio concupiſcentiæ. Vnde hîc reperitur mutatio tantùm neceſſitatis, non verò exemptio. Quemadmodum autem cùm cui mutantur compedes, ita vt dum vnæ tolluntur inſerantur aliæ, nemo ſolutum dicit aut liberum; quòd ſemper compediatur, eſto non eadem compede; ita ridiculum eſt tribuere voluntati ſolutionem à neceſſitate, propterea quòd non eidem ſemper ſubſit, ſi ſemper ſubeſt alicui.

Confirmatur, quia quotquot indifferentiam tribuunt voluntati, intelligunt indifferentiam actiuam, & quæ illi conueniat tanquam cauſæ efficienti; at in ſententia Ianſenii, ſi quam habet paſſiua eſt, eique conuenit, tanquam ſubiecto recipienti.

Eò enim res tota reducitur, vt dicatur indifferens voluntas, quia poteſt recipere vel motionem gratiæ cum qua recipiet neceſſitatem bene agendi; vel motionem concupiſcentiæ, cum qua recipiet neceſſitatem malè agendi. Ipſa verò nullam prorſus habet optionem ad alterutram, ſed tota optio penes Deum eſt, cui ſi placuerit dare motionem gratiæ, imponet voluntati vnam neceſſitatem; ſi placuerit eam ſubtrahere, vel negare; ſtatim alia ſuccreſcet ex concupiſcentia, ipſa etiam nolente, & in contrarium conante iuxta Ianſenii principia. Igitur tota quæ hîc reperitur actiua indifferentia penes eum eſt, qui poteſt hoc aut illo modo ligare, tota verò quæ in voluntate reperitur, paſſiua eſt, & mera non repugnantia, vt hoc aut illo modo ligetur. Quo igitur ſenſu dici poterit per hanc indifferentiam libera voluntas ad agendum, & non agendum? Eſſe paſſiuum neceſſitatis agendi, vel neceſſitatis non agendi, hoccine liberum eſt? Quis hactenus libertatem ita eſt interpretatus?

Deinde, Eſto, poſſit voluntas, quæ vni motioni ſubeſt dici libera ad agendum id ad quod ea impellit: at tunc non poteſt dici libera ad oppoſitum, quia deficiente oppoſita motione, oppoſitus etiam effectus extra poteſtatem voluntatis ponitur ex Ianſenio: ac proinde quod dicitur, liberum arbitrium eſſe liberum ad oppoſita, falſum erit, quia nullo vnquam tempore poterit verificari propoſitio. Quotieſcumque enim dicetur liberum ad vnum oppoſitum; aliud erit extra ipſius poteſtatem. Atque ita dicetur ad ſummum liberum ad vnum, & aptum recipere libertatem ad aliud, ſi ea detur: itaque eſſe actu liberum ad vnum, & hac amiſſa libertate poſſe fieri liberum ad aliud. Quem aûtem vnquam inuenient, qui hanc indifferentiam ita interpretatus ſit?

Adde, nec ſtare poſſe quod docet Ianſenius, ex communi hominum ſenſu, arbitrium eſſe liberum idem eſſe, atque eſſe *inalligatum*, *inimpeditum*, *&c.* Sequitur enim inde, ſi ſit liberum ad oppoſita, debere eſſe inalligatum ad oppoſita. Quando aûtem verum eſt, liberum arbitrium non eſſe alligatum ad oppoſita. Nunquam enim eſt liberum niſi beneficio alicuius delectationis, vt ille dicit. Sit ergo delectatio iuſtitiæ, illa vt idem dicit *vinculum* eſt, per quod alligatur amori iuſtitiæ, & im- Tom. 3. lib. 6. de grat. Salu. c. 2.

peditur ab amore iniquitatis: quomodo ergo tunc dicitur *inalligatum*, reſpectu oppoſitorum, cùm ſit reſpectu vnius oppoſiti ligatum, & reſpectu alterius impeditum? Certè quotquot hactenus exiſtimarunt libero arbitrio concedendam eſſe aliquam indifferentiam, exiſtimarunt talem eſſe concedendam, quæ propria illius eſſet, quà liberum eſt. Ea verò quam concedit Ianſenius, vt cauſas alias prætercam, conuenit omnino appetitui brutorum. Non nego aliunde differre, quòd voluntas ſequatur cognitionem perfectiorem; ſed ex parte indifferentiæ, & modo quo voluntati conuenit iuxta Ianſenium, conſtat ex dictis nullum prorſus eſſe diſcrimen. Poteſt enim canis eodem modo in oppoſita ferri, & eandem rem fugere, quam appetebat, ſi fiat aliqua mutatio in requiſitis ad actionem: & dum vni obiecto per ſuum appetitum ligatur, ſolutus eſt atque inimpeditus reſpectu cuiuſcumque alterius: ac proinde quanta homini tribuitur à Ianſenio indifferentia, ſi attenditur ipſa præcisè indifferentiæ ratio, indifferentia canis eſt. Atque ex his ſatis colligitur quod initio propoſitum eſt, negatam à Ianſenio indifferentiam illam, quam naturalis ratio, quam Auguſtinus, quam Concilium Tridentinum, quam Scriptura admittendam definiunt: & Apologiſtam, vel non intellexiſſe Ianſenii ſententiam, vel eam diſſimulaſſe, quando dixit non negare illum indifferentiam humanæ voluntatis in hoc ſtatu rerum. Sed examinandum eſt quod inſuper addit, negaſſe tantùm eſſe libertati neceſſariam, & videndum an hoc quoque rectè negare potuerit.

CAPVT III.

An rectè Janſenius dixerit indifferentiam ad contraria, vel contradictoria non pertinere ad rationem liberi arbitrii, ſed poſſe adeſſe, vel abeſſe, ſtante illæſa libertate.

§. I. *Oſtenditur hoc dixiſſe Janſenium, & in eo ſecum pugnare, nec ab Apologiſta bene defendi.*

HOc dixiſſe Ianſenium fatetur Apologiſta, & conſtat ex locis ſuperiùs citatis. Loquimur autem de libertate, quæ neceſſaria eſt ad meritum, vel demeritum, præmium, vel pœnam. Hoc igitur inprimis nego potuiſſe à Ianſenio dici, niſi vellet ſecum pugnare. Quid enim eſt quod paulo antè retulimus, argumento quo concluditur indifferentiam eſſe admittendam, conſentire Auguſtinum, Damaſcenum, Bernardum, & cæteros, eámque concluſionem *inuictiſſimè defendere veluti* CATHOLICÆ FIDEI BASIM IMMOBILEM *aduerſus Manichæos*, ALIASQVE PESTES *veritatis, & libertatis?* Annon hinc rectè deducitur, ergo qui concluſionem illam negant, hoc eſt qui negant indifferentiam, *ſunt peſtes veritatis, & libertatis?* At, ſi poteſt abeſſe indifferentia manente illæſa libertate, quid ei nocent qui eam tollunt? Et quid eſt quod dicit, eſſe *baſim?* Quid cadet, ſi tollatur illa baſis, poſt quam libertas nihilominus ſtat? Ianſenii verba ſunt iſta. *Itaque ſi etiam in hac vita Dei inſpiratio tam ſtabiliter, ac delectabiliter, Deo operante, inhæreret voluntati, vt eam non poſſet abiicere* FELICISSIMVM, FORTISSIMVM, LIBERRIMVMQVE *meritò diceretur, atque eſſet arbitrium*, hoc eſt, ſi non eſſet indifferentia, fortiſſimum, liberrimúmque maneret arbitrium. Quid ergo ſuſtinet illa baſis? Et cur dicitur *immobilis*, quæ tolli poteſt ſine rei vllius ruina? Quod ſi *peſtes* ſunt libertatis, qui *tol-*

Lib. 6. de grat. Sal. cap. 34.

Cap. 34. lib. 6. de grat. Sal.

Lib. 8. de grat. Sal. cap. 17.

lunt hanc baſim, nonne hac lue infecta eſt Ianſenii Theologia, quæ docet non eſſe neceſſariam?

At dicet Apologiſta, quamuis indifferentia non faciat ad rationem libertatis, eſt tamen argumentum, quo libertas probari poteſt, vnde qui hoc negant, cenſeri poſſunt eſſe peſtes libertatis. Contrà, eſt-ne argumentum neceſſarium, necne? Si eſt, errat Ianſenius, qui neceſſarium eſſe negat: ſi non eſt, ergo quamuis à Manichæis negetur, non ideo libertas tollitur. Sed examinemus huius argumenti vim. Voluntatem poſſe facere, vel non facere, medium eſt, inquiunt ad inferendam ejus libertatem. Ego verò contendo in doctrina Ianſenii, medium hoc vel nullum eſſe, vel eſſe inutile. Quia ſi nihil aliud adjungatur, nullum eſt hoc medium: ſi quid aliud adjungatur, eſt inutile. Duobus enim modis poteſt confici argumentum. Primo in hunc modum. Agens appetitiuum, quod poteſt agere vel non agere, conſequenter eſt liberum: Sed hominis voluntas eſt talis. Ergo &c. Dico nullum eſſe argumentum. Quia ſi illud, poteſt agere & non agere, intelligatur de potentia proxima & immediata, minor eſt falſa. Conſtat enim ex Ianſenio, talem potentiam non conuenire voluntati, in hoc ſtatu. Si verò intelligatur de potentia remota, & ex ſuppoſitione quòd fiat mutatio in requiſitis ad agendum, maior falſa eſt. nam eo modo appetitus canis poteſt agere, & non agere, & tamen non eſt liber. Eſt igitur addendum aliquid ad illud medium. Vnde poteſt formari hoc alio modo argumentum. Agens appetitiuum, quod ex plena rationis aduertentia poteſt agere & non agere, liberum eſt; Sed talis eſt voluntas. Ergo &c. Concludit quidem argumentum. Sed illud, *& non agere*, quod eſt in maiori, ſuperfluum eſt in doctrina Ianſenii: quia perinde valet ſi dicatur, Agens appetitiuum, quod ex plena rationis aduertentia poteſt agere, liberum eſt. Si quis diceret, agens ſenſitiuum, & riſibile eſt animal, quæreremus ſtatim, quid ibi facit *riſibile*, cùm eo ſublato, nihilominus valeat propoſitio? Pariter dici poteſt de alia illa, quid ibi facit, *& non agere*, cùm perinde valeat, & concludat in doctrina Ianſenii, qui vult actionem appetitus rationalis, operantis ex plena rationis aduertentia, eo ipſo & incoactam, & liberam eſſe? Ex eo igitur capite

non ſunt rei Manichæi, quòd negent id ex quo libertas inferri poteſt quocumque modo; ſed quòd negent id quod cum ea tam neceſſariò eſt connexum, vt nec adeſſe poſſit, quin adſit libertas, nec abeſſe, quin eadem deſtruatur. Huiuſmodi autem eſt indifferentia, prout dicit proximam, & immediatam agendi, & non agendi potentiam. Hæc igitur eſt *peſtis* Manichæorum, qua tacti probantur quotquot ſimiliter dicunt indifferentiam adeſſe, & abeſſe poſſe, illæſa libertate.

§. 2. *Pugnat etiam cum ſenſu Eccleſiæ & S. Auguſtini.*

VNDE addo ſecundò, & Eccleſiam, & S. Auguſtinum indifferentiam ſumere ad probandam arbitrii libertatem tanquam medium conuertibile cum prædicato, quale debet eſſe medium demonſtratiui ſyllogiſmi. Medium, inquam, quo affirmato, affirmatur quod quis vult concludere, & quo negato, id ipſum negatur. Quòd hæc ſit mens Eccleſiæ diſcimus ex Diuo Thoma quæſtione illa ſexta de malo, vbi *hæreticam* pronuntiat eam doctrinam, non ſolùm quæ negat ex indifferentia colligi poſſe libertatem, ſed quæ putat eam retineri poſſe ſine indifferentia, cùm dicit *tollere rationem meriti, & demeriti. Non enim*, inquit, *videtur eſſe meritorium, vel demeritorium, quod aliquis ſic ex neceſſitate agit, quod vitare non poſſit.* En quid requirat ad meritum, ſeu quo ſublato ruit libertas ad merendum, & demerendum neceſſaria, *voluntatem ſic agere, quod vitare poſſit*, hæc eſt indifferentia.

Hanc eandem eſſe Auguſtini mentem conſtat ex argumentis cap. 2. allatis. Nam cùm liberum definiat, per hoc quod eſt *aliquid eſſe in noſtra poteſtate:* & aliquid eſſe in noſtra poteſtate declaret per hoc, *quod ſi volumus, facimus*, hoc eſt cujus faciendi, vel non faciendi facultas penes nos eſt, quæ eſt expreſſio indifferentiæ: & hoc *primitus* conuenire dicat actibus voluntatis; manifeſtum eſt ex Auguſtino, indifferentiam pertinere ad definitionem liberi, poſtquam pertinet ad conceptum ejus, quod eſt aliquid eſſe in noſtra poteſtate, per quod liberum definitur. Ergo illa non magis poteſt abeſſe, aut negari de libero, quàm poſſit abeſſe aut negari de definito id quod pertinet ad ejus definitionem.

Secundò, De quo negatur neceſſitas quam non poſſimus admittere aut rejicere, de eo affirmatur indifferentia ſaltem ad admittendam, aut rejiciendam hujuſmodi neceſſitatem: Sed de actibus omnibus, *quibus perperam, aut rectè viuimus*, negatur neceſſitas, quæ non ſit in noſtra poteſtate, & conſequenter quam non poſſimus admittere, aut rejicere, vt patet ex ſecundo argumento. Ergo de iiſdem affirmari debet indifferentia. Et quia Auguſtinus non putat admittendam eſſe *vllo modo* talem neceſſitatem; conſequenter nec putat excludendam *vllô modo* indifferentiam oppoſitam. Ergo repugnat Ianſenio, qui dicit hanc indifferentiam *abeſſe poſſe*.

Tertiò, Auguſtinus non putat volitionem eſſe liberam, quæ non eſt elicita, connaturaliter ſuppoſitâ plenâ rationis aduertentiâ, vt conſtat ex tertio argumento, Ianſenio & Ianſenianis conſentientibus. Eſſe autem ſic elicitam, eſt eſſe elicitam à principio, habente rationes agendi & non agendi, vt ibidem oſtenſum eſt, & conſequenter à principio conſtituto in indifferentia. Ergo non putat Auguſtinus volitionem eſſe liberam, quin ſit elicita à principio conſtituto in ndifferentia agendi, & non agendi.

Quartò, Interrogatio illa Auguſtini, de qua in argumento quarto, *Quis peccat in eo quod nullo modo caueri poteſt?* æquiualet huic negatiuæ, *Nemo peccat in eo quod nullo modo caueri poteſt:* hoc autem idem eſt, ac dicere, neminem peccare, niſi potentem non peccare, quod eſt eſſe indifferentem. Ergo hîc quoque apud Auguſtinum valet conſequentia à negatione indifferentiæ, ad negationem libertatis ſufficientis ad peccandum. Ergo falſum poſſe illam abeſſe.

Quintò, Eundem ſenſum habet quod relatum eſt in quinto argumento, de illa diſparitate, quam ponit Auguſtinus inter motum hominis, & motum lapidis, dum dicit, ideo motum hominis illi imputari, quia habet in poteſtate, vt non moueatur; lapidi autem non imputari, quia non poteſt non moueri. hoc enim eſt clarè ſignificare poteſtatem mouendi ſe, vel cohibendi motum ſuum, eſſe rationem quâ poſitâ, imputatur motus ei qui ſe mouet, & quâ ſublatâ, non imputatur. Ergo non poteſt adeſſe & abeſſe, ſtante imputabilitate illa.

In ſexto pariter oſtenſum eſt, vnicam rationem, qua vtitur Auguſtinus, cur inexcuſabiles ſint homines, qui vel ex ignorantia, vel ex infirmitate peccant, eam eſſe, quòd non deſit Dei auxilium, quo poſſint vincere difficultates illas: ideóque reos eſſe propriæ negligentiæ, de cætero abſoluendos, ſi & aliorum exemplo, & continuis, quibus à Deo pulſantur & intus & foris, inſpirationibus, non conſtaret nulla eos neceſſitate ſuccumbere tentationibus, ſed quia vti nolunt oblata facultate erigendi ſeſe; Ergo hîc quoque monſtratur, poſſe non peccare in peccatoribus requiri, vt iis peccatum imputetur: alioqui non imputandum. Idem expreſſiſſimè ſignificatur in ſeptimo, & in verbis illis relatis ex libro de quantitate animæ. *Si ita coguntur*, animæ peccare, *vt poteſtas reſiſtendi nulla ſit, non peccant.* Cap. 12. Idem & in octauo, & illa definitione peccati, ad quam requirit, vt ſit *liberum abſtinere*, quod monſtratum eſt ex mente Sancti Auguſtini pertinere ad omne peccatum, propriè dictum, etiam in ſtatu naturæ lapſæ. Idem & in nono, *vbi ſummæ iniquitati, & inſaniæ attribuit Auguſtinus, peccati reum teneri quemquam, quia non fecit quod facere non potuit.* Et *carere libero ad faciendum, & non faciendum animi motu* negat coniungi poſſe cum eo, quod eſt, *voluntate peccare.* Et in decimo, vbi dicit, *nos ideo peccare diligendo corporea, quia & iubemur, & naturâ* PER GRATIAM ADIVTA *poſſumus diligere ſpiritualia*, quæ ratio nulla eſſet, ſi peccare poſſemus, etiamſi nec gratiam vllam, nec facultatem haberemus ad abſtinendum à peccato.

Poſſem hoc modo percurrere argumenta cætera, & monſtrare perpetuam hanc fuiſſe Auguſtini cogitationem, non ſolùm adeſſe indifferentiam libero arbitrio; ſed etiam requiri, hoc eſt *abeſſe non poſſe*, contrà quàm ſentiat Ianſenius. Sed hæc ſufficiunt, & præſtat euitare tædium inutilis repetitionis. Relegat ea lector, ſi lubet, & inueniet illis ferè triginta quinque Auguſtini teſtimoniis perinde probatum, liberum arbitrium ſtare non poſſe ſine indifferentia, ac probatur reipſa non ſtare.

§ 3. *Inferuntur ex dictis aliquæ contradictiones in Ianſeniana Theologia.*

ATQVE ex his primò conſtat, quàm ſit verum quod dicit Ianſenius, Auguſtinum *nihil omnino de indifferentia* ad peccandum, & non peccandum *fuiſſe ſollicitum*, *mordicus illam negauiſſe* Iuliano poſtulanti: *Tantum eſſe ſilentium iſtius indifferentiæ contradictionis, tanquam libertati neceſſariæ, vt ad ſaluandam arbitrii libertatem ſub gratia, numquam vel ſemel eam adhibuerit in vniuerſis ſuis aduerſus Pelagianos lucubrationibus*, vnde ſuſpicari quis poſſit *eſſe merum philoſophiæ fœtum, & à nullis antiquis Gratiæ defenſoribus Auguſtino, Proſpero, Fulgentio ſub nomine libertatis arbitrii, propugnatam, requiſitam, agnitam.* Item modum hunc ſaluandi libertatem per indifferentiam contrarietatis, aut contradictionis, vel *ignotum, contemptúmque eſſe* priſcis gratiæ defenſoribus. Item, *ne vel ſemel probaſſe Auguſtinum* in libro de libero arbitrio, *eſſe illud indifferens.* Et, ſi *Auguſtini monumenta luſtremus vniuerſa, quæ contra inimicos gratiæ Pelagianos exarauit, nuſquam veſtigium apparere vllum, ex quo colligas ea ratione, vel ab ipſo defenſam arbitrii libertatem, vel gratiam cum libero arbitrio eſſe conciliandam, quod ſcilicet ſub gratia voluntatem determinante*, vt dicunt Thomiſtæ, ſimul poteſtas maneat, vt non velit, & non agat, vt iidem affirmant, dum vtuntur diſtinctione ſenſus compoſiti & diuiſi.

Tom 5. lib. 8. de grat. Saluat. c. 9.

ib. c. 18.

Patet inquam ex dictis quàm hæc verè dicantur. Cùm ex teſtimoniis illis allatis ad probandam indifferentiam, aliqua ſumantur ex lib. de Bono perſeuerant. de Correptione & gratia, de Gratia & libero arbitrio, de Peccatorum meritis, de Spiritu, & litera, qui ſcripti ſunt contra Pelagianos. Alia ex libris de Ciuitate Dei, & ex libris Retractationum, in quibus poſt exortos & confutatos Pelagianos ſcriptis, confirmantur. Ad quid autem prædicauit indifferentiam contra inimicos veritatis, niſi vti libertatem ea ratione tueretur? Poſſem addere, hinc quoque conſpici, quàm parum ſibi conſtet hic auctor, dum dicit Auguſtinum indifferentiam propugnaſſe aduerſus *peſtes libertatis, veluti baſim immobilem Ca-*

tholicæ Fidei. Quid enim hæc quæſo ſibi volunt? Diſputauit Auguſtinus cum Manichæis, vt libertatem defenderet: diſputauit & cum Pelagianis, vt probaret ſtare cum gratia, hoc eſt de libertate diſputauit contra illius deſtructores: diſputauit & contra nimios illius defenſores. Vt eſſe probaret libertatem contra illos, indifferentiam docuit *veluti baſim immobilem* Catholicæ veritatis, vt manere monſtraret contra iſtos, de illa baſi nihil omnino fuit ſollicitus? *Quin & mordicus negauit* Iuliano poſtulanti? Mordicus negauit *baſim immobilem* Fidei Catholicæ? Indifferentiam negabant Manichæi *Catholicæ Fidei baſim;* Auguſtinus quia eam etiam negare videbatur, à Pelagianis Manichæus vocatus eſt; & vt ſe purgaret apud Pelagianos, quòd eam deſtruxiſſet, numquam negauit ſe deſtruxiſſe, nuſquam illius meminit, *numquam vel ſemel eam adhibuit, non propugnauit, non requiſiuit, contempſit, non agnouit?* Quid? Auguſtinus numquam negauit crimen, cujus accuſabatur à Pelagianis? Iuliano poſcenti noluit vnquam confiteri *Catholicam veritatem, & baſim fidei*, quam contra Manichæos propugnarat? Zelus an prouidentia illi defuit in Pelagianis ad fidem reducendis, dum quod poterat, & quod debebat, recuſauit, negata poſcentibus confeſſione *catholicæ veritatis, & occultata baſi Catholicæ Fidei?* Saltem hoc diceret, ſe quidem indifferentiam admittere, ſed non tanquam neceſſariam ad rationem libertatis. At, ne ſemel quidem illius meminiſſe, nec agnouiſſe, contempſiſſe etiam veluti ſomnium humanæ philoſophiæ, quis hoc ferat? Eamdem fidei baſim petunt, & Manichæi, & Pelagiani: Manichæi, vt diruant; Pelagiani, vt opponant neceſſitati diuinæ gratiæ; contra vtroſque Auguſtinus pugnat, & ita pugnat, vt contra Manichæos indifferentiam omnino propugnet, contra Pelagianos verò an ſtet cum diuina gratia, numquam aſſerat, hoc eſt, ejus rei de qua eſt quæſtio, numquam loquatur? Si eſt baſis Catholicæ Fidei eſſe indifferentiam; eſt etiam baſis Catholicæ Fidei eſſe ſub gratia; vtrumque Auguſtino defendendum eſt, alterum contra Manichæos, alterum contra Pelagianos; illud defendit, de iſto Pelagianis nequicquam vrgentibus non cogitauit? O Nou-Auguſtiniani, ita-ne verò!

Tom. 3. lib. 8. de grat. Saluat. cap. 4. ib. cap. 5. Sed vide, Lector, rem aliam in Ianſeniana Theologia mirabilem. Poſtquam oſtendit Ianſenius ſe ſuam doctrinam tueri poſſe per vſum diſtinctionis ſenſus compoſiti, & diuiſi, vt Thomiſtæ ſuam; addit poſtea quod paulo antè retulimus, *ſi Auguſtini monumenta luſtremus vniuerſa contra Pelagianos exarata, nullum veſtigium appariturum, quòd eo modo ipſe libertatem tueatur.* Quod eſt, vſum ſenſus compoſiti, & diuiſi, rem eſſe apud Auguſtinum ignotam, præſertim in ea diſputatione, qua Pelagianos impugnauit, negantes libertatem & indifferentiam ſtare poſſe cum gratia. Et deinde vt tueatur phantaſticam illam indifferentiam, quam admittit, *Dicimus igitur*, inquit, *liberum arbitrium quantumcumque vehementi atque efficaci* Cap. 10. *gratiæ delectatione præuentum, atque determinatum ad faciendum bonum, adhuc tamen poſſe bonum, non tantùm non facere, ſed etiam malum. Verum eſt enim, non quidem in ſenſu compoſito, vt vulgò dici ſolet, ſed in ſenſu diuiſo ..... qua de re qui plura volet, auctores, qui de phyſica prædeterminatione tractant conſulendi ſunt, ſic enim illi indifferentiam contradictionis, atque contrarietatis, quam ipſi libertatem arbitrii vocant, cum illa prædeterminatione conciliant.* Hoc est igitvr qvod sanctvs Avgvstinvs tradit, *quando toties docet concupiſcentiam, & ignorantiam, per quam nunc omnia peccata committuntur, non auferri ex nobis, quamdiu in hac mortali vita verſamur: hinc fit enim quod in nobis non ſolùm ipſa potentia voluntatis, quæ de ſe ad malum flexibilis eſt; ſed etiam pondus ad peccandum remanet, quod eſt peccandi poteſtas perfectiſſima ...... propter quam ſanè liberum arbitrium, qualicumque gratia ad agendum rapiatur, rectiſsimè dici poteſt poſſe peccare, licèt fieri nequeat, vt ipſum peccatum ſimul in ſenſu compoſito cum gratiæ operatione ſocietur.* Hoc eſt, inquit, quod Sanctus Auguſtinus tradit. Quid tradit? Hoc quod dicunt Thomiſtæ, dum vtuntur diſtinctione ſenſus compoſiti, & diuiſi. Tradit igitur diſtinctionem illam, & licèt iiſdem terminis non vtatur, tradit tamen ipſam rem. Hinc verò quid fit? Fit, inquit, *vt poteſtas perfectiſsima peccandi* maneat in nobis, etiam ſub motione gratiæ. Vnde iterum fit, liberum arbitrium, quantumcumque rapiatur à diuina gratia, poſſe peccare, *non tamen in ſenſu compoſito.* Hoc autem eſt liberum arbitrium eſſe indifferens: ergo ex doctrina Auguſtini colligitur, & eſſe indif-

ferens liberum arbitrium, quantumuis à diuina gratia raptum; & illam indifferentiam bene ſaluari per diſtinctionem ſenſus compoſiti, & diuiſi, ſiue per rem illis vocibus ſignificatam. Hæc autem vbi tradit Auguſtinus? Certè ſi vſquam, maximè in libris contra Pelagianos ſcriptis, & in ea potiſſimum quæſtione, qua contendit neceſſariam eſſe gratiam libero arbitrio concupiſcentiæ ſeruo, hoc eſt, in ea quæſtione, qua coniungi, & conciliari vult liberum arbitrium, & gratiam. In ea igitur quæſtione, & indifferentiam docet ſtare cum gratia, & diſtinctionem tradit ſenſus compoſiti & diuiſi, ad eam tuendam. Et tamen Auguſtinus nihil omnino de indifferentia fuit ſollicitus: *mordicus* eam negauit Pelagianis: *contempſit* illam, *non agnouit*: & nullum eſt in omnibus ejus ſcriptis veſtigium, quòd putauerit ea ratione gratiam cum libero arbitrio conciliandam: aut quòd adhibuerit diſtinctionem ſenſus compoſiti & diuiſi. Hæccine ſtare ſimul poſſunt?

Sed illud quod dicit mirabilius, Auguſtinum in libro de Gratia & libero arbitrio, *ne vel ſemel* probaſſe, eſſe illud indifferens: cùm conſtet, quod jam antè notatum eſt, ad probandum liberum arbitrium attuliſſe locum illum Eccleſiaſtici, quo, ipſo Ianſenio conſentiente, continetur probatio indifferentiæ contra Manichæos. Eadem ſcriptura an alium habet ſenſum quando Manichæis proponitur, & alium quando proponitur Pelagianis? Et quod dicit Auguſtinus, vt alia omittam. *Semper eſt autem in nobis voluntas libera, ſed non ſemper eſt mala*, quem ſenſum habet? Nonne intelligit eſſe liberam ad bonum, & ad malum? Eſſe autem liberam ad bonum & ad malum, non eſt eſſe indifferentem, apud Ianſenium? Ergo indifferentem probat Auguſtinus in libro de gratia & libero arbitrio.

Eccl. c. 15.

lib. de gratia, & lib. arbit. cap. 15.

§. 4. *Rejicitur quod dicit Apologiſta, ita ſe habere indifferentiam ad definitionem liberi arbitrii, ſicut* eſſe mortale *ad definitionem hominis.*

CONSTAT tertiò, nihil eſſe quod dicit Apologiſta, Patres ita definire liberum arbitrium per indifferentiam

agendi & non agendi, quemadmodum definiunt interdum hominem, quòd ſit *animal rationale, mortale*. A qua definitione ſicut tolli poteſt τὸ *mortale*, retentâ hominis eſſentiâ, ita manere naturam liberi arbitrii, ſublatâ indifferentiâ: ſed eſt abſurda cogitatio. Ponamus enim duas iſtas definitiones, Homo eſt animal rationale, mortale: & iſtam, Liberum arbitrium eſt facultas agentis intellectiui, quæ poteſt agere, & non agere. Tolle jam à priore τὸ *mortale*: remanet integra definitio, nempe homo eſt animal rationale. Tolle à poſteriore τὸ, *quæ poteſt agere, & non agere*. Quid manet? Facultas agentis intellectiui præcisè eſt-ne liberum arbitrium? Manifeſtum igitur eſt diſcrimen: & vel ex hoc conuincitur ex mente Patrum, indifferentiam eſſe libero arbitrio eſſentialem. Quia, id quo ſublato deſtruitur alicuius rei definitio, maximè pertinet ad eſſentiam: Sed ſublatâ indifferentiâ deſtruitur liberi arbitrii definitio illa, quam ſancti Patres ſolent tradere: Ergo indifferentia maximè pertinet ad eſſentiam liberi arbitrii, ex mente Patrum. Patres, quorum meminit Apologiſta, numquam definiunt hominem per τὸ *mortale* ſolùm, ſed per rationale mortale, hoc eſt per differentiam neceſſariam, & ſuperfluam. Vnde ablatâ ſuperfluâ, remanet neceſſaria. At verò liberum arbitrium paſſim definiunt, indifferens ad agendum & non agendum, nullâ aliâ appoſitâ differentiâ. Et ideo ſi hæc tollatur, exhauritur definitio, ſublatâ differentiâ, & relicto ſolo genere. Quare Apologiſta parum feliciter vſus eſt occaſione iſta explicandæ ſuæ eruditionis.

Addo neminem ex Patribus dicere vnquam, ſi homo deſinat eſſe mortalis deſiturum eſſe hominem, hoc enim hæreticum eſt. At jam conſtat pluſquam triginta teſtimoniis Sancti Auguſtini, liberum arbitrium non fore liberum, quantum ſatis eſt ad merendum, & demerendum, ſi non eſſet indifferens. Vidimus idipſum teſte Sancto Thomâ pertinere ad doctrinam fidei. Oſtendimus id dicendum conſequenter ad principia etiam ipſius Ianſenii. Et ſi hæc non ſufficiunt,

§. 5. *Neceſſitas indifferentiæ ad libertatem arbitrii probatur ex Tridentino, & ex Bulla contra Baium, & Janſenium.*

PROBATVR vltimò tum ex Concilio Tridentino, tum ex definitionibus Pontificum, contra Michaelem Baium, atque Ianſenium. Nam quod attinet ad Concilium Tridentinum. Nemo dubitat quin definierit quod erat neceſſarium ad tuendam libertatem arbitrii contra Caluinum: hoc enim, & Catholici omnes putant, & Caluinus ipſe ita interpretatus eſt, dum credidit ſe peti definitionibus Tridentini. Atqui neque Caluinus in alio contradicit Tridentino, quod attinet ad hanc quæſtionem: neque Tridentinum in alio damnat Caluinum, quàm in hoc puncto, quòd liberum arbitrium poſſit diſſentire motioni gratiæ, eóque ſenſu habeat *vim electiuam in vtramque partem ſolutam & liberam*, quod eſt id quod potiſſimum Caluinus negat, cùm conſentiat in cæteris v. g. quòd liberum arbitrium agat, quòd agat voluntariè, quòd agat ſine coactione, vel ſine neceſſitate coactionis, quòd agat cum maxima inclinatione, quòd agat ſuppoſitâ rationis aduertentiâ: iſta omnia concedit Caluinus, & illud vnum negat, *ita agere, vt poſſit non agere*. Ergo vel non deſtruxit arbitrii libertatem, contraquàm putant omnes Catholici; vel in hoc deſtruxit: & pariter, vel Tridentinum non aſſeruit arbitrii libertatem, contra Caluinum, vel in hoc aſſeruit. Ergo indifferentia eſt id, quo ſtabilito, ſtabilitur arbitrii libertas, & quo negato, negatur. Et qui repugnant, hoc demum agunt, vt videatur Caluinus pugnaſſe pro vera & proptia, hoc eſt eſſentiali libertate arbitrii: Tridentinum autem pro ſpuria, & accidentali.

De definitionibus Pontificum conſtat ex Bulla, contra Baium, & contta Ianſenium, in qua damnantur hæ propoſitiones. *Quod voluntariè fit, etiamſi neceſſariò fiat, liberè tamen fit. Sola violentia repugnat libertati hominis naturali. Is libertatis modus, qui eſt à neceſſitate, ſub libertatis nomine non reperitur in ſcripturis, ſed ſolum nomen libertatis à peccato. Homo peccat etiam*

damnabiliter in eo, quod neceſſariò facit; quibus addi poſſunt hæ: *Pelagianus eſt error dicere quòd liberum arbitrium valet ad vllum peccatum vitandum.* Item, *Liberum arbitrium ſine Dei adiutorio nonniſi ad peccandum valet. Definitiua hæc ſententia, Deum homini nihil impoßibile præcepiſſe, falsò tribuitur Auguſtino, cùm Pelagii ſit.* Quibus propoſitionibus damnatis, apertum eſt, damnari doctrinam, quæ indifferentiam non putat eſſe neceſſariam libero arbitrio.

Tom. 3. l. 6. cap. 36. Ianſenius duas tantùm priores refert, & duplicem adhibet ſolutionem, vt eligat Lector eam, quæ illi magis arriſerit. Reſpondet igitur primò, *Reſpectum haberi ad ſignificationem huius temporis, quo liberum nihil dicitur à Scholaſticis, niſi quod ſit cum indifferentia, ſaltem contradictionis: & quidquid non ita ſit, non liberum vocant. Illam autem ſignificationem non ita fuiſſe à veteribus Patribus vſurpatam, ex allegatis teſtimoniis id expreſsè conteſtantibus aperiſſimum eſſe, & multo pluribus demonſtrari poſſe: hoc ergo ſenſu vulgatiſſimo certum eſſe, vtramque propoſitionem falſam.* Iſtorum verborum hæc eſt candida ſinceráque ſententia, Scholaſticos iam libertatem arbitrii conſtituere in indifferentia agendi, & non agendi: Patres antiquos conſtituiſſe illam in immunitate à coactione, ſuppoſitâ rationis aduertentiâ: Pontifices damnantes propoſitiones prædictas conformaſſe iudicium ſuum Scholaſticis potiùs, quàm Patribus. Atqui videndum eſt vtri potiùs verum dicant. Hoc etiam Ianſenius explicat his verbis: *Et ſanè* Tom. 3. l. 7. cap. 14. *ſi non eſt alia libertas vera voluntatis quàm agendi & non agendi, ſeu faciendi & abſtinendi ab eo quod facis; grauiſſima abſurda euitari nequeunt, quibus non ſolùm tota doctrina Auguſtini funditus concutitur; ſed etiam ſenſus Chriſtianæ pietatis læditur, & communis offenditur.* Ita ille orditur caput, cui titulum præfixit, *Afferuntur quatuor abſurda, quæ ex neceſſitate talis indifferentiæ contradictionis ſequuntur.* Addit paulò pòſt, *effectum gratiæ diametraliter repugnare philoſophicæ libertati, ſeu indifferentiæ libertatis.* Similia pleraque apud Ianſenium occurrunt contra indifferentiam, tanquam libertati arbitrii neceſſariam. Vnde ſequitur in hac controuerſia, qua diſputatur, *vtrum libertas conſiſtat in indifferentia, vel eam includat neceſſariò*, Scholaſticos qui partem affirmantem ſequuntur, non ſolùm Auguſtino repugnare,

ſed

ſed etiam *lædere ſenſum Chriſtianæ pietatis*: & docere *quæ diametraliter repugnent eff. ctui gratiæ*: & vnde ſequantur *ſeptem abſurda* admodum grauia: qui verò contrà ſentiunt, conſentire Auguſtino. Et quia in hac parte Auguſtini ſenſûs, Eccleſiæ antiquæ ſenſus eſt, vt dicitur in præfatione libri ſexti; eoſdem antiquam Eccleſiæ fidem tenere. Quæ cùm ita ſint, quatuor tamen Summos Pontifices, qui vel promulgarunt, vel confirmarunt Bullam contra Baium atque Ianſenium, Tom. 3. ſequi maluiſſe Scholaſticos quàm Patres illos, hoc eſt, ſequi maluiſſe errantes, quàm rectè ſentientes. Hæc eſt ſententia Epiſcopi Catholici, de cætero auctoritatis Sedis Apoſtolicæ obſeruantiſſimi. Sed mirabile eſt quod addit, *hoc ſenſu vulgatiſſimo* ſcholaſticorum, *certum eſſe propoſitiones illas eſſe falſas*, quaſi diceret, conſequenter fuiſſe damnandas. Ex eo enim ſequitur potiùs non fuiſſe damnandas. Cùm enim vulgatiſſimus ille ſenſus, erroneus ſenſus ſit; quod non eſt falſum niſi ex præſumpta veritate erroris, dici debet verum potiùs quàm falſum: neque vt falſum damnari poteſt, niſi ab eo qui errat.

Secunda ſolutio eſt, prædictas propoſitiones eſſe falſas, quòd non excipiantur motus improuiſi, qui & voluntarii ſunt, & ſine violentia, nec tamen ſunt liberi. Voluiſſe igitur Pontifices ſtabilire tales motus non eſſe liberos, ne iretur in errorem humanæ vitæ perniciosum, quem hæretici hujus temporis protulerunt. Sed primò oſtendendum eſſet quinam ſint hæretici hujus temporis, qui dixerint motus illos eſſe liberos. Dicunt quidem eſſe peccata, ſed non ideo eſse liberos. An illis majorem tribuunt libertatem, quàm ipſis actibus voluntatis beneficio gratiæ elicitis, quibus eam negant? Deinde, ne quod dicitur in primis illis propoſitionibus intelligeretur de motibus indeliberatis, ſatis erat prouiſum à Baio in prop. 75. vbi habetur, tametſi motus illi ſint prohibiti præcepro *non concupiſces*, & contineant tranſgreſſionem, & veram inobedientiam, *non tamen in peccatum deputari*: quod eſt dicere, non habere ſufficientem libertatem ad imputabilitatem culpæ & demeriti.

Quòd ſi ea cogitatio Pontifices tangebat in damnandis propoſitionibus illis, ne ſcilicet *occaſionem darent hæreticis*, nonne debuerant juxta doctrinam Ianſenii, abſtinere potiùs à

cenſura : cùm ſit manifeſtum ex illa cenſura conjuncta cum doctrina Ianſenii ſequi concluſionem Caluini ? Nam cùm doctrina quæ continetur duabus illis propoſitionibus: *Quod voluntariè fit, etiamſi neceſſariò fiat, liberè tamen fit*, & *Sola violentia repugnat libertati hominis naturali*, hac vna propoſitione includatur, *Sola neceſſitas agendi quæ violenta eſt, repugnat libertati:* & hujus propoſitionis damnatio ſit approbatio contrariæ ; ſequitur hanc eſſe approbatam, *Neceſſitas agendi, etiam illa quæ non eſt violenta, repugnat libertati.* Et quia violentia cum coactione confunditur apud Ianſenium, ſequitur iſtam pariter appobatam, *Neceſſitas agendi, etiam illa quæ non eſt coactiua, repugnat libertati:* cui ſi hæc alia addatur Ianſeniana propoſitio, *Sed in actu voluntatis conſentientis diuinæ gratiæ, vel concupiſcentiæ, eſt talis agendi neceſſitas*; inde ſequitur Caluini concluſio, *Quod in illo actu non eſt libertas.* Occaſionem ergo ita concludendi vitare potiùs debuerant Summi Pontifices, ſi bene Ianſenius philoſophatur. Supponi autem aduertentiam rationis in iis de quibus fiunt propoſitiones illæ, perſpicuum eſt ; quia vbi non eſt talis aduertentia, dicitur tranſgreſſio non imputari ad peccatum, vt retulimus ex Baio; & vbi eſt prædicta neceſſitas, dicitur imputari: vnde eſt illa propoſitio, *homo peccat etiam damnabiliter in eo quod vitare non poteſt.* Igitur vbi eſt talis neceſſitas, ſupponitur non deeſſe vſus rationis, & tamen definitur quòd tollat libertatem. Videant igitur Baiani quid negare velint, an minorem propoſitionem quæ Ianſenii eſt, an majorem quæ definitur à Summis Pontificibus, ne cogantur concluſioni conſentire, quæ eſt Caluini. Certè admodum abſurdum eſſet, ſi quis vellet omnes illas propoſitiones antea relatas, quibus excluditur indifferentia, de pueris interpretari, vel de amentibus, quaſi Baius de illis tantùm loquutus ſit. Et eſt notandum inprimis id quod dicit idem Baius, *Scripturam non vocare libertatem, eam quæ eſt libertas à neceſſitate.* Vult enim ſignificare, dummodo ſit libertas à peccato, parum referre iuxta ſenſum Scripturæ, quòd ſit aut non ſit libertas à neceſſitate, quæ eſt ipſa Ianſenii doctrina, conſequenter damnata in illa propoſitione.

Tom.3. lib. 7. cap. 7.

CAPVT IV.

De Sententia S. Thomæ.

§. 1. *Explicatur quod objicitur ex S. Thoma, 3. contra gentes cap. 138.*

PROPOSITVM eſt in hac controuerſia ſententiam potiſſimùm exquirere Sancti Auguſtini. Sed quia monet Apologiſta, quid ſenſerit Sanctus Auguſtinus, ex Sancto Thoma poſſe diſci; videamus quid ſentiat Sanctus Thomas iis locis quos ille citat. Citat autem inprimis lib. 3. contra gentes cap. 138. vbi Sanctus Doctor dicit, *Eſſe quandam neceſſitatem ex interiori inclinatione procedentem, quæ laudem virtuoſi actus non minuit, ſed auget. Facit enim voluntatem magis attentè tendere in actum virtutis; & quantò fuerit perfectior, tantò vehementiùs voluntatem faciet tendere in bonum virtutis, & minùs ab eo deficere, & ſi ad finem perfectionis deuenerit, quandam neceſſitatem infert bene agendi, vt in beatis qui peccare non poſſunt.* Lib. 3. Apol. 2. cap. 3. punct. 4.

Vnde inferendum eſt, ergo indifferentia contradictionis non eſt neceſſaria libero arbitrio. Sed huic Apologiſtæ dici poteſt illud, *Putas-ne intelligis quæ legis?* Quid enim eſt *eſſe quandam neceſſitatem, quæ cùm deuenerit ad finem perfectionis infert quandam neceſſitatem bene agendi vt in beatis?* Non hinc rectè ſequitur, ergo antequam deueniat ad illum finem, eſt neceſſitas quæ nullam infert neceſſitatem bene agendi? Ergo eſt neceſſitas quæ relinquit in hac vita paratam in vtrumque oppoſitorum facultatem, & *bicornem* illam libertatem, à qua ne feriatur Ianſenius tantopere ſibi cauet. Quid igitur fiet de illa doctrina, qua ſub delectatione iuſtitiæ dicitur eſſe in hac vita inuicta neceſſitas bene agendi, & ſub delectatione concupiſcentiæ inuicta neceſſitas malè agendi, adeò vt oporteat mutari diſpoſitionem illam, vt voluntas feratur in oppoſitum? Non intelligit. Apologiſta Sanctum Auguſtinum

hoc loco Sancti Thomæ lingua verberare Ianſeniſmum, & præcipuas quibus fulcitur columnas ſubuertere? Sed pergamus.

Hæc neceſſitas (inquit Diuus Thomas) cùm deuenerit ad finem perfectionis, *quandam neceſſitatem infert ad bene agendum.* Quænam eſt iſta *quædam neceſſitas?* Id ipſe ſtatim explicat, *ſicut eſt in beatis qui peccare non poſſunt.* Hæc verò eſt neceſſitas oppoſita indifferentiæ ad contraria, hoc eſt ad faciendum bonum, aut malum: & quæſtio noſtra eſt de neceſſitate oppoſita indifferentiæ ad contradictoria, hoc eſt, ad agendum vel non agendum. Nonne igitur in Apologiſtam aptiſſimè quadrat quod alicubi Ianſenius exprobrat ei qui de cæpis interrogatus, de aliis reſpondet? In beatis excepto Deo clarè viſo, & iis objectis quæ cum eo intelliguntur habere neceſſariam connexionem, indifferentia eſt perfectiſſima ad agendum vel non agendum: ideóque eſt liberum arbitrium, quamuis ſit impoſſibilitas malè agendi, hoc ſignificat Diuus Thomas, & nihil aliud.

Quòd ſi Apologiſta ſeriò voluiſſet cognoſcere mentem Sancti Thomæ, & conſequenter ſancti Auguſtini circa neceſſitatem indifferentiæ contradictionis ad conſtituendam rationem liberi arbitrij, non deerat vel ex hoc ipſo opere contra gentes vnde Ianſeniſmum dediſceret.

§. 2. *Oſtenditur pluribus aliis teſtimoniis ex eadem Summa contra Gentiles, indifferentiam ad libertatem arbitrii neceſſariò requiri.*

cap. 68. OCCVRRISSET enim primò quod eſt in libro primo, vbi cum influentia cauſæ primæ ſtare dicit dominium quod habet voluntas in actus ſuos: & illud dominium indifferentiam includere ad contradictoria: & excludere determinationem virtutis ad vnum. Vnde ſequitur nec in Deo eſſe dominium reſpectu amoris quo ſe amat: nec in beatis reſpectu amoris quo Deum amant; cùm vtrobique ſit virtus ad vnum determinata, & abſit indifferentia. Verba Sancti Thomæ ſunt: *Dominium autem quod habet voluntas ſupra ſuos actus,*

per quod in ejus eſt poteſtate velle, vel non velle, EXCLVDIT DETERMINATIONEM VIRTVTIS AD VNVM, *& violentiam cauſæ exteriùs agentis : non autem excludit influentiam ſuperioris cauſæ à qua eſt in eſſe, & in operari.*

Occurriſſet ſecundò ex libro 2. *Inueniri in ſubſtantiis creatis quaſdam, quæ non agunt ſeipſas ad operandum, ſicut inanimata, plantæ, & animalia bruta. Non enim eſt in eis agere, & non agere. Eſſe autem ſubſtantias intellectuales quæ ſe agunt ad operandum : & hoc eſſe proprium voluntatis, per quam ſubſtantia aliqua eſt domina ſui actus*, VTPOTE IN IPSA EXISTENS AGERE ET NON AGERE. Et quia Ianſenius fatetur dominium in ſuum actum pertinere ad rationem liberi arbitrii ; ſtatim intuliſſet, pertinere igitur ad rationem liberi arbitrii, *agere, & non agere*, quæ eſt indifferentia contradictionis : nec aliam eſſe rationem cur illud non reperiatur in brutis, quàm quia in illis non reperitur talis indifferentia. Cap. 47.

Occurriſſet tertiò ibidem vera ratio, cur liberum arbitrium non poſſit non eſſe indifferens. Nempe quia *intellectualia habent judicium de agendis non determinatum ad vnum.* Vnde fit, quia voluntas quæ ab intellectu mouetur, debet eſſe proportionata mouenti ſe, *nec ipſam eſſe à natura determinatam niſi ad bonum in communi* : & quia communis illa ratio boni participatur ab hoc & illo particulari bono ; conſequenter manere voluntatem indeterminatam ad quodcumque bonum particulare : nec adigi ex natura ſua vllâ neceſſitate, vt vnum appetat : quandoquidem aliud quoque bonum pariter eſt : Ergo dum prælucet illa indeterminata cognitio, eſſe conſequenter indifferentem, & indeterminatam voluntatem ad ſequendum quod proponitur : ac proinde idem eſſe loqui de volitione, quæ ſequitur ex præuia rationis aduertentia, circa bona creata, vel circa increatum obſcurè cognitum ; ac loqui de volitione elicita à principio indeterminato, & indifferenti. Qua vna ſolutione, velut vno ictu præcidiſſet Apologiſta immanem ſyluam inutilium argumentorum, quibus Ianſenius conatur oſtendere, tum ex Sancto Auguſtino, tum ex Sancto Bernardo, atque aliis, propterea non requiri indifferentiam ad libertatem arbitrii, quòd illi Sancti Patres aſſerant, hoc ipſo quod aliquid voluntate

fit, liberè fieri. Cùm enim intelligant volitionem prælucenti judicio rationis conformem; quid mirum, quòd ſignificent eo ipſo quòd eſt talis volitio, eſſe liberam, cùm eo ipſo ſit elicita à principio indifferenti?

Cap. 73. Occurriſſet quartò quod eſt libro 3. Vbi pro eodem accipit libertatem voluntatis, & modum illum quem habet operandi contingenter, & cum poteſtate ad vtrumlibet. Et ideo vt probet pertinere ad prouidentiam conſeruare libertatem, argumentum petit ex eo quòd debeat conſeruare quod eſt perfectionis in creatura, potiùs quàm quod eſt imperfectionis. *Perfectionis autem eſſe in voluntate quod contingenter agat*, QVIA NON HABET VIRTVTEM LIMITATAM AD VNVM: ET HABET IN POTESTATE PRODVCERE HVNC EFFECTVM VEL ILLVM: *propter quod eſt contingens ad vtrumlibet.* Vnde concludit, *magis igitur pertinere ad prouidentiam diuinam, conſeruare libertatem voluntatis, quàm contingentiam in naturalibus cauſis.* Quæ ratiò nihil probaret, niſi poteſtas illa ad vtrumlibet, crederetur eſſe à Sancto Thoma vel ipſa libertas, vel intrinſeca libertati. Et valde notandum eſt, quòd contingentiam in cauſis naturalibus tribuat imperfectioni, in voluntate autem perfectioni. Nulla enim eſt alia ratio, quàm quia numquam contingit cauſam naturalem non producere effectum ſuum, quin ſit aliquis defectus, ſeu defectus alicujus neceſſarii ad agendum: at verò voluntas non agit, etiam tum cùm nihil deeſt ad agendum; ſed ex mero dominio quod habet in ſuum actum, cujus exprimendi aut ſupprimendi arbitrium habet. Quod apertè ſignificat immediatam ad vtrumque potentiam.

Cap. 155. Occurriſſet quintò ex eodem libro 3. *Quòd licèt homo per voluntatem & liberum arbitrium ſit dominus ſui actus, non tamen eſt dominus ſuarum naturalium potentiarum: & ideo licèt liber ſit ad volendum, vel ad non volendum aliquid; non tamen volendo facere poteſt quod voluntas in eo quod vult, ad id quod vult vel eligit immobiliter ſe habeat.* Supponitur adeſſe vtrobique Dei gratia, & cùm homo ex libertate & cum indifferentia aliquod bonum vult; & cùm immobiliter ſe habet ad id quod vult. Et tamen in ea ſuppoſitione negat S. Thomas & dominium & libertatem eſſe in ſecundo caſu, aſſerit autem eſ-

ſe in primo, in quo reperitur indifferentia. Quod quis non videt quàm capitaliter repugnet doctrinæ Ianſenii, qui contendit & dominium perfectum, & plenam arbitrii libertatem reperiri potiſſimùm in iis actibus atque objectis quibus voluntas *immobiliter inſeparabiliterque* adhæret.

Occurriſſet ſextò ex eodem libro, *Cùm ſit in poteſtate liberi arbitrii* IMPEDIRE DIVINÆ GRATIÆ RECEPTIONEM, VEL NON IMPEDIRE; NON IMMERITÒ IN CVLPAM IMPVTARI EIQVE IMPEDIMENTVM PRÆSTAT GRATIÆ RECEPTIONI. *Deum quantum in ſe eſt paratum eſſe omnibus gratiam dare. Velle enim omnes homines ſaluos fieri, & ad cognitionem veritatis venire, vt dicitur ad Tim. 2. Sed illos gratia priuari, qui in ſe ipſis gratiæ impedimentum præſtant; ſicut ſole mundum illuminante imputatur ei qui oculos claudit, ſi ex hoc aliquid malum ſequatur, licèt videre non poſſit niſi lumine ſolis præueniatur.* Cap. 159.
Quid eſt autem ideo imputari homini, quòd ad Deum non conuertatur, quòd ſit in poteſtate liberi arbitrii impedire vel non impedire ne gratiam ad conuerſionem neceſſariam recipiat? Nonne idem eſt, ac ex indifferentia quam habet ad impediendam vel non impediendam Dei gratiam, ſequi imputabilitatem non conuerſionis, quæ nulla foret, ſi talis indifferentia deeſſet? Nam quod dicit ſequenti capite, *Si homo per inordinationem præcedentem declinauerit ad malum, non eſſe omnino in poteſtate ejus nullum impedimentum gratiæ ponere* per peccatum: explicat Sanctus Doctor quomodo intelligatur. Nimirum vult non poſſe abſtinere ab omni peccato longo tempore: ſed aliquo tempore abſtinere poſſe putat ab omni: & ſemper à quocumque determinato ſigillatim ſumpto. Hoc enim ſignificat cùm dicit, *Etſi enim ad aliquod momentum ab aliquo peccati actu particulari poſſit abſtinere* PROPRIA POTESTATE, *ſi tamen diu ſibi relinquitur, in peccatum cadet, per quod gratiæ impedimentum præſtatur.* Et iterum: *Præterea, licèt ille qui eſt in peccato non habeat hoc in propria poteſtate, quòd omnino vitet peccatum;* HABET TAMEN POTESTATEM NVNC VITARE HOC VEL ILLVD PECCATVM, *vt dictum eſt, vnde quodcumque committit, voluntariè committit, & ita non immeritò ei imputatur ad culpam.* Vbi vides iterum propterea imputari quodcumque peccatum, quia ita voluntariè

fit, vt vitari poſſit, hoc eſt, quia cum indifferentia committitur. Quomodo autem aliquo tempore vitari poſſit & aliquo non poſſit, paulo antè docuit cùm dixit. *Illud autem ad quod mens magis ſe habet eligit, niſi per rationis diſcuſſionem ab eo quadam ſollicitudine abducatur. Non eſt autem poſsibile mentem hominis continuè in illa vigilantia eſſe, vt per rationem diſcutiat quidquid debet velle, vel agere. Vnde conſequitur, quòd mens aliquando eligat id ad quod inclinatur inclinatione manente. Et ita ſi inclinata fuerit in peccatum; non ſtabit diu quin peccet, impedimentum gratiæ præſtans, niſi ad ſtatum rectitudinis reducatur.* Conſtantiam nimirum, & diuturnam in peccato vitando perſeuerantiam tantùm negat, propterea quòd etſi per rationis diſcuſſionem abducere mentem poſſit à peccando in vna occaſione; at ita ſemper vigilare ſuccedentibus aliis occaſionibus, non eſt fragilis & corruptæ ac cæcutientis naturæ. Itaque hinc habemus & indifferentiam ad imputabilitatem peccati neceſſariam, & poteſtatem liberi arbitrii ad vitandum peccatum in quod cadit, ſaltem cum communibus auxiliis; vnde fiat indignus vlteriori gratia conuerſionis: quod capitaliter repugnat Ianſenianæ peccandi neceſſitati.

At numquid diſſimulandum eſt illud quoque, quo aliam Ianſeniſmi columnam euertit, de Deo nolente ſaluare niſi prædeſtinatos, & de ſalute reproborum hominum nihilo magis cogitante quàm de ſalute diaboli? Quid eſt, *Deus quantum eſt de ſe paratus eſt omnibus gratiam dare quod velit omnes homines ſaluos fieri, & ad cognitionem veritatis venire?* De iis loquitur qui gratiæ impedimentum præſtant ne conuertantur & ſaluentur. Ergo illis ex Sancto Thoma paratus eſt Deus quantum eſt in ſe dare gratiam conuerſionis, ſi ipſi non ſe impediant per peccatum, idque conſequenter ad voluntatem quam habet vt omnes ſalui fiant. Quid igitur faciet Ianſenius, ne videatur Sanctus Thomas hac in parte cum Molina, cum Leſſio, cum Suare, cum Vaſqueſio Pelagianus? Huc huc debuerat Apologiſta oculos vertere, vt videret antiquum Auguſtinum ore Sancti Thomæ contra nouum tonare.

§. 3.

§. 3. *Soluitur aliud teſtimonium ex quæſtione decima de Potentia.*

LOCVM alium proponit Apologiſta ex quæſtione decima de Potentia ar. 2. ad 5. vbi dicit *Deum liberè ſe ipſum amare, & Spiritum Sanctum liberè procedere à Patre & Filio, non tamen poſſibiliter, ſed ex neceſſitate.* Sed non debuit diſſimulare quod Guillelmus Eſtius 2. ſent. diſ. 24. §. 2. aliique auctores paſſim obſeruant, libertatem apud Diuum Thomam, & libertatem arbitrii, ſic diſtingui, quemadmodum genus à ſpecie: ac dici quidem à D. Thoma Spiritum Sanctum *liberè* procedere, ſed non arbitrariè, cùm conſtet ex centum locis, libertatem arbitrii verſari tantùm circa contingentia. Et hoc ſignificat D. Thomas, cùm dicit Spiritum Sanctum procedere à voluntate *naturaliter* & *in quantum voluntas eſt natura quædam ad vnum determinata;* non verò inquantum voluntas contra naturam diſtinguitur, in eo quòd *voluntas ſit eorum quæ poſſunt ſic vel aliter eſſe:* Deum etiam *velle & amare ſe naturaliter,* hoc eſt voluntate quidem, ſed non vt eſt voluntas, ſed vt eſt quædam natura: eodémque modo tendere hominem in beatitudinem: quæ eſt clariſſima diſtinctio inter operationes voluntatis arbitrarias & non arbitrarias: hoc eſt liberas libertate arbitrii, & non liberas, ſed naturales & neceſſarias. Qua diſtinctione intelligitur quæ ſit legitima interpretatio aliorum etiam locorum, quæ objici ſolent. 1. par.q.41. art. 2. in corp.

Nec habent Ianſeniani quod opponant. Diſtinctio enim admittitur à Ianſenio, cùm dicit, *Ex quo fit vt quemadmodum neceſſitas & neceſſarium; ita & natura, & naturale opponatur voluntati & voluntario, ſiue libero.* Et hoc probat ex Auguſtino, apud quem dicit *idem valere*, aliquid eſſe naturale, quod non eſſe in noſtra poteſtate. Vnde jam ita poſſumus argumentari. Quod oritur ex aliquo principio naturaliter, ſeu per modum naturæ, prout opponitur modo proprio voluntatis, non eſt liberum libertate arbitrii ex Ianſenio: Sed tum ſpiratio actiua, tum amor quo ſe Deus amat, oritur à voluntate *naturaliter*, ſeu vt illa participat quemdam modum naturæ, qui to. 3. l. 6. cap. 6.

opponitur modo voluntatis ex Sancto Thoma. Ergo nec ſpiratio actiua : nec amor quo ſe Deus amat eſt liber libertate arbitrii. Vide quæ dicentur inferiùs contra Commentatorem cap. 3. teſtimonio 9. & 41.

§. 4. *Quam mereantur fidem narrationes Apologiſtæ.*

HÆc impræſentiarum cum Apologiſta viſa ſunt diſputanda: ex quibus conjectura ſumi poſſit quàm ille ſolidè, quámque ſecurè Theologiam tractet in aliis quæſtionibus. Sed vt etiam conjici poſſit quantum illi fidei debeatur in iis quæ narrat; adjungam duo vel tria, quæ id oſtendunt. Nam primò fidenter aſſerit bullam Vrbani contra librum Ianſenii eſſe ſubreptitiam : & quidquid in ea continetur de Iprenſi Epiſcopo, intruſum fuiſſe ab inimicis illius auctoris, contra intentionem Summi Pontificis, hæc ille Apologiâ 2. lib. 1. cap. 14. atque hoc ei videtur ita clarum, vt dubitare poſſe neminem putet, *niſi qui ſibi oculos eruerit.*

Il faut ſe creuer les yeux, pour douter encore, que cette Bulle ſoit obreptice, & que ce ne ſoient les aduerſaires de Monſieur d'Ipr. qui par des menées ſecretes ont empeſché qu'on ne ſuiuiſt les intentions de ſa Sainčteté : & ont rendu cette Bulle auſsi conforme à leur paſsion qu'elle eſt contraire à la volonté du Pape.

Erant jam tunc tot *breuia*, tótque declarationes Summi Pontificis in confirmationem bullæ, vt neceſſe fuerit, non oculos ſibi eruere qui hæc ſcripſit, (neque enim puto adeò cæcum fuiſſe, vt non viderit ſe falſum ſcribere) ſed frontem perdere, dum tam confidenter mendacium adeò publicum affirmare auſus eſt.

Intererat autem ſciri, quinam eſſent illi, quos tantæ præuaricationis reos accuſabat. Id ipſe declarat alio, nihilominus ſplendido mendacio, lib. 4. cap. 12. cùm dicit *Ieſuitas eſſe qui circumuenere ſanctam Sedem*, & Vrbani bullam ſuffurati ſunt; cùm conſtet eorum omnium teſtimonio, qui rerum hac occaſione geſtarum conſcii ſunt, Ieſuitas nec in cenſura libri, nec in bullæ diſpoſitione, aut editione vllam prorſus partem habuiſſe.

lib 1. cap. 11. Nous ſouſtenons, que le nombre des Eueſq. de France, qui ſouſtié-

Non omittam tertium hujus hominis mendacium, quo generosè *ſuſtinet numerum Epiſcoporum Galliæ, qui librum Iprenſis Epiſcopi poſitiuè propugnant, ſicut librum excellentem, & plenum ſanctiſſima & Catholiciſſima doctrina, majorem eſſe quàm numerum eorum qui improbant.* Quod quàm ſit verum, intelligi poteſt ex eo quod nunc agitur. Cùm enim Epiſcopi Galliæ vniuerſi, ſint circi-

ter centum quatuordecim, qui contra Ianſenium nuper ſcri-pſere ad Summum Pontificem, numerantur aliquot ſupra octoginta: qui pro Ianſenio, decem aut duodecim.

Ex his Lector facilè intelliget, quantum ſit illi fidei habendum in iis, quæ ſub finem Apologiæ ſecundæ fabulatur, de diſputationibus tempore Clementis VIII. & Pauli V. habitis, ſuper controuerſia de auxiliis: vbi teſtimonia ex actis quibuſdam manuſcriptis, quibus notæ omnes deſunt authenticæ ſcripturæ, nec aliud ſunt quàm farrago quædam fabellarum, ex variis incertiſque rumoribus collectarum, eâdem fiduciâ proponit, ac ſi ſumpta eſſent ex ipſo Euangelio. Obedientem affectui fidem habuit; ſed habere debuerat & conformem prudentiæ, ac neceſſario, quo tenentur ſcriptores, veracitatis officio.

nent poſitiuement le liure de Monſieur d'Ipres, cōme vn liure excellent, & d'vne tres-ſainte & tres catholique doctrine, ESTRE PLVS GRAND QVE LE NOMBRE DE CEVX QVI L'IMPROVVENT.

EXAMINATVR COMMENTARIVS Anonymi in tertiam propoſitionem à Sorbonicis Doctoribus damnatam.

CAPVT I.

Cauſa & ratio ſcribendi huius Commentatoris.

§. 1. *De geſtis apud Sorbonam in cauſa Janſenii.*

DVo circiter anni ſunt, cùm Pariſiis, in conſuetis Sorbonæ comitiis, prima menſis Iulii Syndicus conqueſtus de quorumdam Baccalaureorum audacia, qui expunctas è theſibus Ianſenianas propoſitiones reponebant & propugnabant, petiit vt deſignarentur certi Doctores, ad examinanda talia quædam pronuntiata, quorum audito iudicio, ſequenti menſe Auguſto ſtatui poſſet à tota Facultate quid permittendum, quid vetandum eſſet. Placuit conſilium, deſignatique ſunt Doctores nouem variorum Ordinum, variarúmq; Domorum, qui toto menſe Iulio, & ſtudio quilibet priuato, & ſtatis ſimul omnes congreſſibus, cùm ſuam concepiſſent cenſuram in aliquas huiuſmodi propoſitiones, initio Auguſti referendam ad eadem comitia; Ianſeniani, quia minimè dubiam eſſe intellexerunt ſuæ doctrinæ condemnationem, quod idoneis rationibus, impedire non poterant, diſturbare conati ſunt factionibus, atque tumultu. Iniecto videlicet diſcordiæ pomo, litem mouerunt de præcedentia inter Decanum, & Cancellarium, qua factum, vt tota congreſſus hora his altercationibus conſumpta, re infectâ reditum ſit in ſuam ab vnoquoque domum. Sequutæ ſunt nouæ deinde artes, & nouæ lites, de Religioſis Doctoribus ab hoc cœtu excludendis, de legitima Syndici electione, déque aliis id genus quæſtionibus, quæ liberam non re-

liquerunt hactenus toti Facultati controuerſiæ determinationem, niſi quod declaratum eſt, vt refert D. Hallier in ſuis ad D. Fileau, Regium in Præfectura Pictauienſi Aduocatum, Regiúmque in Academia quoque Pictauienſi Profeſſorem legum, *propoſitiones illas ſatis ſupérque iam fuiſſe damnatas, tum à Concilio Tridentino, tum per bullas Pontificum, tum per antiquiora Sorbonæ decreta.*

Vulgatum tamen eſt illorum nouem iudicium: & ad tertiam propoſitionem, quæ illa ipſa eſt de qua diſputamus, comprehenſam hiſce verbis, *Ad meritum, & demeritum in ſtatu naturæ lapſæ, non requiritur in homine libertas à neceſſitate, ſed ſufficit libertas à coactione.* ſic dicuntur ſubſcripſiſſe doctrinali de more cenſura, *Hæc doctrina deſtruit rationem meriti & demeriti: eſtque hæretica.* Non fuit hæc noua in Sorbonam inducta definitio, vt iam monui; renouarunt id tantùm quod iampridem ſtatutum fuerat. Siquidem anno 1270. damnata eſt hæc ſententia, *Quòd voluntas hominis ex neceſſitate vult, vel eligit.* Et eódem ſpectabat antecedens alia damnatio anno ſcilicet 1226. iſtius: *Quod voluntate exiſtente in tali diſpoſitione, in qua nata eſt moueri, & mouente ſic diſpoſito quod natum ſit mouere, impoſſibile eſt voluntatem non velle.* Et longo pòſt tempore, cùm Eraſmus ex eodem quo Ianſeniani laborant errore, deſtructæ per Auguſtinum indifferentiæ voluntatis, dixiſſet Auguſtinum vix poſſe conſtituere merita; dictum reprobauit Sorbona in cenſura Eraſmicarum propoſitionum, titulo 16. ſanxitque *Auguſtinum conformiter ad cæteros Catholicos Doctores, meritum conſtituere, aſſerentem meritum conſtare ex libero arbitrio* VERTIBILI, *& diuina gratia, vt ſit meritum opus & gratiæ & liberi arbitrii* VERTIBILIS, hoc eſt, indifferentis ad oppoſita. Aliquo pòſt tempore, ſcilicet anno 1560. 27. menſis Iunij, damnauit iſtas: *Liberum arbitrium hominis non habet poteſtatem ad oppoſita: nec illi conuenit ea poteſtas ex ipſius naturali & intrinſeca ratione.* Et hanc pronunciauit *hæreticam, falſam, & erroneam, & morali philoſophiæ aduerſam.* Item. *Libertas & neceſſitas eidem conueniunt reſpectu eiuſdem, &, Sola violentia repugnat libertati hominis naturali.* Et hanc ſimiliter, *quoad primam partem hæreticam* dixit. Item, *Liberum arbitrium libere vult quidquid ſponte ſua voluntariè vult, Ita vt quod neceſſariò vult,*

idem liberè velit. Et hujus ſecundam partem dixit *implicare contradictionem, & eſſe hæreticam.*

Ex quibus patet, nouem illos Doctores, qui ſuperiorem propoſitionem *hæreticam* cenſuerunt, innouaſſe tantùm antiquam Sorbonæ cenſuram, non nouam intuliſſe: & eos qui impedierunt ne tota Facultas ſuper eorum ſententia deliberaret, minimè id aſſequutos quod ſperabant: quòd, eſto, nouam impedierint damnationem, antiquis tamen tam multis teneantur, nec ſperare poſſint recentem Sorbonam à vetere diſceſſuram.

Illi tamen nec animo cadunt, nec vel in cauſa deſperata ſpem amittunt. Eſt inter eos neſcio quis. incognitus enim eſſe voluit, nec ſub alio nomine titulóve intelligi, quàm *Immeritiſſimi Sacerdotis*, qui commentarium ſcripſit in illas quinque propoſitiones, vt earum cenſuram eleuet, obtineátque vt impunè proponi ac propugnari poſſint. Cum quo paucis mihi modò agendum duxi, vt diſcutiantur quæ ille affert in defenſionem tertiæ jam dictæ, de qua hîc agimus.

§. 2. *Commentator proſcriptam propoſitionem apertè tuetur.*

ET quidem ille nihil moratur, nec vt in aliis ſolet, diſtinctionibus variis, diuiſionibúſque ac ſubdiuiſionibus, Lectoris intentionem eludit; poſt teſtimonium Diui Thomæ, qui vt ſuprà retulimus propoſitionem illam cenſet *hæreticam*: poſt Sorbonæ cenſuras idem pronuntiantis: poſt bullam Pij V. & Gregorij XIII. quâ ejuſdem damnatio continetur, ab Vrbano VIII. renouatam, & confirmatam ab Innocentio X. feliciter regnante, contendit *Sacerdos immeritiſſimus* theſim illam conceptis terminis non eſſe damnandam: & Sorbonicos Doctores qui damnauerunt vocat *bonos viros*, quibus metuendum eſſe pronuntiat, *ne videantur exiſtimare libertatem ſolam à coactione ad merendum vel demerendum per ſe & ex natura ſua non poſſe ſufficere.* Magnum ſcilicet eſt periculum, & grandis alicujus mali, ſi putentur id exiſtimare: *Quin & timendum*, inquit, *magnopere, ne videatur illorum etiam laudata eſſe ſententia, qui omnem remouent à merito neceſſitatem: eúmque ſolum mereri volunt, qui immediatâ, proximâ & rotundâ quâdam*

indifferentiâ, diuinæ gratiæ vel reſiſtere, vel parere poſsit, ipſa parendi non datâ voluntate: quod falſum tamen eſſe, & D. Thomæ expreſſiſſimis teſtimoniis repugnare, demonſtratum putat.

Mox diſcutiam demonſtratiua hæc teſtimonia: Interea conſtat hunc Auctorem *rotundam* quam vocat indifferentiam, hoc eſt, veram excludere: & quod dicit Tridentinum cum Catholicis omnibus, *liberum à Deo motum poſſe diſſentire*, ita interpretari, vt intelligatur poſſe diſſentire *non immediatè, & proximè, ſed remotè*, hoc eſt, cùm motio diuina euanuerit, & contraria ſucceſſerit, quod nullus vnquam Caluinus, nullus Lutherus, Manichæus omnino nullus negauit, quamuis hi omnes libertatem negaſſe credantur. Et hæc eſt quam vocat neceſſitatem agendi *conditionatam*: quam dicit *in natura lapſa per accidens parere meritum.* Vocat autem *conditionatam*, quia pendet ex conditione præſentis, vel abſentis gratiæ. Si enim eſt præſens gratia, eſt neceſſitas conſentiendi; ſi eſt abſens, eſt neceſſitas non conſentiendi, pertinétque ad ſtatum naturæ lapſæ, in qua eſt viciſſitudo præſentis, & abſentis gratiæ. Sed in vita beata eſt neceſſitas abſoluta, vbi non eſt ejuſmodi viciſſitudo. Iam quod addit, neceſſitatem illam conditionatam in natura lapſa per accidens parere meritum, perabſurdum eſt; dubitóque an ſatis intelligat ipſe quod dicit. Multum eſſet ſi poſſet probare, neceſſitatem illam meritum non impedire: addere autem, non ſolùm non impedire, ſed etiam *illud parere*; viderit ipſe quo ſale condire poſſit cogitationem adeò inſipidam. Atque hæc quæ ſunt tam abſurda ſic pronuntiat, vt velle videatur imperare nobis fidem.

CAPVT II.

Expenduntur quæ affert teſtimonia Sancti Thomæ.

§. 1. *Intactâ Thomiſtarum doctrinâ damnabilem eſſe doctrinam Janſenianorum.*

QVOD naufragis euenire ſolet, qui cum fluctibus luctantes quidquid vicinum videtur, apprehendere conantur vt emergant, etiam ſcaphas hoſtium & funes; id ipſum Ianſenianis accidit. Poſt vilipendia Theologiæ Scholaſticæ, nauſeamque earum potiſſimùm quæſtionum, quas tractat Sanctus Thomas: poſt ſpretam rationem, qua Thomiſtæ conantur conciliare libertatem cum gratia phyſicè prædeterminante, veluti Auguſtino incognitam, vel certè numquam ab eo vſurpatam; poſt allata diſcrimina ſeptem, quæ gratiam eiuſmodi à vera & medicinali Chriſti gratia diſtinguunt, vbi ſe tamen mergi vident, pallium tenere conantur Thomiſtarum, vt eos habeant vel periculi ſocios, vel ſecuritatis præſtites. Sed fruſtra ſunt. Neque enim vllius erroris accuſantur, quem ipſi quoque Thomiſtæ hactenus non damnarint. Quòd ſi putarunt Ianſeniani ſe non aliter ſentire; debuerant etiam non aliter loqui, & pax erat, ſuam vnoquoque ſententiam impunè propugnante, intra præſcriptos à Sede Apoſtolica limites. Nunc verò quem inuenient inter Thomiſtas, qui concedat ita neceſſarium eſſe quoad exercitium, conſenſum quem voluntas præbet motioni gratiæ quamdiu illa inhæret, quomodo neceſſarius eſt amor beatificus, quamdiu durat viſio? Quem inuenient, qui dixerit voluntatem diuinâ gratiâ prædeterminatam, carere proxima ad diſſentiendum potentia? Quem dabunt, qui diſtinctionem ſenſus compoſiti & diuiſi ſic interpretetur, vt ſenſus ſit, voluntatem à Deo motam poſſe diſſentire, quando illa motio abierit

abierit, & aduenerit alia? Quis non fatetur recipiendum Concilij Tridentini canonem ſincerè ac ſine fuco, iuxta propriam verborum ſignificationem? Quòd hæc ſint, aut non ſint ad conciliandum facilia cum gratia phyſicè prædeterminante; alia deinde quæſtio eſt inter nos diſputanda: & ſufficit, quòd illi non aliter hanc gratiam tueantur, quàm ex ſuppoſitione, quòd cum principiis ſtare poſſit, quæ Ianſenianis contraria ſunt: quæ cùm ſint vtrique parti communia in controuerſia de auxiliis; quid aliud ſperare poſſunt Ianſenii diſcipuli, quàm vt cùm ab vna parte fugantur, lapidentur ab alia, ſi animum mutare noluerint?

Sed quia Commentator ſententiam ſuam probare maluit teſtimoniis D. Thomæ, quàm D. Auguſtini; pergamus examinare quid ſentiat Sanctus Thomas, quando jam ſatis monſtratum eſt, quæ Sancti Auguſtini mens fuerit. Monendus tamen priùs eſt, vt calumniam retractet, qua Scholas inquinat, cùm dicit, Sancti Auguſtini auctoritatem eſſe jam in ſcholis *euanidam & emortuam, cùm Sancti Thomæ vegeta ſit, & florens.* Viget & floret etiamnum Sancti Auguſtini auctoritas in Scholis Catholicis: ſed ægrè ferunt quotquot illum ſeriò colunt, Ianſenianos abuti tanto nomine ad ſuas opiniones perſuadendas; atque hanc veram eſſe contendunt Auguſtinianæ auctoritatis injuriam, equidem maximam & inexpiabilem, cogere illum, velit nolit, damnatarum ſententiarum auctorem eſſe ac defenſorem.

§. 2. *Proponuntur decem S. Thomæ teſtimonia, quæ nullo modo probant indifferentiam non eſſe libero arbitrio neceſſariam.*

ERGO videamus quid ſentiat Sanctus Thomas de indifferentia ad libertatem arbitrii neceſſaria, vel de neceſſitate, quæ illi contraria eſt. Contendit Commentator duodecim teſtimoniis, ſolam coactionem, vel cogentem neceſſitatem obeſſe libertati arbitrii, aliam verò nullam obeſſe.

Sed primò delendum eſt ex hoc numero quod affertur ex 3. contra gent. cap. 138. quia jam ſuprà ſolutum eſt, contra Apologiſtam cap. 4. §. 1.

Quæſt. 58. art. 3. Secundò delendum quod affert ex ſecunda ſecundæ, vbi dicitur *Neceſſitas ex obligatione præcepti, ſiue ex obligatione finis non tollere rationem meriti.* Quia non diſputamus de neceſſitate morali, quæ relinquit in voluntate phyſicam non agendi potentiam, cujuſmodi eſt neceſſitas præcepti, quod quiſque violare poteſt; & neceſſitas ex fine, qua liberatur quiſquis vult intentionem mutare. Et vide, Lector, quàm ſint demonſtratiua hæc teſtimonia. Eodem modo ſoluitur quod indidem ſumitur ex quæſt. 81. Quia ibi etiam agitur de neceſſitate debiti, & obligationis, quæ non ſolùm non deſtruit arbitrii libertatem, quin potiùs cum ea neceſſariò connectitur. Art. 6. ad 3.

Quæſt. 4. art. 4. in corp. Quartò expungendum quod affert ex 1. 2. Quia nihil aliud probat, quàm ſtare libertatem ſine indifferentia ad contraria: cùm ſit tantùm quæſtio de indifferentia ad contradictoria, quæ ibi non excluditur.

Quæſt. 182. art. 2. ad. 2. Quintò expungendum quod affertur ex ſecunda ſecundæ, dum dicitur, ſi ſtatus beatorum eſſet capax meriti, illos magis merituros propter majorem caritatem. Quia non dicitur magis merituros per actum caritatis neceſſarium, & qui eſt proprius actus comprehenſoris; ſed per alios qui ſunt etiam actus caritatis, & cum indifferentia à Beatis, ſicut & à Viatoribus exercentur.

Sextò expungendum quod refert, non ex quæſt. 169. vbi nihil reperitur eorum quæ refert: ſed ex 186. nec, vt etiam dicit, ex art. 2. ſed ex 5. nec ex corpore art. ſed ex reſponſ. ad 4. Qui omnes lapſus in eundem locum concurrentes, ſatis oſtendunt non legiſſe Sacerdotem quæ citabat. Ergo quod dicit S. Thomas, neceſſitatem coactionis impedire meritum, non autem neceſſitatem, quæ conſequitur obedientiam, quid probat, & quid nocet indifferentiæ? Neceſſitas quæ conſequitur obedientiam, hoc eſt neceſſitas obediendi, quam habent religioſi (de illa enim loquitur) tollit-ne indifferentiam etiam ad contraria, id eſt expeditam ad obediendum, vel tranſgrediendum potentiam? Et vide quàm ſit bonus iſte Sacerdos & quàm perſpicax, dum blanditur ſibi de hoc teſtimonio, & exclamant *Quàm perſpicuè?*

Eadem peccauit in alio teſtimonio, quod etiam ſeptimò expungendum eſt, cùm dicitur *laudabilius eſſe bonum opus, ex*

eo quod procedit ex voluntate firmata in bonum, ſicut peccatum eſt grauius, ex eo quod procedit ex voluntate obſtinata in malum. Quæ quis non videt procedere tantùm contra indifferentiam ad contraria? In voluntatę enim firmata vel ad bonum, vel ad malum, remanet indifferentia ad contradictoria.

Eadem iterum peccat in citatione quæſt. 189. ex tertia parte, quæ eſt quæſtio 89. poſt vltimam. Sed quod refert reperitur in decima nona: non in art. 2. ſed in 3. nec in corpore articuli, ſed in reſponſione ad prim. Vbi dicitur *Chriſtum meruiſſe per caritatem, non in quantum erat caritas comprehenſoris; ſed in quantum erat caritas viatoris.* Ergo (inquit) Chriſtus deſiit mereri, non ex eo quòd immobiliter affigatur amori Dei, ſed quia viator non eſt. Sed hoc quoque octauò expungendum eſt. Quia & in Chriſto viatore fuerunt, & modò ſunt in Chriſto comprehenſore actus caritatis indifferenter eliciti: per hos merebatur in via, per hos nòn meretur in patria: nec aliud vult Sanctus Thomas.

Expungendum nonò quod citat ex eadem tertia parte, vbi dicitur natura integra in primo inſtanti mereri poſſe bonum volendo, etiamſi malum velle non poſſit. Quod ſimiliter nihil probat, niſi contra indifferentiam ad contraria, cùm ſit quæſtio de indifferentia ad contradictoria. Quæſt. 34. art. 4. ad 2.

Expungendum decimò quod refert ex 1. par. cùm dicitur *Per hoc quod voluntas ab alio moueatur, non impediri meritum, quod non excludatur quin ipſa etiam moueatur à ſe.* Expungendum, inquam, quia nec expreſſè, nec per neceſſariam conſequentiam probat, non requiri indifferentiam contradictionis ad meritum: ſubjicit hic Commentator: *Bone Lector, beati aut Angeli qui liberi ſunt à ſola coactione, non mouentur ab intrinſeco?* Sed, inquam, ô Bone Commentator, etiam bruta nonne mouentur ab intrinſeco? Ergo hoc quod eſt moueri ab intrinſeco, eſt quidem aliquid requiſitum ad meritum, ſed non eſt totum, quod requiſitum eſt: neque D. Thomas dicit id ſufficere. Interea caue, ne Beatos aut Angelos à ſola coactione liberos dicas in omnibus ſuis actibus, ne cum Diuo Thoma pugnare videaris. Quæſt. 105. art. 4. ad 3.

§. 3. *Diluitur vndecimum teſtimonium, & quid paſſim intelligatur apud S. Thomam, & alios Patres nomine coactionis, conſentientibus ipſis Ianſenianis.*

EXPVNGENDVM eſt vndecimò quod citatur ex 3. Sententiarum, vbi dicitur *impotentiam coactionis, quæ opponitur voluntario, tollere rationem meriti, & demeriti: non autem impotentiam, quæ eſt ex perfectione in bonitate vel malitia: quia hæc voluntarium non tollit, ſed ponit voluntatem, confirmatam ad vnum*, hoc inquam, expungendum eſt. Quia etiam non procedit niſi contra neceſſitatem indifferentiæ ad contraria, nos autem pugnamus tantùm pro indifferentia ad contradictoria, quæ reperitur adhuc in iis, qui habent voluntatem confirmatam ad vnum, hoc eſt, confirmatam ad bonitatem, vel confirmatam ad malitiam. Et vt ſemel præcidantur multa loca, quæ Ianſenius ac Ianſeniani producunt, tum ex S. Thoma tum ex aliis Patribus, qui nihil aliud requirunt ad libertatem, quàm vt voluntas non cogatur; Aduertendum eſt, ſumere illos coactionem latè, prout confunditur cum neceſſitate, præſertim antecedenti atque independenti à voluntate & inſuperabili: ac proinde idem eſt ſolam coactionem impedire libertatem: ac ſolam neceſſitatem quæ talis eſt, hoc eſt, quæ, vt loquitur Auguſtinus, *non eſt in noſtra poteſtate*, libertatem impedire.

Ita ſumi coactionem vel neceſſitatem coactionis conſtat 1. ex confeſſione Aduerſariorum. Vide enim quomodo Vincentius Lenis inchoet cap. 11. libri 1. Theriacæ. *Coactio & neceſſitas in hac liberi arbitrii materia idem prorſus ſignificant. Quibus vnica vox Græca ἀνάγκη reſpondet, ideóque à ſacris interpretibus nunc coactio, nunc neceſſitas verti ſolet. Et licèt nomen iſtud frequentiùs vertatur, neceſſitas, quàm coactio, verbum tamen ἀναγκάζειν inde deductum ſemper Latinè, cogere redditur quia neceſſitare non Latinum ſed barbarum eſt.* Inde infert Vincentius, eos *turpi hallucinatione*, & errore laborare, qui quotieſcumque vocem neceſſitationis audiunt, vim quandam ferream concipiunt. Ego verò neſcio quinam illi ſint, qui hoc morbo laborant. Sed

dico ex dictis Vincentii ſequi, eos *turpi hallucinatione* & errore laborare, qui quoties legunt apud Sanctos Patres coactionem tantùm deſtruere libertatem, interpretantur, neceſſitatem non deſtruere illam: cùm jam ex ipſo conſtet, coactionem & neceſſitatem in hac materia idem prorſus ſignificare: ac proinde eos qui dicunt libertatem deſtrui coactione, ſignificare libertatem deſtrui neceſſitate.

Et quòd hæc ſit mens quoque Sancti Thomæ, probatur ex hoc ipſo loco. Nam qui dicit in reſponſione ad 3. *impotentiam coactionis opponi libertati*, idem in reſponſione ad 2. ſignificat *eidem opponi neceſſitatem*, cùm dicit, potentiam peccandi in tantum conferre ad laudem, in quantum oſtendit opus quod laudatur *non fuiſſe factum ex neceſſitate*. Impeditura nimirum erat laudem *neceſſitas bene agendi*, ſi nullam relinqueret indifferentiam, ſaltem ad contradictoria: quam adeſſe conſtat, ex eo quod ſupponatur eſſe etiam ad contraria.

Confirmatur ex eo quod citatum eſt ex ſecunda ſecundæ, Qu. 58. vbi Sanctus Thomas diuidit neceſſitatem, in neceſſitatem coactionis, & neceſſitatem ex obligatione præcepti vel finis, quæ eſt moralis neceſſitas. Nam cùm debeamus ſupponere diuiſionem eſſe bonam & adæquatam, conſequenter fatendum eſt Sanctum Thomam ſub neceſſitate coactionis comprehendiſſe omnem, quæ non eſt moralis, ſeu quæ antecedens & phyſica eſt. Idem conſtat ex ſimili diſtinctione, quam exprimit, cùm dicit *neceſſitatem coactionis facere inuoluntarium, non autem neceſſitatem, quæ conſequitur obedientiam*, vbi intelligit obedientiæ votum.

Poſſet hoc confirmari ex aliis Sanctis Patribus, Auguſtino, lib. 1. de actis cum Felice Man. c. 8. dum contra Manichæos indifferenter vtitur voce coactionis & neceſſitatis, vt ſignificet etiam naturæ inſitam ad peccandum inclinationem: & Bernardo, Serm. 81. in cant. qui bruta dicit *pati vim* à natura: Anſelmo, lib. 2. cur Deus homo cap. 18. qui dicit *violentiam naturalis conditionis cogere cælum volui*, ſed hæc ſufficiunt ad probandum, quando Sanctus Thomas dicit & eo loco qui objectus eſt, & aliis, quæ objici poſſunt, *neceſſitatem coactionis opponi* perfecto voluntario, quod eſt liberum, non ſumere coactionem ſtrictè, ſed ex vſu Eccleſiæ & Patrum intelligere neceſſitatem omnem antecedentem, quæ non relinquat potentiam ſuſ-

pendendi actum, ſeu quæ non eſt in noſtra poteſtate. Et vti nos non ſumus contenti, quod Sancti Patres dicant neceſsitatem agendi repugnare libertati; ſed oſtendimus poſitiuè qualem intelligant, nempe illam, ſub qua voluntas *non ſit potens agere, & non agere;* ita & Ianſeniani operam ludunt, quando Patres inducunt dicentes arbitrium eſſe liberum, eo quod non cogitur; niſi oſtendant illos coactionem ſumere ſtrictè: & non eo ſenſu, quo ſolet comprehendere ex eorumdem Patrum vſu antecedentem, & independentem à voluntate agendi neceſsitatem. Quâ vnâ ſolutione euaneſcit aceruus inutilis teſtimoniorum, quæ Ianſenius congeſsit lib. 6. & 8. de gra. Salu.

§. 4. *Explicatur locus ex 3. Sent. diſt. 18. art. 2. ad 5. Quod determinatio ad vnum numero, non tollit rationem meriti & laudis.*

RESTAT ergo vnicum Sancti Thomæ teſtimonium, quod à Commentatore primo loco poſitum eſt. Sumitúrque ex 3. Senten. diſt. 18. art. 2. ad 5. cùm dicitur de libero Chriſti arbitrio. *Dicendum quòd etiamſi eſſet determinatum ad vnum numero, ſicut ad diligendum Deum, quod non facere non poteſt; tamen ex hoc non amittit libertatem aut rationem laudis: quia in illud non coactè, ſed ſponte tendit, & ita eſt actus ſui dominus.*

Ad hunc locum reſpondeo in primis, fuiſſe referenda quæ præcedunt. Cùm enim objectum eſſet, ideo nos non mereri naturalibus, quia ſunt determinata ad vnum: & ideo neque Chriſtum poſſe mereri, quia ejus etiam liberum arbitrium eſt determinatum ad bonum. Reſpondet Sanctus Thomas in hunc modum. *Ad 5. dicendum, quòd liberum arbitrium Chriſti non erat determinatum ad vnum, ſecundùm numerum, ſed ad vnum ſecundùm genus, ſcilicet ad bonum: quia in malum non poteſt.* SED TAMEN HOC POTEST FACERE, ET NON FACERE, ET HOC NON EXCLVDIT LIBERTATEM ARBITRII: *quia poſſe peccare non eſt libertas arbitrii, nec pars libertatis, vt dicit Anſelmus.... Vel dicendum, quòd ſi etiam eſſet determinatum ad vnum numero &c.*

Ex his habemus primò Sanctum Thomam abſolutè pro-

nuntiare liberum Chriſti Domini arbitrium non fuiſſe determinatum ad vnum, ita vt non haberet indifferentiam ad contradictoria, qua poſſet *facere & non facere*: Ergo ruit argumentum, quo potiſſimùm vtitur & Ianſenius, & Apologiſta Ianſenii & Vincentius Lenis, & alii paſſim, ſumptum ex arbitrio Chriſti, quod dicitur, & liberum fuiſſe, & indifferentia caruiſſe: cùm jam conſtet ex abſoluta Sancti Thomæ ſententia, non caruiſſe hujuſmodi indifferentia. Vnde ruet pariter argumentum, ſumptum ex voluntate beatorum, atque etiam ipſius Dei.

Secundò quod addit Diuus Thomas, *vel dicendum, quòd ſi &c.* quamuis haberet illum ſenſum, quem intendunt Aduerſarii; quærerem ab illis, cùm nullo vſquam alio loco S. Th. hanc ſecundam ſolutionem eo ſenſu confirmauerit: ſed hæſerit in priori omnibus in locis quibus occaſio recurrit eadem tractandi; quid illis videretur, an eſſet juſta præſumptio, quòd prior ſolutio eſſet ad mentem S. Thomæ, quam ſcilicet toties inculcaſſet, ſecunda, cujus nuſquam meminiſſet, non eſſet?

Tertiò poſſemus hîc etiam vti confeſsione Ianſenii, ſi eſſet vera, cùm dicit aliquos ex antiquioribus Scholaſticis, cùm initio negarent indifferentiæ neceſsitatem, ſub finem tamen declinaſſe in ſententiam, quæ jam eſt communis. Iam enim monſtratum eſt D. Thomam potiſsimùm deſignari ex interpretatione Vincentii Lenis. Ergo aduerſariis etiam annuentibus dici poſſet S. Thomas ſententiam mutaſſe: & quod illi perperam negant, præferendam priori poſteriorem, quòd non ſit credibile illius ſapientiam in deterius profeciſſe, ætate procedente. to. 3. lib. 6. cap. 33.

Quartò: Sed nihil eſt neceſſe nos ad has ſolutiones confugere, quæ tamen ſufficerent. Videndum quid intelligat S. Th. per hoc quod eſt, *eſſe determinatum ad vnum numero*, & conſtat intelligere objectum numero vnum, cujuſmodi eſt Deus. Opponit enim hoc bonum numero vnum, bono genericè vni, & loquitur ex ſuppoſitione, quòd liberum arbitrium determinatum ſit tantùm vt verſetur circa hoc numero objectum, quibuſcumque tandem actibus verſetur. Atqui hæc determinatio non tollit varietatem actuum, quibus

voluntas exerceri poteſt circa illud numero objectum, nec indifferentiam contradictionis circa quemlibet actum in particulari. Ergo non ſupponit S. Thomas ablatam illam indifferentiam. Et confirmatur ex eo quod dicit, *quia in illud objectum non coactè, ſed ſponte tendit, & ita eſt actus ſui dominus.*
Cap. 47. Iam enim conſtat ex 2. contra gentes, & aliis multis locis, voluntatem liberam ideo dici dominam ſui actus, *quia in ipſa eſt agere & non agere.* Ac proinde, cùm dicit, non coactè, ſed ſponte, ſpontaneitatem intelligit perfectam. Nam illa quæ reperitur in brutis nihil facit ad libertatem: & conſequenter coactionem excludit non ſtrictam ſolùm, ſed vt comprehendit omnem neceſſitatem, quæ non eſt in noſtra poteſtate.

Hæc igitur eſt ſumma doctrinæ Diui Thomæ, loco citato. Ad argumentum propoſitum primò reſpondet abſolutè, liberum arbitrium Chriſti, eſſe quidem determinatum ad vnum genericè, nempe ad bonum in communi, prout opponitur omni malo; ſed habere indifferentiam circa ſpecifica & numerica bona: & hoc ſatis eſſe, vt ſit capax meriti. Secundò reſpondet ex hypotheſi, quòd quis contendat liberum arbitrium Chriſti eſſe determinatum ad vnum numero bonum, verbi gratia ad Deum, quem non poteſt non amare; quia tamen varii ſunt modi, quibus ferri poteſt in hoc vnum numero bonum, retinere adhuc libertatem & indifferentiam circa illos actus omnes, qui cadere poſſunt in viatorem (nam amor beatificus comprehenſoris actus eſt) eóſque elicere ſine vlla eliciendi neceſſitate: ac proinde ſine coactione, ſed ſponte, ac voluntariè, voluntate perfecta & deliberata. Et hic eſt finis teſtimoniorum Sacerdotis, quibus conſtat S. Thomam minimè teſtari quod ipſe vult.

CAPVT

CAPVT III.

Probatur quinquaginta duobus teſtimoniis Sancti Thomæ, indifferentiam eſſe ad libertatem arbitrii neceſſariam.

SED experiendum eſt, an teſtetur etiam quod Suprà con.
ipſe non vult. Et adductum jam eſt teſtimonium Vincent. c. 5. Et con.
ex quæſt. ſexta de malo art. 1. quod vnum inſtar Apolog.
multorum eſt. Ex libris contra gentes numera- cap. 4.
uimus ſaltem ſex admodum expreſſa.

Octauum ergo ſequitur ex Quodlibeto 1. vbi & libertatem ar. 7 ad 2.
à neceſſitate humanæ voluntati aſſerit: & veluti proprium virtutis rationalis aſſignat, quòd ſe habeat ad oppoſita, eique ita Deum motionem ſuam accommodare, vt reſiſtere homo poſſit, his verbis. *Ad ſecundum dicendum quòd Deus mouet omnia, ſecundùm modum eorum: & ideo diuina motio à quibuſdam participatur cum neceſſitate, à natura autem rationali cum libertate, propter hoc,* QVOD VIRTVS RATIONALIS SE HABET AD OPPOSITA: *& ideo ſic Deus mouet mentem humanam ad bonum, quòd* TAMEN POTEST HVIC MOTIONI RESISTERE, *& ſic ex Deo eſt vt homo ſe ad gratiam præparet.*

Nonum ex quæſt. de potentia, vbi ſic diſtinguit voluntatem, prout eſt voluntas, à ſe ipſa prout eſt naturale principium, vt ei ſub priori ratione ſicuti libertatem, ita & indifferentiam omnino attribuat. Et ideo negat voluntatem, vt voluntas eſt, eſſe poſſe principium diuinarum productionum. His verbis. *Voluntas, inquantum voluntas, cùm ſit libera,* AD VTRVMLIBET SE HABET. (Nota quomodo ex libertate infert indifferentiam) *poteſt* ENIM VOLVNTAS AGERE, VEL NON AGERE: SIC VEL SIC FACERE, VELLE ET NON VELLE. *Et ſi reſpectu alicujus hoc voluntati non conueniat; hoc accidet voluntati, non inquantum voluntas eſt: ſed ex inclinatione naturali, quam habet ad aliquid, ſicut ad finem vltimum, quem non poteſt non velle &c.*

idem liberè velit. Et hujus ſecundam partem dixit *implicare contradictionem, & eſſe hæreticam.*

Ex quibus patet, nouem illos Doctores, qui ſuperiorem propoſitionem *hæreticam* cenſuerunt, innouaſſe tantùm antiquam Sorbonæ cenſuram, non nouam intuliſſe: & eos qui impedierunt ne tota Facultas ſuper eorum ſententia deliberaret, minimè id aſſequutos quod ſperabant: quòd, eſto, nouam impedierint damnationem, antiquis tamen tam multis teneantur; nec ſperare poſſint recentem Sorbonam à vetere diſceſſuram.

Illi tamen nec animo cadunt, nec vel in cauſa deſperata ſpem amittunt. Eſt inter eos neſcio quis. incognitus enim eſſe voluit, nec ſub alio nomine titulóve intelligi, quàm *Immeritiſſimi Sacerdotis*, qui commentarium ſcripſit in illas quinque propoſitiones, vt earum cenſuram eleuet, obtineátque vt impunè proponi ac propugnari poſſint. Cum quo paucis mihi modò agendum duxi, vt diſcutiantur quæ ille affert in defenſionem tertiæ jam dictæ, de qua hîc agimus.

§. 2. *Commentator proſcriptam propoſitionem apertè tuetur.*

ET quidem ille nihil moratur, nec vt in aliis ſolet, diſtinctionibus variis, diuiſionibúſque ac ſubdiuiſionibus, Lectoris intentionem eludit; poſt teſtimonium Diui Thomæ, qui vt ſuprà retulimus propoſitionem illam cenſet *hæreticam:* poſt Sorbonæ cenſuras idem pronuntiantis: poſt bullam Pij V. & Gregorij XIII. quâ ejuſdem damnatio continetur, ab Vrbano VIII. renouatam, & confirmatam ab Innocentio X. feliciter regnante, contendit *Sacerdos immeritiſſimus* theſim illam conceptis terminis non eſſe damnandam: & Sorbonicos Doctores qui damnauerunt vocat *bonos viros*, quibus metuendum eſſe pronuntiat, *ne videantur exiſtimare libertatem ſolam à coactione ad merendum vel demerendum per ſe & ex natura ſua non poſſe ſufficere.* Magnum ſcilicet eſt periculum, & grandis alicujus mali, ſi putentur id exiſtimare: *Quin & timendum*, inquit, *magnopere, ne videatur illorum etiam laudata eſſe ſententia, qui omnem remouent à merito neceſſitatem: eúmque ſolum mereri volunt, qui im mediatâ, proximâ & rotundâ quâdam*

indifferentiâ, diuinæ gratiæ vel reſiſtere, vel parere poſſit, ipſa parendi non datâ voluntate: quod falſum tamen eſſe, & D. Thomæ expreſſiſſimis teſtimoniis repugnare, demonſtratum putat.

Mox diſcutiam demonſtratiua hæc teſtimonia: Interea conſtat hunc Auctorem *rotundam* quam vocat indifferentiam, hoc eſt, veram excludere: & quod dicit Tridentinum cum Catholicis omnibus, *liberum à Deo motum poſſe diſſentire*, ita interpretari, vt intelligatur poſſe diſſentire *non immediatè, & proximè, ſed remotè*, hoc eſt, cùm motio diuina euanuerit, & contraria ſucceſſerit, quod nullus vnquam Caluinus, nullus Lutherus, Manichæus omnino nullus negauit, quamuis hi omnes libertatem negaſſe credantur. Et hæc eſt quam vocat neceſſitatem agendi *conditionatam*: quam dicit *in natura lapſa per accidens parere meritum.* Vocat autem *conditionatam*, quia pendet ex conditione præſentis, vel abſentis gratiæ. Si enim eſt præſens gratia, eſt neceſſitas conſentiendi; ſi eſt abſens, eſt neceſſitas non conſentiendi, pertinétque ad ſtatum naturæ lapſæ, in qua eſt viciſſitudo præſentis, & abſentis gratiæ. Sed in vita beata eſt neceſſitas abſoluta, vbi non eſt ejuſmodi viciſſitudo. Iam quod addit, neceſſitatem illam conditionatam in natura lapſa per accidens parere meritum, perabſurdum eſt; dubitóque an ſatis intelligat ipſe quod dicit. Multum eſſet ſi poſſet probare, neceſſitatem illam meritum non impedire: addere autem, non ſolùm non impedire, ſed etiam *illud parere*; viderit ipſe quo ſale condire poſſit cogitationem adeò inſipidam. Atque hæc quæ ſunt tam abſurda ſic pronuntiat, vt velle videatur imperare nobis fidem.

CAPVT II.

Expenduntur quæ affert teſtimonia Sancti Thomæ.

§. 1. *Intactâ Thomiſtarum doctrinâ damnabilem eſſe doctrinam Janſenianorum.*

QVOD naufragis euenire ſolet, qui cum fluctibus luctantes quidquid vicinum videtur, apprehendere conantur vt emergant, etiam ſcaphas hoſtium & funes; id ipſum Ianſenianis accidit. Poſt vilipendia Theologiæ Scholaſticæ, nauſeamque earum potiſſimùm quæſtionum, quas tractat Sanctus Thomas: poſt ſpretam rationem, qua Thomiſtæ conantur conciliare libertatem cum gratia phyſicè prædeterminante, veluti Auguſtino incognitam, vel certè numquam ab eo vſurpatam; poſt allata diſcrimina ſeptem, quæ gratiam eiuſmodi à vera & medicinali Chriſti gratia diſtinguunt, vbi ſe tamen mergi vident, pallium tenere conantur Thomiſtarum, vt eos habeant vel periculi ſocios, vel ſecuritatis præſtites. Sed fruſtra ſunt. Neque enim vllius erroris accuſantur, quem ipſi quoque Thomiſtæ hactenus non damnarint. Quòd ſi putarunt Ianſeniani ſe non aliter ſentire; debuerant etiam non aliter loqui, & pax erat, ſuam vnoquoque ſententiam impunè propugnante, intra præſcriptos à Sede Apoſtolica limites. Nunc verò quem inuenient inter Thomiſtas, qui concedat ita neceſſarium eſſe quoad exercitium, conſenſum quem voluntas præbet motioni gratiæ quamdiu illa inhæret, quomodo neceſſarius eſt amor beatificus, quamdiu durat viſio? Quem inuenient, qui dixerit voluntatem diuinâ gratiâ prædeterminatam, carere proxima ad diſſentiendum potentia? Quem dabunt, qui diſtinctionem ſenſus compoſiti & diuiſi ſic interpretetur, vt ſenſus ſit, voluntatem à Deo motam poſſe diſſentire, quando illa motio abierit

abierit, & aduenerit alia? Quis non fatetur recipiendum Concilij Tridentini canonem ſincerè ac ſine fuco, iuxta propriam verborum ſignificationem? Quòd hæc ſint, aut non ſint ad conciliandum facilia cum gratia phyſicè prædeterminante; alia deinde quæſtio eſt inter nos diſputanda: & ſufficit, quòd illi non aliter hanc gratiam tueantur, quàm ex ſuppoſitione, quòd cum principiis ſtare poſſit, quæ Ianſenianis contraria ſunt: quæ cùm ſint vtrique parti communia in controuerſia de auxiliis; quid aliud ſperare poſſunt Ianſenii diſcipuli, quàm vt cùm ab vna parte fugantur, lapidentur ab alia, ſi animum mutare noluerint?

Sed quia Commentator ſententiam ſuam probare maluit teſtimoniis D. Thomæ, quàm D. Auguſtini; pergamus examinare quid ſentiat Sanctus Thomas, quando jam ſatis monſtratum eſt, quæ Sancti Auguſtini mens fuerit. Monendus tamen priùs eſt, vt calumniam retractet, qua Scholas inquinat, cùm dicit, Sancti Auguſtini auctoritatem eſſe jam in ſcholis *euanidam & emortuam, cùm Sancti Thomæ vegeta ſit, & florens*. Viget & floret etiamnum Sancti Auguſtini auctoritas in Scholis Catholicis: ſed ægrè ferunt quotquot illum ſeriò colunt, Ianſenianos abuti tanto nomine ad ſuas opiniones perſuadendas; atque hanc veram eſſe contendunt Auguſtinianæ auctoritatis injuriam, equidem maximam & inexpiabilem, cogere illum, velit nolit, damnatarum ſententiarum auctorem eſſe ac defenſorem.

§. 2. *Proponuntur decem S. Thomæ teſtimonia, quæ nullo modo probant indifferentiam non eſſe libero arbitrio neceſſariam.*

ERGO videamus quid ſentiat Sanctus Thomas de indifferentia ad libertatem arbitrii neceſſaria, vel de neceſſitate, quæ illi contraria eſt. Contendit Commentator duodecim teſtimoniis, ſolam coactionem, vel cogentem neceſſitatem obeſſe libertati arbitrii, aliam verò nullam obeſſe.

Sed primò delendum eſt ex hoc numero quod affertur ex 3. contra gent. cap. 138. quia jam ſuprà ſolutum eſt, contra Apologiſtam cap. 4. §. 1.

Quæſt. 58. art. 3. Secundò delendum quod affert ex ſecunda ſecundæ, vbi dicitur *Neceßitas ex obligatione præcepti, ſiue ex obligatione finis non tollere rationem meriti.* Quia non diſputamus de neceſſitate morali, quæ relinquit in voluntate phyſicam non agendi potentiam, cujuſmodi eſt neceſſitas præcepti, quod quiſque violare poteſt; & neceſſitas ex fine, qua liberatur quiſquis vult intentionem mutare. Et vide, Lector, quàm ſint demonſtratiua hæc teſtimonia. Eodem modo ſoluitur quod indidem ſumitur ex quæſt. 81. Quia ibi etiam agitur de neceſſitate debiti, & obligationis, quæ non ſolùm non deſtruit arbitrii libertatem, quin potiùs cum ea neceſſariò connectitur. Art. 6. ad 3.

Quæſt. 4. art. 4. in corp. Quartò expungendum quod affert ex 1. 2. Quia nihil aliud probat, quàm ſtare libertatem ſine indifferentia ad contraria: cùm ſit tantùm quæſtio de indifferentia ad contradictoria, quæ ibi non excluditur.

Quæſt. 181. art. 2. ad. 2. Quintò expungendum quod affertur ex ſecunda ſecundæ, dum dicitur, ſi ſtatus beatorum eſſet capax meriti, illos magis merituros propter majorem caritatem. Quia non dicitur magis merituros per actum caritatis neceſſarium, & qui eſt proprius actus comprehenſoris; ſed per alios qui ſunt etiam actus caritatis, & cum indifferentia à Beatis, ſicut & à Viatoribus exercentur.

Sextò expungendum quod refert, non ex quæſt. 169. vbi nihil reperitur eorum quæ refert: ſed ex 186. nec, vt etiam dicit, ex art. 2. ſed ex 5. nec ex corpore art. ſed ex reſponſ. ad 4. Qui omnes lapſus in eundem locum concurrentes, ſatis oſtendunt non legiſſe Sacerdotem quæ citabat. Ergo quod dicit S. Thomas, neceſſitatem coactionis impedire meritum, non autem neceſſitatem, quæ conſequitur obedientiam, quid probat, & quid nocet indifferentiæ? Neceſſitas quæ conſequitur obedientiam, hoc eſt neceſſitas obediendi, quam habent religioſi (de illa enim loquitur) tollit-ne indifferentiam etiam ad contraria, id eſt expeditam ad obediendum, vel tranſgrediendum potentiam? Et vide quàm ſit bonus iſte Sacerdos & quàm perſpicax, dum blanditur ſibi de hoc teſtimonio, & exclamant *Quàm perſpicuè?*

Eadem peccauit in alio teſtimonio, quod etiam ſeptimò expungendum eſt, cùm dicitur *laudabilius eſſe bonum opus, ex*

eo quod procedit ex voluntate firmata in bonum, ſicut peccatum eſt grauius, ex eo quod procedit ex voluntate obſtinata in malum. Quæ quis non videt procedere tantùm contra indifferentiam ad contraria? In voluntatę enim firmata vel ad bonum, vel ad malum, remanet indifferentia ad contradictoria.

Eadem iterum peccat in citatione quæſt. 189. ex tertia parte, quæ eſt quæſtio 89. poſt vltimam. Sed quod refert reperitur in decima nona: non in art. 2. ſed in 3. nec in corpore articuli, ſed in reſponſione ad prim. Vbi dicitur *Chriſtus meruiſſe per caritatem, non in quantum erat caritas comprehenſoris; ſed in quantum erat caritas viatoris.* Ergo (inquit) Chriſtus deſiit mereri, non ex eo quòd immobiliter affigatur amori Dei, ſed quia viator non eſt. Sed hoc quoque octauò expungendum eſt. Quia & in Chriſto viatore fuerunt, & modò ſunt in Chriſto comprehenſore actus caritatis indifferenter eliciti: per hos merebatur in via, per hos non meretur in patria: nec aliud vult Sanctus Thomas.

Expungendum nonò quod citat ex eadem tertia parte, vbi dicitur natura integra in primo inſtanti mereri poſſe bonum volendo, etiamſi malum velle non poſſit. Quod ſimiliter nihil probat, niſi contra indifferentiam ad contraria, cùm ſit quæſtio de indifferentia ad contradictoria. Quæſt. 34. art. 4. ad 2.

Expungendum decimò quod refert ex 1. par. cùm dicitur *Per hoc quod voluntas ab alio moueatur, non impediri meritum, quod non excludatur quin ipſa etiam moueatur à ſe.* Expungendum, inquam, quia nec expreſſè, nec per neceſſariam conſequentiam probat, non requiri indifferentiam contradictionis ad meritum: ſubjicit hic Commentator: *Bone Lector, beati aut Angeli qui liberi ſunt à ſola coactione, non mouentur ab intrinſeco?* Sed, inquam, ô Bone Commentator, etiam bruta nonne mouentur ab intrinſeco? Ergo hoc quod eſt moueri ab intrinſeco, eſt quidem aliquid requiſitum ad meritum, ſed non eſt totum, quod requiſitum eſt: neque D. Thomas dicit id ſufficere. Interea caue, ne Beatos aut Angelos à ſola coactione liberos dicas in omnibus ſuis actibus, ne cum Diuo Thoma pugnare videaris. Quæſt. 105. art. 4. ad 3.

§. 3. *Diluitur vndecimum teſtimonium, & quid paſſim intelligatur apud S. Thomam, & alios Patres nomine coactionis, conſentientibus ipſis Ianſenianis.*

EXPVNGENDVM eſt vndecimò quod citatur ex 3. Sententiarum, vbi dicitur *impotentiam coactionis, quæ opponitur voluntario, tollere rationem meriti, & demeriti: non autem impotentiam, quæ eſt ex perfectione in bonitate vel malitia: quia hæc voluntarium non tollit, ſed ponit voluntatem, confirmatam ad vnum*, hoc inquam, expungendum eſt. Quia etiam non procedit niſi contra neceſſitatem indifferentiæ ad contraria, nos autem pugnamus tantùm pro indifferentia ad contradictoria, quæ reperitur adhuc in iis, qui habent voluntatem confirmatam ad vnum, hoc eſt, confirmatam ad bonitatem, vel confirmatam ad malitiam. Et vt ſemel præcidantur multa loca, quæ Ianſenius ac Ianſeniani producunt, tum ex S. Thoma tum ex aliis Patribus, qui nihil aliud requirunt ad libertatem, quàm vt voluntas non cogatur; Aduertendum eſt, ſumere illos coactionem latè, prout confunditur cum neceſſitate, præſertim antecedenti atque independenti à voluntate & inſuperabili: ac proinde idem eſt ſolam coactionem impedire libertatem: ac ſolam neceſſitatem quæ talis eſt, hoc eſt, quæ, vt loquitur Auguſtinus, *non eſt in noſtra poteſtate*, libertatem impedire.

Ita ſumi coactionem vel neceſſitatem coactionis conſtat 1. ex confeſſione Aduerſariorum. Vide enim quomodo Vincentius Lenis inchoet cap. 11. libri 1. Theriacæ. *Coactio & neceſſitas in hac liberi arbitrii materia idem prorſus ſignificant. Quibus vnica vox Græca ἀνάγκη reſpondet, ideóque à ſacris interpretibus nunc coactio, nunc neceſſitas verti ſolet. Et licèt nomen iſtud frequentiùs vertatur, neceſſitas, quàm coactio, verbum tamen ἀναγκάζειν inde deductum ſemper Latinè, cogere redditur quia neceſſitare non Latinum: ſed barbarum eſt.* Inde infert Vincentius, eos *turpi hallucinatione*, & errore laborare, qui quotieſcumque vocem neceſſitationis audiunt, vim quandam ferream concipiunt. Ego verò neſcio quinam illi ſint, qui hoc morbo laborant. Sed

dico ex dictis Vincentii ſequi, eos *turpi hallucinatione* & errore laborare, qui quoties legunt apud Sanctos Patres coactionem tantùm deſtruere libertatem, interpretantur, neceſſitatem non deſtruere illam: cùm jam ex ipſo conſtet, coactionem & neceſſitatem in hac materia idem prorſus ſignificare: ac proinde eos qui dicunt libertatem deſtrui coactione, ſignificare libertatem deſtrui neceſſitate.

Et quòd hæc ſit mens quoque Sancti Thomæ, probatur ex hoc ipſo loco. Nam qui dicit in reſponſione ad 3. *impotentiam coactionis opponi libertati*, idem in reſponſione ad 2. ſignificat *eidem opponi neceſſitatem*, cùm dicit, potentiam peccandi in tantum conferre ad laudem, in quantum oſtendit opus quod laudatur *non fuiſſe factum ex neceſſitate*. Impeditura nimirum erat laudem *neceſſitas bene agendi*, ſi nullam relinqueret indifferentiam, ſaltem ad contradictoria: quam adeſſe conſtat, ex eo quod ſupponatur eſſe etiam ad contraria.

Confirmatur ex eo quod citatum eſt ex ſecunda ſecundæ, Qu. 58.
vbi Sanctus Thomas diuidit neceſſitatem, in neceſſitatem coactionis, & neceſſitatem ex obligatione præcepti vel finis, quæ eſt moralis neceſſitas. Nam cùm debeamus ſupponere diuiſionem eſſe bonam & adæquatam, conſequenter fatendum eſt Sanctum Thomam ſub neceſſitate coactionis comprehendiſſe omnem, quæ non eſt moralis, ſeu quæ antecedens & phyſica eſt. Idem conſtat ex ſimili diſtinctione, quam exprimit, cùm dicit *neceſſitatem coactionis facere inuoluntarium*, *non autem neceſſitatem, quæ conſequitur obedientiam*, vbi intelligit obedientiæ votum.

Poſſet hoc confirmari ex aliis Sanctis Patribus, Auguſti- lib. 1. de
no, dum contra Manichæos indifferenter vtitur voce coa- actis cum
ctionis & neceſſitatis, vt ſignificet etiam naturæ inſitam ad Felice Man. c. 8.
peccandum inclinationem: & Bernardo, qui bruta dicit *pa-* Serm. 81.
ti vim à natura: Anſelmo, qui dicit *violentiam naturalis conditionis cogere cælum volui*, in cant.
ſed hæc ſufficiunt ad probandum, quando Sanctus Thomas dicit & eo loco qui objectus eſt, & lib. 2. cur.
aliis, quæ objici poſſunt, *neceſſitatem coactionis opponi* perfecto Deus ho-
voluntario, quod eſt liberum, non ſumere coactionem ſtri- mo cap. 18.
ctè, ſed ex vſu Eccleſiæ & Patrum intelligere neceſſitatem omnem antecedentem, quæ non relinquat potentiam ſuſ-

pendendi actum, ſeu quæ non eſt in noſtra poteſtate. Et vti nos non ſumus contenti, quod Sancti Patres dicant neceſsitatem agendi repugnare libertati; ſed oſtendimus poſitiuè qualem intelligant, nempe illam, ſub qua voluntas *non ſit potens agere, & non agere;* ita & Ianſeniani operam ludunt, quando Patres inducunt dicentes arbitrium eſſe liberum, eo quod non cogitur; niſi oſtendant illos coactionem ſumere ſtrictè: & non eo ſenſu, quo ſolet comprehendere ex eorumdem Patrum vſu antecedentem, & independentem à voluntate agendi neceſsitatem. Quâ vnâ ſolutione euaneſcit aceruus inutilis teſtimoniorum, quæ Ianſenius congeſsit lib. 6. & 8. de gra. Salu.

§. 4. *Explicatur locus ex 3. Sent. diſt. 18. art. 2. ad 5. Quod determinatio ad vnum numero, non tollit rationem meriti & laudis.*

RESTAT ergo vnicum Sancti Thomæ teſtimonium, quod à Commentatore primo loco poſitum eſt. Sumitúrque ex 3. Senten. diſt. 18. art. 2. ad 5. cùm dicitur de libero Chriſti arbitrio. *Dicendum quòd etiamſi eſſet determinatum ad vnum numero, ſicut ad diligendum Deum, quod non facere non poteſt; tamen ex hoc non amittit libertatem aut rationem laudis: quia in illud non coactè, ſed ſponte tendit, & ita eſt actus ſui dominus.*

Ad hunc locum reſpondeo in primis, fuiſſe referenda quæ præcedunt. Cùm enim objectum eſſet, ideo nos non mereri naturalibus, quia ſunt determinata ad vnum: & ideo neque Chriſtum poſſe mereri, quia ejus etiam liberum arbitrium eſt determinatum ad bonum. Reſpondet Sanctus Thomas in hunc modum. *Ad 5. dicendum, quòd liberum arbitrium Chriſti non erat determinatum ad vnum, ſecundùm numerum, ſed ad vnum ſecundùm genus, ſcilicet ad bonum: quia in malum non poteſt.* SED TAMEN HOC POTEST FACERE, ET NON FACERE, ET HOC NON EXCLVDIT LIBERTATEM ARBITRII: *quia poſſe peccare non eſt libertas arbitrii, nec pars libertatis, vt dicit Anſelmus.... Vel dicendum, quòd ſi etiam eſſet determinatum ad vnum numero &c.*

Ex his habemus primò Sanctum Thomam abſolutè pro-

nuntiare liberum Chriſti Domini arbitrium non fuiſſe determinatum ad vnum, ita vt non haberet indifferentiam ad contradictoria, qua poſſet *facere & non facere* : Ergo ruit argumentum, quo potiſſimùm vtitur & Ianſenius, & Apologiſta Ianſenii & Vincentius Lenis, & alii paſſim, ſumptum ex arbitrio Chriſti, quod dicitur, & liberum fuiſſe, & indifferentia caruiſſe: cùm jam conſtet ex abſoluta Sancti Thomæ ſententia, non caruiſſe hujuſmodi indifferentia. Vnde ruet pariter argumentum, ſumptum ex voluntate beatorum, atque etiam ipſius Dei.

Secundò quod addit Diuus Thomas, *vel dicendum, quòd ſi &c.* quamuis haberet illum ſenſum, quem intendunt Aduerſarii; quærerem ab illis, cùm nullo vſquam alio loco S. Th. hanc ſecundam ſolutionem eo ſenſu confirmauerit: ſed hæſerit in priori omnibus in locis quibus occaſio recurrit eadem tractandi; quid illis videretur, an eſſet juſta præſumptio, quòd prior ſolutio eſſet ad mentem S. Thomæ, quam ſcilicet toties inculcaſſet, ſecunda, cujus nuſquam meminiſſet, non eſſet?

Tertiò poſſemus hîc etiam vti confeſsione Ianſenii, ſi eſſet vera, cùm dicit aliquos ex antiquioribus Scholaſticis, cùm initio negarent indifferentiæ neceſsitatem, ſub finem tamen declinaſſe in ſententiam, quæ jam eſt communis. Iam enim monſtratum eſt D. Thomam potiſsimùm deſignari ex interpretatione Vincentii Lenis. Ergo aduerſariis etiam annuentibus dici poſſet S. Thomas ſententiam mutaſſe: & quod illi perperam negant, præferendam priori poſteriorem, quòd non ſit credibile illius ſapientiam in deterius profeciſſe, ætate procedente. to. 3. lib. 6. cap. 33.

Quartò: Sed nihil eſt neceſſe nos ad has ſolutiones confugere, quæ tamen ſufficerent. Videndum quid intelligat S. Th. per hoc quod eſt, *eſſe determinatum ad vnum numero*, & conſtat intelligere objectum numero vnum, cujuſmodi eſt Deus. Opponit enim hoc bonum numero vnum, bono genericè vni, & loquitur ex ſuppoſitione, quòd liberum arbitrium determinatum ſit tantùm vt verſetur circa hoc numero objectum, quibuſcumque tandem actibus verſetur. Atqui hæc determinatio non tollit varietatem actuum, quibus

EXAMINATVR COMMENTARIVS Anonymi in tertiam propoſitionem à Sorbonicis Doctoribus damnatam.

CAPVT I.

Cauſa & ratio ſcribendi huius Commentatoris.

§. 1. *De geſtis apud Sorbonam in cauſa Janſenii.*

DVo circiter anni ſunt, cùm Pariſiis, in conſuetis Sorbonæ comitiis, prima menſis Iulii Syndicus conqueſtus de quorumdam Baccalaureorum audacia, qui expunctas è theſibus Ianſenianas propoſitiones reponebant & propugnabant, petiit vt deſignarentur certi Doctores, ad examinanda talia quædam pronuntiata, quorum audito iudicio, ſequenti menſe Auguſto ſtatui poſſet à tota Facultate quid permittendum, quid vetandum eſſet. Placuit conſilium, deſignatique ſunt Doctores nouem variorum Ordinum, variarúmq; Domorum, qui toto menſe Iulio, & ſtudio quilibet priuato, & ſtatis ſimul omnes congreſſibus, cùm ſuam concepiſſent cenſuram in aliquas huiuſmodi propoſitiones, initio Auguſti referendam ad eadem comitia; Ianſeniani, quia minimè dubiam eſſe intellexerunt ſuæ doctrinæ condemnationem, quod idoneis rationibus, impedire non poterant, diſturbare conati ſunt factionibus, atque tumultu. Iniecto videlicet diſcordiæ pomo, litem mouerunt de præcedentia inter Decanum, & Cancellarium, qua factum, vt tota congreſſus hora his altercationibus conſumpta, re infectâ reditum ſit in ſuam ab vnoquoque domum. Sequutæ ſunt nouæ deinde artes, & nouæ lites, de Religioſis Doctoribus ab hoc cœtu excludendis, de legitima Syndici electione, déque aliis id genus quæſtionibus, quæ liberam non te-

liquerunt hactenus toti Facultati controuerſiæ determinationem, niſi quod declaratum eſt, vt refert D. Hallier in ſuis ad D. Fileau, Regium in Præfectura Pictauienſi Aduocatum, Regiúmque in Academia quoque Pictauienſi Profeſſorem legum, *propoſitiones illas ſatis ſupérque iam fuiſſe damnatas, tum à Concilio Tridentino, tum per bullas Pontificum, tum per antiquiora Sorbonæ decreta.*

Vulgatum tamen eſt illorum nouem iudicium: & ad tertiam propoſitionem, quæ illa ipſa eſt de qua diſputamus, comprehenſam hiſce verbis, *Ad meritum, & demeritum in ſtatu naturæ lapſæ, non requiritur in homine libertas à neceſſitate, ſed ſufficit libertas à coactione.* ſic dicuntur ſubſcripſiſſe doctrinali de more cenſura, *Hæc doctrina destruit rationem meriti & demeriti: eſtque hæretica.* Non fuit hæc noua in Sorbonam inducta definitio, vt iam monui; renouarunt id tantùm quod iampridem ſtatutum fuerat. Siquidem anno 1270. damnata eſt hæc ſententia, *Quòd voluntas hominis ex neceſſitate vult, vel eligit.* Et eódem ſpectabat antecedens alia damnatio anno ſcilicet 1226. iſtius: *Quod voluntate exiſtente in tali diſpoſitione, in qua nata est moueri, & mouente ſic diſpoſito quod natum ſit mouere, impoſſibile est voluntatem non velle.* Et longo pòſt tempore, cùm Eraſmus ex eodem quo Ianſeniani laborant errore, destructæ per Auguſtinum indifferentiæ voluntatis, dixiſſet Auguſtinum vix poſſe conſtituere merita; dictum reprobauit Sorbona in cenſura Eraſmicarum propoſitionum, titulo 16. ſanxitque: *Auguſtinum conformiter ad cæteros Catholicos Doctores, meritum conſtituere, aſſerentem meritum conſtare ex libero arbitrio* VERTIBILI, *& diuina gratia, vt ſit meritum opus & gratiæ & liberi arbitrii* VERTIBILIS, hoc eſt, indifferentis ad oppoſita. Aliquo pòſt tempore, ſcilicet anno 1560. 27. menſis Iunij, damnauit iſtas: *Liberum arbitrium hominis non habet poteſtatem ad oppoſita: nec illi conuenit ea poteſtas ex ipſius naturali & intrinſeca ratione.* Et hanc pronunciauit *hæreticam, falſam, & erroneam, & morali philoſophiæ aduerſam.* Item. *Libertas & neceſſitas eidem conueniunt reſpectu eiuſdem, &, Sola violentia repugnat libertati hominis naturali.* Et hanc ſimiliter, *quoad primam partem hæreticam* dixit. Item, *Liberum arbitrium liberè vult quidquid ſponte ſua voluntariè vult. Ita vt quod neceſſariò vult,*

idem liberè velit. Et hujus ſecundam partem dixit *implicare contradictionem, & eſſe hæreticam.*

Ex quibus patet, nouem illos Doctores, qui ſuperiorem propoſitionem *hæreticam* cenſuerunt, innouaſſe tantùm antiquam Sorbonæ cenſuram, non nouam intuliſſe: & eos qui impedierunt ne tota Facultas ſuper eorum ſententia deliberaret, minimè id aſſequutos quod ſperabant: quòd, eſto, nouam impedierint damnationem, antiquis tamen tam multis teneantur, nec ſperare poſſint recentem Sorbonam à vetere diſceſſuram.

Illi tamen nec animo cadunt, nec vel in cauſa deſperata ſpem amittunt. Eſt inter eos neſcio quis. incognitus enim eſſe voluit, nec ſub alio nomine titulóve intelligi, quàm *Immeritiſſimi Sacerdotis*, qui commentarium ſcripſit in illas quinque propoſitiones, vt earum cenſuram eleuet, obtineátque vt impunè proponi ac propugnari poſſint. Cum quo paucis mihi modò agendum duxi, vt diſcutiantur quæ ille affert in defenſionem tertiæ jam dictæ, de qua hîc agimus.

§. 2. *Commentator proſcriptam propoſitionem apertè tuetur.*

ET quidem ille nihil moratur, nec vt in aliis ſolet, diſtinctionibus variis, diuiſionibúſque ac ſubdiuiſionibus, Lectoris intentionem eludit; poſt teſtimonium Diui Thomæ, qui vt ſuprà retulimus propoſitionem illam cenſet *hæreticam:* poſt Sorbonæ cenſuras idem pronuntiantis: poſt bullam Pij V. & Gregorij XIII. quâ ejuſdem damnatio continetur, ab Vrbano VIII. renouatam, & confirmatam ab Innocentio X. feliciter regnante, contendit *Sacerdos immeritiſſimus* theſim illam conceptis terminis nõn eſſe damnandam: & Sorbonicos Doctores qui damnauerunt vocat *bonos viros*, quibus metuendum eſſe pronuntiat, *ne videantur exiſtimare libertatem ſolam à coactione ad merendum vel demerendum per ſe & ex natura ſua non poſſe ſufficere.* Magnum ſcilicet eſt periculum, & grandis alicujus mali, ſi putentur id exiſtimare: *Quin & timendum*, inquit, *magnopere, ne videatur illorum etiam laudata eſſe ſententia, qui omnem remouent à merito neceſſitatem: eúmque ſolum mereri volunt, qui immediatâ, proximâ & rotundâ quâdam*

indifferentiâ, diuinæ gratiæ vel reſiſtere, vel parere poſſit, ipſa parendi non datâ voluntate: quod falſum tamen eſſe, & D. Thomæ expreſſiſſimis teſtimoniis repugnare, demonſtratum putat.

Mox diſcutiam demonſtratiua hæc teſtimonia: Interea conſtat hunc Auctorem *rotundam* quam vocat indifferentiam, hoc eſt, veram excludere: & quod dicit Tridentinum cum Catholicis omnibus, *liberum à Deo motum poſſe diſſentire*, ita interprerari, vt intelligatur poſſe diſſentire *non immediatè, & proximè, ſed remotè*, hoc eſt, cùm motio diuina euanuerit, & contraria ſucceſſerit, quod nullus vnquam Caluinus, nullus Lutherus, Manichæus omnino nullus negauit, quamuis hi omnes libertatem negaſſe credantur. Et hæc eſt quam vocat neceſſitatem agendi *conditionatam*: quam dicit *in natura lapſa per accidens parere meritum.* Vocat autem *conditionatam*, quia pendet ex conditione præſentis, vel abſentis gratiæ. Si enim eſt præſens gratia, eſt neceſſitas conſentiendi; ſi eſt abſens, eſt neceſſitas non conſentiendi, pertinétque ad ſtatum naturæ lapſæ, in qua eſt viciſſitudo præſentis, & abſentis gratiæ. Sed in vita beata eſt neceſſitas abſoluta, vbi non eſt ejuſmodi viciſſitudo. Iam quod addit, neceſſitatem illam conditionatam in natura lapſa per accidens parere meritum, perabſurdum eſt; dubitóque an ſatis intelligat ipſe quod dicit. Multum eſſet ſi poſſet probare, neceſſitatem illam meritum non impedire: addere autem, non ſolùm non impedire, ſed etiam *illud parere*; viderit ipſe quo ſale condire poſſit cogitationem adeò inſipidam. Atque hæc quæ ſunt tam abſurda ſic pronuntiat, vt velle videatur imperare nobis fidem.

abierit, & aduenerit alia? Quis non fatetur recipiendum Concilij Tridentini canonem ſincerè ac ſine fuco, iuxta propriam verborum ſignificationem? Quòd hæc ſint, aut non ſint ad conciliandum facilia cum gratia phyſicè prædeterminante; alia deinde quæſtio eſt inter nos diſputanda: & ſufficit, quòd illi non aliter hanc gratiam tueantur, quàm ex ſuppoſitione, quòd cum principiis ſtare poſſit, quæ Ianſenianis contraria ſunt: quæ cùm ſint vtrique parti communia in controuerſia de auxiliis; quid aliud ſperare poſſunt Ianſenii diſcipuli, quàm vt cùm ab vna parte fugantur, lapidentur ab alia, ſi animum mutare noluerint?

Sed quia Commentator ſententiam ſuam probare maluit teſtimoniis D. Thomæ, quàm D. Auguſtini; pergamus examinare quid ſentiat Sanctus Thomas, quando jam ſatis monſtratum eſt, quæ Sancti Auguſtini mens fuerit. Monendus tamen priùs eſt, vt calumniam retractet, qua Scholas inquinat, cùm dicit, Sancti Auguſtini auctoritatem eſſe jam in ſcholis *euanidam & emortuam, cùm Sancti Thomæ vegeta ſit, & florens*. Viget & floret etiamnum Sancti Auguſtini auctoritas in Scholis Catholicis: ſed ægrè ferunt quotquot illum ſeriò colunt, Ianſenianos abuti tanto nomine ad ſuas opiniones perſuadendas; atque hanc veram eſſe contendunt Auguſtinianæ auctoritatis injuriam, equidem maximam & inexpiabilem, cogere illum, velit nolit, damnatarum ſententiarum auctorem eſſe ac defenſorem.

§. 2. *Proponuntur decem S. Thomæ teſtimonia, quæ nullo modo probant indifferentiam non eſſe libero arbitrio neceſſariam.*

ERGO videamus quid ſentiat Sanctus Thomas de indifferentia ad libertatem arbitrii neceſſaria, vel de neceſſitate, quæ illi contraria eſt. Contendit Commentator duodecim teſtimoniis, ſolam coactionem, vel cogentem neceſſitatem obeſſe libertati arbitrii, aliam verò nullam obeſſe.

Sed primò delendum eſt ex hoc numero quod affertur ex 3. contra gent. cap. 138. quia jam ſuprà ſolutum eſt, contra Apologiſtam cap. 4. §. 1.

Quæſt. 58. art. 3. Secundò delendum quod affert ex ſecunda ſecundæ, vbi dicitur *Neceſſitas ex obligatione præcepti, ſiue ex obligatione finis non tollere rationem meriti.* Quia non diſputamus de neceſſitate morali, quæ relinquit in voluntate phyſicam non agendi potentiam, cujuſmodi eſt neceſſitas præcepti, quod quiſque violare poteſt; & neceſſitas ex fine, qua liberatur quiſquis vult intentionem mutare. Et vide, Lector, quàm ſint demonſtratiua hæc teſtimonia. Eodem modo ſoluitur quod indidem ſumitur ex quæſt. 81. Art. 6. ad 3. Quia ibi etiam agitur de neceſſitate debiti, & obligationis, quæ non ſolùm non deſtruit arbitrii libertatem, quin potiùs cum ea neceſſariò connectitur.

Quæſt. 4. art. 4. in corp. Quartò expungendum quod affert ex 1. 2. Quia nihil aliud probat, quàm ſtare libertatem ſine indifferentia ad contraria: cùm ſit tantùm quæſtio de indifferentia ad contradictoria, quæ ibi non excluditur.

Quæſt. 182. art. 2. ad 2. Quintò expungendum quod affertur ex ſecunda ſecundæ, dum dicitur, ſi ſtatus beatorum eſſet capax meriti, illos magis merituros propter majorem caritatem. Quia non dicitur magis merituros per actum caritatis neceſſarium, & qui eſt proprius actus comprehenſoris; ſed per alios qui ſunt etiam actus caritatis, & cum indifferentia à Beatis, ſicut & à Viatoribus exercentur.

Sextò expungendum quod refert, non ex quæſt. 169. vbi nihil reperitur eorum quæ refert: ſed ex 186. nec, vt etiam dicit, ex art. 2. ſed ex 5. nec ex corpore art. ſed ex reſponſ. ad 4. Qui omnes lapſus in eundem locum concurrentes, ſatis oſtendunt non legiſſe Sacerdotem quæ citabat. Ergo quod dicit S. Thomas, neceſſitatem coactionis impedire meritum, non autem neceſſitatem, quæ conſequitur obedientiam, quid probat, & quid nocet indifferentiæ? Neceſſitas quæ conſequitur obedientiam, hoc eſt neceſſitas obediendi, quam habent religioſi (de illa enim loquitur) tollit-ne indifferentiam etiam ad contraria, id eſt expeditam ad obediendum, vel tranſgrediendum potentiam? Et vide quàm ſit bonus iſte Sacerdos & quàm perſpicax, dum blanditur ſibi de hoc teſtimonio, & exclamant *Quàm perſpicuè?*

Eadem peccauit in alio teſtimonio, quod etiam ſeptimò expungendum eſt, cùm dicitur *laudabilius eſſe bonum opus, ex*

eo quod procedit ex voluntate firmata in bonum, ſicut peccatum eſt grauius, ex eo quod procedit ex voluntate obſtinata in malum. Quæ quis non videt procedere tantùm contra indifferentiam ad contraria? In voluntatę enim firmata vel ad bonum, vel ad malum, remanet indifferentia ad contradictoria.

Eadem iterum peccat in citatione quæſt. 189. ex tertia parte, quæ eſt quæſtio 89. poſt vltimam. Sed quod refert reperitur in decima nona: non in art. 2. ſed in 3. nec in corpore articuli, ſed in reſponſione ad prim. Vbi dicitur *Chriſtum meruiſſe per caritatem, non in quantum erat caritas comprehenſoris; ſed in quantum erat caritas viatoris.* Ergo (inquit) Chriſtus deſiit mereri, non ex eo quòd immobiliter affigatur amori Dei, ſed quia viator non eſt. Sed hoc quoque octauò expungendum eſt. Quia & in Chriſto viatore fuerunt, & modò ſunt in Chriſto comprehenſore actus caritatis indifferenter eliciti: per hos merebatur in via, per hos non meretur in patria: nec aliud vult Sanctus Thomas.

Expungendum nonò quod citat ex eadem tertia parte, vbi dicitur natura integra in primo inſtanti mereri poſſe bonum volendo, etiamſi malum velle non poſſit. Quod ſimiliter nihil probat, niſi contra indifferentiam ad contraria, cùm ſit quæſtio de indifferentia ad contradictoria. Quæſt. 34. art. 4. ad 1.

Expungendum decimò quod refert ex 1. par. cùm dicitur *Per hoc quod voluntas ab alio moueatur, non impediri meritum, quod non excludatur quin ipſa etiam moueatur à ſe.* Expungendum, inquam, quia nec expreſſè, nec per neceſſariam conſequentiam probat, non requiri indifferentiam contradictionis ad meritum: ſubjicit hic Commentator: *Bone Lector, beati aut Angeli qui liberi ſunt à ſola coactione, non mouentur ab intrinſeco?* Sed, inquam, ô Bone Commentator, etiam bruta nonne mouentur ab intrinſeco? Ergo hoc quod eſt moueri ab intrinſeco, eſt quidem aliquid requiſitum ad meritum, ſed non eſt totum, quod requiſitum eſt: neque D. Thomas dicit id ſufficere. Interea caue, ne Beatos aut Angelos à ſola coactione liberos dicas in omnibus ſuis actibus, ne cum Diuo Thoma pugnare videaris. Quæſt. 105. art. 4. ad 3.

§. 3. *Diluitur vndecimum teſtimonium, & quid paſſim intelligatur apud S. Thomam, & alios Patres nomine coactionis, conſentientibus ipſis Ianſenianis.*

EXPVNGENDVM eſt vndecimò quod citatur ex 3. Sententiarum, vbi dicitur *impotentiam coactionis, quæ opponitur voluntario, tollere rationem meriti, & demeriti: non autem impotentiam, quæ eſt ex perfectione in bonitate vel malitia: quia hæc voluntarium non tollit, ſed ponit voluntatem, confirmatam ad vnum*, hoc inquam, expungendum eſt. Quia etiam non procedit niſi contra neceſſitatem indifferentiæ ad contraria, nos autem pugnamus tantùm pro indifferentia ad contradictoria, quæ reperitur adhuc in iis, qui habent voluntatem confirmatam ad vnum, hoc eſt, confirmatam ad bonitatem, vel confirmatam ad malitiam. Et vt ſemel præcidantur multa loca, quæ Ianſenius ac Ianſeniani producunt, tum ex S. Thoma tum ex aliis Patribus, qui nihil aliud requirunt ad libertatem, quàm vt voluntas non cogatur; Aduertendum eſt, ſumere illos coactionem latè, prout confunditur cum neceſſitate, præſertim antecedenti atque independenti à voluntate & inſuperabili: ac proinde idem eſt ſolam coactionem impedire libertatem: ac ſolam neceſſitatem quæ talis eſt, hoc eſt, quæ, vt loquitur Auguſtinus, *non eſt in noſtra poteſtate*, libertatem impedire.

Ita ſumi coactionem vel neceſſitatem coactionis conſtat 1. ex confeſſione Aduerſariorum. Vide enim quomodo Vincentius Lenis inchoet cap. 11. libri 1. Theriacæ. *Coactio & neceſſitas in hac liberi arbitrii materia idem prorſus ſignificant. Quibus vnica vox Græca ἀνάγκη reſpondet, ideóque à ſacris interpretibus nunc coactio, nunc neceſſitas verti ſolet. Et licèt nomen iſtud frequentiùs vertatur, neceſſitas, quàm coactio, verbum tamen ἀναγκάζειν inde deductum ſemper Latinè, cogere redditur quia neceſſitare non Latinum ſed barbarum eſt.* Inde infert Vincentius, eos *turpi hallucinatione*, & errore laborare, qui quotieſcumque vocem neceſſitationis audiunt, vim quandam ferream concipiunt. Ego verò neſcio quinam illi ſint, qui hoc morbo laborant. Sed

dico ex dictis Vincentii ſequi, eos *turpi hallucinatione* & errore laborare, qui quoties legunt apud Sanctos Patres coactionem tantùm deſtruere libertatem, interpretantur, neceſſitatem non deſtruere illam: cùm jam ex ipſo conſtet, coactionem & neceſſitatem in hac materia idem prorſus ſignificare: ac proinde eos qui dicunt libertatem deſtrui coactione, ſignificare libertatem deſtrui neceſſitate.

Et quòd hæc ſit mens quoque Sancti Thomæ, probatur ex hoc ipſo loco. Nam qui dicit in reſponſione ad 3. *impotentiam coactionis opponi libertati*, idem in reſponſione ad 2. ſignificat *eidem opponi neceſſitatem*, cùm dicit, potentiam peccandi in tantum conferre ad laudem, in quantum oſtendit opus quod laudatur *non fuiſſe factum ex neceſſitate.* Impeditura nimirum erat laudem *neceſſitas bene agendi*, ſi nullam relinqueret indifferentiam, ſaltem ad contradictoria: quam adeſſe conſtat, ex eo quod ſupponatur eſſe etiam ad contraria.

Confirmatur ex eo quod citatum eſt ex ſecunda ſecundæ, Qu. 58.
vbi Sanctus Thomas diuidit neceſſitatem, in neceſſitatem coactionis, & neceſſitatem ex obligatione præcepti vel finis, quæ eſt moralis neceſſitas. Nam cùm debeamus ſupponere diuiſionem eſſe bonam & adæquatam, conſequenter fatendum eſt Sanctum Thomam ſub neceſſitate coactionis comprehendiſſe omnem, quæ non eſt moralis, ſeu quæ antecedens & phyſica eſt. Idem conſtat ex ſimili diſtinctione, quam exprimit, cùm dicit *neceſſitatem coactionis facere inuoluntarium*, *non autem neceſſitatem, quæ conſequitur obedientiam*, vbi intelligit obedientiæ votum.

Poſſet hoc confirmari ex aliis Sanctis Patribus, Augusti- lib. 1. de actis cum Felice Man. c. 8.
no, dum contra Manichæos indifferenter vtitur voce coactionis & neceſſitatis, vt ſignificet etiam naturæ inſitam ad peccandum inclinationem: & Bernardo, qui bruta dicit *pa-* Serm. 81. in cant.
ti vim à natura: Anſelmo, qui dicit *violentiam naturalis conditionis cogere cælum volui*, ſed hæc ſufficiunt ad probandum, quando Sanctus Thomas dicit & eo loco qui objectus eſt, & lib. 2. cur. Deus homo cap. 18.
aliis, quæ objici poſſunt, *neceſſitatem coactionis opponi* perfecto voluntario, quod eſt liberum, non ſumere coactionem ſtrictè, ſed ex vſu Eccleſiæ & Patrum intelligere neceſſitatem omnem antecedentem, quæ non relinquat potentiam ſuſ-

pendendi actum, ſeu quæ non eſt in noſtra poteſtate. Et vti nos non ſumus contenti, quod Sancti Patres dicant neceſsitatem agendi repugnare libertati; ſed oſtendimus poſitiuè qualem intelligant, nempe illam, ſub qua voluntas *non ſit potens agere, & non agere;* ita & Ianſeniani operam ludunt, quando Patres inducunt dicentes arbitrium eſſe liberum, eo quod non cogitur; niſi oſtendant illos coactionem ſumere ſtrictè: & non eo ſenſu, quo ſolet comprehendere ex eorumdem Patrum vſu antecedentem, & independentem à voluntate agendi neceſsitatem. Quâ vnâ ſolutione euaneſcit aceruus inutilis teſtimoniorum, quæ Ianſenius congeſsit lib. *6.* & S. de gra. Salu.

§. 4. *Explicatur locus ex 3. Sent. diſt. 18. art. 2. ad 5. Quod determinatio ad vnum numero, non tollit rationem meriti & laudis.*

RESTAT ergo vnicum Sancti Thomæ teſtimonium, quod à Commentatore primo loco poſitum eſt. Sumitúrque ex 3. Senten. diſt. 18. art. 2. ad 5. cùm dicitur de libero Chriſti arbitrio. *Dicendum quòd etiamſi eſſet determinatum ad vnum numero, ſicut ad diligendum Deum, quod nòn facere non poteſt; tamen ex hoc non amittit libertatem aut rationem laudis: quia in illud non coactè, ſed ſponte tendit, & ita eſt actus ſui dominus.*

Ad hunc locum reſpondeo in primis, fuiſſe referenda quæ præcedunt. Cùm enim objectum eſſet, ideo nos non mereri naturalibus, quia ſunt determinata ad vnum: & ideo neque Chriſtum poſſe mereri, quia ejus etiam liberum arbitrium eſt determinatum ad bonum. Reſpondet Sanctus Thomas in hunc modum. *Ad 5. dicendum, quòd liberum arbitrium Chriſti non erat determinatum ad vnum, ſecundùm numerum, ſed ad vnum ſecundùm genus, ſcilicet ad bonum: quia in malum non poteſt.* SED TAMEN HOC POTEST FACERE, ET NON FACERE, ET HOC NON EXCLVDIT LIBERTATEM ARBITRII: *quia poſſe peccare non eſt libertas arbitrii, nec pars libertatis, vt dicit Anſelmus.... Vel dicendum, quòd ſi etiam eſſet determinatum ad vnum numero &c.*

Ex his habemus primò Sanctum Thomam abſolutè pro-

nuntiare liberum Chriſti Domini arbitrium non fuiſſe determinatum ad vnum, ita vt non haberet indifferentiam ad contradictoria, qua poſſet *facere & non facere :* Ergo ruit argumentum, quo potiſſimùm vtitur & Ianſenius, & Apologiſta Ianſenii & Vincentius Lenis, & alii paſſim, ſumptum ex arbitrio Chriſti, quod dicitur, & liberum fuiſſe, & indifferentia caruiſſe: cùm jam conſtet ex abſoluta Sancti Thomæ ſententia, non caruiſſe hujuſmodi indifferentia. Vnde ruet pariter argumentum, ſumptum ex voluntate beatorum, atque etiam ipſius Dei.

Secundò quod addit Diuus Thomas, *vel dicendum, quòd ſi &c.* quamuis haberet illum ſenſum, quem intendunt Aduerſatii; quærerem ab illis, cùm nullo vſquam alio loco S. Th. hanc ſecundam ſolutionem eo ſenſu confirmauerit: ſed hæſerit in priori omnibus in locis quibus occaſio recurrit eadem tractandi; quid illis videretur, an eſſet juſta præſumptio, quòd prior ſolutio eſſet ad mentem S. Thomæ, quam ſcilicet toties inculcaſſet, ſecunda, cujus nuſquam meminiſſet, non eſſet?

Tertiò poſſemus hic etiam vti confeſsione Ianſenii, ſi eſſet vera, cùm dicit aliquos ex antiquioribus Scholaſticis, cùm initio negarent indifferentiæ neceſsitatem, ſub finem tamen declinaſſe in ſententiam, quæ jam eſt communis. Iam enim monſtratum eſt D. Thomam potiſsimùm deſignari ex interpretatione Vincentii Lenis. Ergo aduerſariis etiam annuentibus dici poſſet S. Thomas ſententiam mutaſſe: & quod illi perperam negant, præferendam priori poſteriorem, quòd non ſit credibile illius ſapientiam in deterius profeciſſe, ætate procedente. to. 3. lib. 6. cap. 33.

Quartò: Sed nihil eſt neceſſe nos ad has ſolutiones confugere, quæ tamen ſufficerent. Videndum quid intelligat S. Th. per hoc quod eſt, *eſſe determinatum ad vnum numero*, & conſtat intelligere objectum numero vnum, cujuſmodi eſt Deus. Opponit enim hoc bonum numero vnum, bono genericè vni, & loquitur ex ſuppoſitione, quòd liberum arbitrium determinatum ſit tantùm vt verſetur circa hoc numero objectum, quibuſcumque tandem actibus verſetur. Atqui hæc determinatio non tollit varietatem actuum, quibus

voluntas exerceri poteſt circa illud numero objectum, nec indifferentiam contradictionis circa quemlibet actum in particulari. Ergo non ſupponit S. Thomas ablatam illam indifferentiam. Et confirmatur ex eo quod dicit, *quia in illud objectum non coactè, ſed ſponte tendit, & ita eſt actus ſui dominus.*

Cap. 47. Iam enim conſtat ex 2. contra gentes, & aliis multis locis, voluntatem liberam ideo dici dominam ſui actus, *quia in ipſa eſt agere & non agere.* Ac proinde, cùm dicit, non coactè, ſed ſponte, ſpontaneitatem intelligit perfectam. Nam illa quæ reperitur in brutis nihil facit ad libertatem: & conſequenter coactionem excludit non ſtrictam ſolùm, ſed vt comprehendit omnem neceſſitatem, quæ non eſt in noſtra poteſtate.

Hæc igitur eſt ſumma doctrinæ Diui Thomæ, loco citato. Ad argumentum propoſitum primò reſpondet abſolutè, liberum arbitrium Chriſti, eſſe quidem determinatum ad vnum genericè, nempe ad bonum in communi, prout opponitur omni malo; ſed habere indifferentiam circa ſpecifica & numerica bona: & hoc ſatis eſſe, vt ſit capax meriti. Secundò reſpondet ex hypotheſi, quòd quis contendat liberum arbitrium Chriſti eſſe determinatum ad vnum numero bonum, verbi gratia ad Deum, quem non poteſt non amare; quia tamen varii ſunt modi, quibus ferri poteſt in hoc vnum numero bonum, retinere adhuc libertatem & indifferentiam circa illos actus omnes, qui cadere poſſunt in viatorem (nam amor beatificus comprehenſoris actus eſt) eóſque elicere ſine vlla eliciendi neceſſitate: ac proinde ſine coactione, ſed ſponte, ac voluntariè, voluntate perfecta & deliberata. Et hic eſt finis teſtimoniorum Sacerdotis, quibus conſtat S. Thomam minimè teſtari quod ipſe vult.

CAPVT

CAPVT III.

Probatur quinquaginta duobus teſtimoniis Sancti Thomæ, indifferentiam eſſe ad libertatem arbitrii neceſſariam.

SED experiendum eſt, an teſtetur etiam quod ipſe non vult. Et adductum jam eſt teſtimonium ex quæſt. ſexta de malo art. 1. quod vnum inſtar multorum eſt. Ex libris contra gentes numerauimus ſaltem ſex admodum expreſſa. Suprà con. Vincent. c. 5. Et con. Apolog. cap. 4.

Octauum ergo ſequitur ex Quodlibeto 1. vbi & libertatem à neceſſitate humanæ voluntati aſſerit: & veluti proprium virtutis rationalis aſſignat, quòd ſe habeat ad oppoſita, eique ita Deum motionem ſuam accommodare, vt reſiſtere homo poſſit, his verbis. *Ad ſecundum dicendum quòd Deus mouet omnia, ſecundùm modum eorum: & ideo diuina motio à quibuſdam participatur cum neceſſitate, à natura autem rationali cum libertate, propter hoc,* QVOD VIRTVS RATIONALIS SE HABET AD OPPOSITA: *& ideo ſic Deus mouet mentem humanam ad bonum, quòd* TAMEN POTEST HVIC MOTIONI RESISTERE, *& ſic ex Deo eſt vt homo ſe ad gratiam præparet.* ar. 7 ad 2.

Nonum ex quæſt. de potentia, vbi ſic diſtinguit voluntatem, prout eſt voluntas, à ſe ipſa prout eſt naturale principium, vt ei ſub priori ratione ſicuti libertatem, ita & indifferentiam omnino attribuat. Et ideo negat voluntatem, vt voluntas eſt, eſſe poſſe principium diuinarum productionum. His verbis. *Voluntas, inquantum voluntas, cùm ſit libera,* AD VTRVMLIBET SE HABET. (Nota quomodo ex libertate infert indifferentiam) *poteſt* ENIM VOLVNTAS AGERE, VEL NON AGERE: SIC VEL SIC FACERE, VELLE ET NON VELLE. *Et ſi reſpectu alicujus hoc voluntati non conueniat; hoc accidet voluntati, non inquantum voluntas eſt: ſed ex inclinatione naturali, quam habet ad aliquid, ſicut ad finem vltimum, quem non poteſt non velle &c.*

art.7. ad 13. Decimum ex eadem quæſt. Vbi à voluntate libera excluditur neceſſitas, indifferentiæ oppoſita, his verbis. *Ad 13. dicendum, quòd voluntas dicitur habere dominium ſui actus, non per excluſionem cauſæ primæ; ſed quia cauſa prima non ita agit in voluntate,* VT EAM DE NECESSITATE AD VNVM DETERMINET, *ſicut determinat naturam: & ideo determinatio actus relinquitur in poteſtate rationis & voluntatis.* Confer hæc cum illa Ianſenii ſententia, qua cenſet Semipelagianum eſſe, Deum per gratiam ſuam ſic mouere voluntatem, vt conſentire, vel non conſentire eius arbitrio relinquatur.

art.1. ad 3. Vndecimum ex quæſt. 9. de potentia, vbi dominium agentis liberi in ſuos actus ſic explicatur. *Hoc quod eſt per ſe agere, excellentiori modo conuenit ſubſtantiis rationalis naturæ, quàm aliis. Nam ſolæ ſubſtantiæ rationales habent dominium ſui actus:* ITA QVOD IN EIS EST AGERE, ET NON AGERE: *aliæ verò ſubſtantiæ magis aguntur, quam agunt. Et ideo conueniens fuit, vt ſubſtantia indiuidua rationalis naturæ ſpeciale nomen haberet.*

art.3. ad 8. Duodecimum ex quæſt. 3. de malo. Vbi dicit in tantum reperiri peccatum in concupiſcentia carnis, in quantum ratio poteſt illam impedire vel refrænare, quod nullum foret, ſi non eſſet hæc poteſtas: hoc eſt, ſi neceſſariò, & ſublata poteſtate conſentiendi, vel diſſentiendi, concupiſcentia moueret voluntatem. Verba illius ſunt. *Ad octauum dicendum, quòd concupiſcentia carnis contra ſpiritum eſt actus ſenſualitatis, in qua poteſt eſſe peccatum,* SECVNDVM QVOD MOTVS EIVS POTEST IMPEDIRI VEL REFRÆNARI RATIONE. *Vnde ſi motus ſenſualitatis inſurgat ex aliqua tranſmutatione corporali, ratione actualiter reſiſtente, quod eſt in arbitrio voluntatis, nullum eſt ibi peccatum.* Ideo ergo peccatur, quia cùm poſſit reſiſti, non reſiſtitur: & ratione hujus poteſtatis reſiſtendi, verum eſt quod concludit Sanctus Thomas. *Vnde patet, quòd omne peccatum eſt in arbitrio voluntatis.*

art. 5. Decimumtertium ex quæſtione 22. de veritate, vbi iterum repetit, voluntatem circa ea, in quæ fertur, non vt natura quædam, ſed vt voluntas, verſari ſecundùm propriam determinationem, non ex neceſſitate. Neceſſitas autem quam excludit, illa ipſa eſt quam admittit in amore beatitudinis, quam Aduerſarii non putant habere ſpeciem vllam coactio-

nis. Et cùm objectum eſſet, Eſſe nos dominos noſtrorum actuum, & in eo ſitum eſſe dominium illud, *quòd poſſimus velle, & non velle*, vnde ſequitur nos non habere neceſſitatem aliquid volendi; Reſpondet S. Thomas: *Ad 7. dicendum, quòd ratio illa procedit de voluntate, ſecundùm quod voluntas eſt; hoc enim eſt proprium voluntatis* INQVANTVM EST VOLVNTAS, *quòd ſit domina ſuorum actuum.* Obiectionem ergo approbat intellectam de voluntate, vt eſt voluntas, hoc eſt, vt eſt libera, non vt eſt natura.

Decimumquartum ex eadem quæſt. vbi pariter libertatem exponit in vniuerſum, & in quolibet ſtatu, per oppoſitionem ad neceſſitatem, quâ impediatur indifferentia volendi vel non volendi, his verbis: *Cùm autem voluntas dicatur libera, inquantum neceſſitatem non habet, libertas voluntatis in tribus conſiderabitur. Scilicet quantum ad actum,* IN QVANTVM POTEST VELLE VEL NON VELLE: *& quantum ad objectum, in quantum poteſt velle hoc vel illud, & ejus oppoſitum: & quantum ad ordinem finis, inquantum poteſt velle bonum vel malum. Sed quantum ad primum horum ineſt libertas voluntati* IN QVOLIBET STATV NATVRÆ RESPECTV CVIVSLIBET OBIECTI *&c.* art. 6.

Decimumquintum ex eadem quæſt. dum quærit an aliquis mereatur volendo illud quod neceſſitate vult. Et concludit. *Quando ergo ex propria ratione adjutus diuina gratia, homo apprehendit aliquod ſpeciale bonum, vt ſuam beatitudinem, in quo verè ſua beatitudo conſiſtit, tunc meretur. Non ex hoc quòd appetit beatitudinem, quam naturaliter appetit, ſed ex hoc quod appetit hoc ſpeciale* QVOD NON NATVRALITER APPETIT *vt viſionem Dei: in quo tamen, ſecundùm rei veritatem, ſua beatitudo conſiſtit.* Hoc verò eſt diſertè ſignificare, indifferentiam ad merendum requiri. Quare enim non meretur homo, dum fertur in beatitudinem per modum naturæ, ſed per modum voluntatis, niſi quia quatenus naturaliter fertur, neceſſariò fertur; quatenus fertur voluntariè, fertur ſine neceſſitate, & conſequenter cum indifferentia? art. 7.

Decimumſextum ex eadem quæſtione, vbi clarè docet etiam inclinationem, quam Deus ſuperaddit voluntati per art. 1.

ſuam gratiam, relinquere indifferentiam, his verbis: *Sed hæc quidem inclinatio ſuperaddita quandoque eſt perfecta, quandoque imperfecta. Quandoquidem eſt perfecta, facit neceſſariam inclinationem in id, ad quod determinat. Sicut per naturam de neceſſitate inclinatur voluntas in appetendum finem, ſicut contingit in beatis, in quibus caritas perfecta inclinat ſufficienter in bonum: non ſolùm quantum ad finem vltimum, ſed quantum ad ea quæ ſunt ad finem. Aliquando verò forma ſuperaddita non eſt vſquequaque perfecta, ſicut eſt in viatoribus: & tunc ex forma ſuperaddita voluntas inclinatur quidem,* SED NON EX NECESSITATE. Vides quando forma illa eſt imperfecta, vt in viatoribus, non ſolùm excludi coactionem, ſed etiam neceſſitatem, qualis eſt in beatis?

art.1. Decimumſeptimum ex quæſt. 24. de veritate, vbi ex indifferenti atque indeterminata cognitione rationalis agentis, colligit liberum arbitrium. *Et ideo,* inquit, *eſt liberi arbitrii, quaſi diceretur liberi iudicii de* AGENDO, VEL NON AGENDO. E contrario negat eſſe poſſe in brutis liberum arbitrium, quòd inſtinctu quodam naturæ idem eodem modo ſemper apprehendant: ſicut omnes hirundines, *quæ ſimiliter*, inquit, *faciunt nidum.* Et in reſponſione ad ſecundum, *quòd homo non poteſt ſine gratia agere opera meritoria, nihil derogat perfectæ libertati. Quia homo dicitur liberi arbitrii ſecundùm quod poteſt agere hoc vel illud, non ſecundùm quod poteſt ſic vel ſic agere*, hoc eſt meritoriè, vel demeritoriè. Et cùm objecta eſſet peccandi neceſſitas, quæ contraria eſt indifferentiæ, nequaquam reſpondet vt Ianſenius, admittendo neceſſitatem illam, ſed negando, & concludendo *voluntatem reſpectu nullius peccati habere neceſſitatem.* Et cùm iterum objectum eſſet, immobilem adhæſionem ad Deum, quæ maximè decet creaturam rationalem, repugnare illius libertati, quòd ſcilicet excludat indifferentiam; non cogitauit de reſponſione Ianſenii, qui putat in illa immobilitate libertatem eſſe perfectiſſimam: ſed vide quid dicat, *Si tamen aliqua creatura immobiliter adhæreret Deo, non propter hoc priuaretur libero arbitrio:* QVIA POTEST ADHÆRENDO, MVLTA FACERE, VEL NON FACERE. Nempe intantum eſſet libera, in quantum eſſet indifferens ad multa, ſalua immobili adhæſione ad vnum. Et cùm objecta eſſet naturalis inclinatio ad beatitudinem, quaſi non poſſit ſtare cum indifferentia, nec prom-

de cum libertate; negat hinc impediri arbitrii libertatem, *Quòd diuerſæ viæ remaneant eligibiles ad conſequutionem illius finis.* Denique, nec ex paſſionibus oriri putat neceſſitatem illam, quam admittit Ianſenius, *eò quòd in poteſtate animæ rationalis ſit,* ACCIPERE VEL REFVTARE PASSIONES SVBORTAS, quam eandem poteſtatem admittit circa vſum habituum. Hæc autem omnia indifferentiam clamant libertati arbitrii neceſſariam. Et hoc vnum teſtimonium vide quàm multiplex ſit.

Decimumoctauum ex eadem quæſt. dum quærit an ſit admittendum in brutis liberum arbitrium. Vbi conſtat totam rationem, cur illud negetur in brutis, admittatur in hominibus, ex indifferentia peti. *In brutis* (inquit) *eſt aliqua ſimilitudo liberi arbitrii, inquantum poſſunt agere, vel non agere vnum & idem, ſecundùm ſuum judicium: & ſic eſt in eis quædam conditionata libertas. Poſſunt enim agere, ſi judicant eſſe agendum, vel non agere ſi non judicant. Sed quia judicium eorum eſt determinatum ad vnum,* PER CONSEQVENS ET APPETITVS ET ACTIO AD VNVM DETERMINATVR. Quod quid aliud eſt, quàm dicere bruta in iiſdem circumſtantiis ſemper idem judicare, & ſuppoſita identitate judicii, ſemper idem appetere: & ideo non eſſe in illis niſi conditionatam libertatem, quia ſcilicet non eſt niſi conditionata indifferentia? Vnde intelligas juxta Diuum Thomam, & ea quæ antea de doctrina Ianſenii dicta ſunt, non eſſe niſi conditionatam, quam admittit hic auctor, libertatem, qualis eſt brutorum. Quia ſicut in brutis debet mutari judicium, vt poſſint appetere aliud, quàm quod appetunt; ita & in homine, inquit Ianſenius, debet mutari diſpoſitio. Sed D. Th. *in poteſtate hominum eſt*, inquit, *vt eiſdem rebus ſimiliter repræſentatis, ſiue ſint præcepta, vel prohibitiones, ſiue ſint beneficia & flagella,* ELIGANT VEL FVGIANT *judicio rationis.* Item, *Ouis viſo lupo neceſſe habet timere & fugere: & canis inſurgente paſſione iræ, neceſſe habet latrare & proſequi ad nocendum: ſed homo non neceſſario mouetur ab iis, quæ ſibi occurrunt, vel à paſſionibus inſurgentibus:* QVIA POTEST EAS ACCIPERE VEL REFVGERE: *& ideo homo eſt liberi arbitrii, non autem bruta.* Vide etiam reſponſionem ad tertium, vbi ad libertatem requiritur indifferentia, non circa actiones externas, ſed circa internos, & art. 2.

elicitos actus appetitus, quæ non reperitur in brutis.

Decimumnonum ex eadem quæſt. vbi probat eſſe in Deo liberum arbitrium, quia circa alia à ſe habet indifferentiam, propterea quòd eius bonitas illis non egeat, niſi ad ſui manifeſtationem. *Vnde remanet & liberum iudicium* AD VOLENDVM HOC VEL ILLVD, SICVT IN NOBIS EST. *Et propter hoc oportet dicere in Deo liberum arbitrium inueniri*. Et in reſp. ad 3. *Dicendum quòd voluntas diuina ſe habet ad oppoſita: non quidem vt aliquid velit, & poſtea nolit; quod eius immutabilitati repugnaret: nec vt poſſit bonum & malum, quia defectibilitatem in Deo poneret. Sed* QVIA POTEST HOC VELLE, ET NON VELLE.

art. 3. in corp.

art. 1. Vigeſimum ex eadem quæſt. Vbi obſtinationem in malo in hac vita ponit, non in impoſſibilitate benè agendi, vt facit Ianſenius: ſed in difficultate. Et in reſponſione ad tertium, *Dicendum quod Auguſtinus comparat amorem ponderi, quia vtrumque inclinat. Non tamen oportet quòd ſit ſimilitudo, quantum ad omnia: & ideo non ſequitur quòd ille qui amat aliquid, nullam habeat ad contrarium inclinationem, niſi fortè de amore perfectiſſimo.* Et ad quartum, *Dicendum quòd ille, qui peccat ex malitia, dicitur eſſe impœnitibilis, non quòd nullo modo poſſit pœnitere; ſed quia non de facili pœnitere poteſt.* En vt ſemper ſaluat indifferentiam, id eſt poteſtatem non faciendi quod fit, vt ſalua ſit libertas.

art. 2. Vigeſimumprimum ex eadem quæſt. dum quærit an exiſtens in peccato mortali poſſit per liberum arbitrium vitare alia peccata mortalia: & aſſerit poſſe vitare in qualibet occaſione: & ex diſputatis ita concludit. *Patet ergo ex dictis, quòd nec liberum arbitrium tollimus, cùm dicimus quodlibet peccatum ſingulariter liberum arbitrium poſſe vitare.* En in quo ſeruari putet liberum arbitrium ſub illa neceſſitate, quam patiuntur qui voluntatem habent peccato mortali habitualiter adhærentem, alia peccata, ſi diu ita maneant, committendi. Pergit, & diſcrepantes in ſpeciem Doctorum ſententias ſic verificari & conciliari oſtendit. *Quorum quidam dicunt hominem abſque habituali gratia gratum faciente, poſſe peccatum mortale vitare, quamuis non ſine diuino auxilio, quod hominem ſua prouidentia ad bona agenda & mala vitanda gubernat. hoc enim verum eſt, cùm contra peccatum conari voluerit, ex quo contingit, vt poſſit ſin-*

gula vitare. En tibi diuini auxilii præſentiam ad vitanda ſingula peccata, etiam in exiſtentibus in peccato mortali. Pergit, *Alij verò dicunt, quòd non poteſt homo ſine gratia diu ſtare quin peccet mortaliter. Quod quidem verum eſt, quantum ad hoc quod non diu contingit hominem eſſe habitualiter diſpoſitum ad peccandum, quin occurrat ſibi repente aliquod operandum, in quo ex inclinatione mali habitus labitur in conſenſum peccati mortalis: cùm non ſit poſſibile hominem diu eſſe vigilem, ad hoc quòd ſufficientem ſollicitudinem adhibeat ad vitandum peccatum mortale.*

Et in reſponſione ad quartum, quo dicebatur peccator non poſſe niſi peccare, ſicut tibia curua non poteſt niſi claudicare; ſignificat claudicare ſimilitudinem hanc, his verbis: *Exemplum Auguſtini de curuitate, quantum ad aliquid non eſt ſimile. Quia ſcilicet non eſt in poteſtate tibiæ, vt vtatur ſua curuitate vel non vtatur: ideo oportet omnem motum tibiæ, curuæ claudicationem eſſe. Liberum autem arbitrium* POTEST VTI, VEL NON VTI SVA CVRVITATE.

Et ad decimumſecundum, *Cupiditas dicitur cogens liberum arbitrium, propter vehementiam inclinationis, cui tamen poteſt reſiſti, licèt cum difficultate.* Ad 13. de habitibus idem dicit, *poſſe ſcilicet liberum arbitrium agere contra habitum, licèt cum difficultate.*

Et iterum in reſponſione ad primum ſecundæ ſententiæ, dicit *præiudicari libertati*, SI HOMO NON POSSET VITARE PECCATVM *in contrarium conando, non verò ſi homo non poſſit eſſe in continua ſollicitudine vitandi peccatum.* Idem repetit in reſponſione ad ſecundum, & ad ſeptimum. *Dicendum quòd aliquis exiſtens in peccato mortali, poteſt vitare omnia peccata mortalia, auxilio gratiæ,* POTEST ETIAM EX NATVRALI VIRTVTE SINGVLA VITARE, *quamuis non omnia: & ideo non ſequitur quòd peccatum committendo non peccet.* Idem repetit in reſponſ. ad octauum. Vide, Lector, quot teſtimonia pro ſaluanda indifferentia liberi arbitrii, vnico in articulo S. Thomæ, & quàm diſertè contradicat Ianſenianæ impoſſibilitati ſeruandi mandata, ſeu quod idem eſt, peccandi neceſſitati.

Vigeſimumſecundum ex eadem quæſt. Vbi concludit hominem exiſtentem in gratia, poſſe non peccare, loquendo de peccato mortali, quia habenti gratiam non ineſt ali- art. 13

qua habitualis inclinatio ad peccatum, quin potiùs ineſt ei aliqua habitualis inclinatio ad vitandum peccatum: & ideo quando occurrit ei aliquid, ſub ratione peccati mortalis, ex habituali inclinatione diſſentit ab illo, niſi in contrarium nitatur, concupiſcentias ſequendo. Item. *Quia nullus motus liberi arbitrii in eo præcedit plenam deliberationem pertrahens ad peccatum, quaſi inclinatione habitus, ideo poteſt* OMNIA PECCATA MORTALIA VITARE. Audiant iterum qui dicunt, *eſſe aliqua Dei præcepta hominibus juſtis orantibus, conantibus, volentibus, ſecundùm præſentes quas habent vires, impoſſibilia: deeſſe quoque gratiam qua poſſibilia fiant*, quin etiam, *deeſſe gratiam orationis* ad impetrandas vires. Addit S. Thom. *Etiamſi poſſit homo juſtus vitare ſingula peccata, donum tamen perſeuerantiæ non eſſe in illius poteſtate; ſed à Deo petendum eſſe, quod aliàs declaratum eſt.*

art. 4. Vigeſimumtertium, ex eadem quæſt. Vbi juſtitiam correptionis infert ex poteſtate, quam habet is qui corripitur, non peccandi, hoc eſt, ex indifferentia, his verbis: *Ad ſecundum dicendum, quòd rectè homo corripitur, qui præcepta non implet, quia ex ejus negligentia eſt, quòd gratiam non habet, per quam poteſt ſeruare mandata, quantum ad modum:* CVM POSSIT NIHILOMINVS PER LIBERVM ARBITRIVM EA SERVARE QVANTVM AD SVBSTANTIAM. Modus ille, modus eſt caritatis, ita vt obſeruatio meritoria ſit: ſubſtantia verò eſt facere quod præcipitur, ita vt peccatum vitetur: vt conſtat ex antecedentibus & conſequentibus.

art. 6. ad. 1. Vigeſimumquartum ex quæſt. 29. de veritate. Vbi libertatem ad meritum neceſſariam in Chriſto ſic defendit. *Ad primum ergo dicendum, quòd licèt anima Chriſti eſſet determinata ad vnum, ſecundùm genus moris, ſcilicet ad bonum; non tamen erat determinata ad vnum ſimpliciter*, POTERAT ENIM HOC VEL ILLVD FACERE ET NON FACERE, ET IDEO LIBERTAS *in eo remanebat quæ requiritur ad merendum.*

dist. 16. qu. 1. art. 2. Vigeſimumquintum ex 1. ſentent. Vbi ex libertate diuinæ voluntatis colligit contingentiam volitorum, & indifferentiam ad eſſe & non eſſe. *Voluntas*, inquit, *quantum eſt in ſe, libera eſt: vnde principiata voluntatis ſunt tantùm ea, quæ poſſunt eſſe vel non eſſe.* Quia vt ſuppoſuit, procedunt à voluntate, ſe-

cun-

cundùm conditionem voluntatis, quæ conditio eſt libertas. Libertas autem quomodo communicare poteſt contingentiam illam, niſi quia indifferens eſt vt velit, vel nolit eſſe ea quæ producit? Et quomodo conciliabitur hoc cum ſententia Ianſenianorum, qui volunt Spirationem eſſe liberam in Deo, libertate quæ ſufficeret ad meritum, ſi Deus eſſet capax merendi?

Vigeſimumſextum expreſſiſſimum eſt ex 2. ſentent. vbi cùm dixiſſet, eſſe proprium agentis intellectualis determinare ſe ipſum, conſtituendo ſibi finem actionis per intellectum, & per voluntatem eligendo hanc vel illam actionem, vnde ſequatur & libertas arbitrii, & dominium in ſuum actum; poſtea in reſponſione ad ſecundum, ſic loquitur: *Dicendum, quòd ad rationem liberi arbitrii non pertinet vt indeterminatè ſe habeat ad bonum vel ad malum, quia liberum arbitrium per ſe in bonum ordinatum eſt* &c. *ſed hoc ad libertatem arbitrii pertinet*, VT ACTIONEM ALIQVAM FACERE VEL NON FACERE POSSIT, ET HOC DEO CONVENIT. *Bona enim quæ facit poteſt non facere: nec tamen malum facere poteſt.* dist. 25. qu. 1. art. 1.

Vigeſimumſeptimum ex eodem loco, cùm dicit, *Voluntatem noſtram non poſſe cogi, neque ratione ſubjecti, quia non eſt affixa organo: neque ratione objecti, quia quantumcumque aliquid oſtendatur eſſe bonum*, IN POTESTATE EIVS MANET ELIGERE ILLVD VEL NON ELIGERE. Loquitur de ſtatu præſenti, & deinde: *In his autem quæ ad finem vltimum ordinantur, nihil inuenitur adeò malum, quin aliquod bonum admixtum habeat: nec aliquod adeò bonum, quod in omnibus ſufficiat. Vnde quantumcumque oſtendatur bonum vel malum*, SEMPER POTEST ADHÆRERE, ET FVGERE IN CONTRARIVM, *ratione alterius, quod in ipſo eſt: ex quo accipitur, ſi malum eſt ſimpliciter, vt apparens bonum: & ſi bonum eſt ſimpliciter, vt apparens malum: & inde eſt quod in omnibus, quæ ſub electionem cadunt, voluntas libera manet, in hoc determinationem habens, quod felicitatem naturaliter appetit: & non determinatè in hoc vel illo.* En tibi, & indifferentiam ad libertatem arbitrii requiſitam, & cauſam illius, atque rationem, ſeu radicem ex qua oritur. Diſputat autem Sanctus Thomas vtrùm liberum arbitrium poſſit cogi, & conſtat ex textu, τὸ cogi, ſumi latè pro eo, quod eſt ne- art. 2.

ceſſitari. quam enim coactionem voluntati negat, intellectui concedit, dum ab euidentia objecti neceſſitatur. Neceſſitatem ergo rejicit à libero arbitrio, etiam illam ſimplicem indeterminationi, hoc eſt, indifferentiæ oppoſitam. Et hoc vult dicere, cùm addit, quamuis liberum arbitrium cogi non poſſit, nihilominus tamen poſſe inclinari ad agendum aliquid per aliquas diſpoſitiones & habitus, ex quibus pronior efficitur ad eligendam alteram partem.

art. 4. Vigeſimumoctauum ex eodem loco. Vbi ſuppoſita diſtinctione eorum, quæ compellunt, cujuſmodi eſt veritas euidenter repræſentata intellectui, & eorum quæ impellunt, cujuſmodi eſt habitus, quibus jam ſæpe dixit poſſe reſiſti; ad quartum dicit. *Quod liberum arbitrium nunquam ita vincitur, aut ſeruituti ſubjicitur paſſionibus peccati, vt ad peccatum compellatur.* QVIA SIBI IN PECCATVM NON IMPVTARETVR: *ſed dicitur eſſe ſubjectum peccato, in quantum ex peccato inclinatur ad peccandum, ſicut à diſponente, non ſicut à compellente.* Et ab hac neceſſitate compellente liberum eſſe dicit arbitrium in omni ſtatu, ex ſententia Magiſtri, *ſine qua libertate peccatum imputari non poſſet.*

quæſt. 19. art. 13. Vigeſimumnonum ex prima parte. Vbi ex indeterminatione cauſæ liberorum actuum, hoc eſt ex indifferentia, quam habet ad agendum, vel non agendum, infert non poſſe futurum contingens in ſua cauſa certò cognoſci. *Alio modo*, inquit, *poteſt conſiderari contingens vt eſt in ſua cauſa, & ſic conſideratur vt futurum, & vt contingens, nondum determinatum ad vnum, quia cauſa contingens ſe habet ad oppoſita: & ſic contingens non ſubditur per certitudinem alicui cognitioni.* Si ex voluntate præuenta delectatione concupiſcentiæ, neceſſariò ſequitur peccatum, quare illud in tali cauſa non poteſt per certitudinem ſubjici cognitioni? Et ſi ex voluntate præuenta delectatione juſtitiæ, neceſſariò pariter ſequitur bonus affectus, quare ille non ſimiliter ſubjicitur per certitudinem cognitioni talis cauſæ?

art. 3. Trigeſimum ex quæſt. 19. ejuſdem primæ partis, vbi quærit an diuina voluntas imponat neceſſitatem rebus volitis, & dicit imponere iis, quæ ſunt à cauſis, quæ vocantur neceſſariæ, non verò iis, quæ ſunt à cauſis, quæ vocantur contin-

gentes: ſed potiùs efficere ſummâ ſuæ voluntatis efficaciâ, vt hujuſmodi cauſæ contingenter operentur. Verba Diui Thomæ ſunt. *Reſp. dicendum quòd diuina voluntas quibuſdam volitis neceſſitatem imponit, non autem omnibus .... Quod contingit propter efficaciam diuinæ voluntatis. Cùm enim aliqua cauſa efficax fuerit ad agendum, effectus conſequitur cauſam, non tantùm ſecundùm id quod fit, ſed etiam ſecundùm modum fiendi, vel eſſendi .... Cùm igitur voluntas diuina ſit efficaciſſima. Non ſolùm ſequitur quòd fiant quæ Deus vult fieri. Sed quòd eo modo fiant, quo Deus ea vult fieri. Vult autem quædam fieri Deus neceſſariò, quædam contingenter, vt ſit ordo in rebus ad complementum vniuerſi: & ideo quibuſdam effectibus aptauit cauſas neceſſarias, quæ deficere non poſſunt, ex quibus effectus de neceſſitate proueniunt: quibuſdam autem aptauit contingentes deffectibiles, ex quibus effectus contingenter eueniant. Non igitur propterea effectus voliti à Deo eueniunt contingenter, quia cauſæ proximæ ſunt contingentes.* SED QVIA DEVS VOLVIT EOS CONTINGENTER EVENIRE, *contingentes cauſas ad eos præparauit.* Si quæram. Quare vult Deus hominem contingenter orare, & non vult canem contingenter latrare, juxta præſentem diſpoſitionem. Quid reſponderi poteſt, niſi quia vult hominem orantem habere poteſtatem non orandi, canem autem latrantem non habere poteſtatem non latrandi? Hoc verò quid aliud eſt, quàm velle hominem orare cum indifferentia, quæ importet proximam poteſtatem in oppoſitum? Nam canis habet remotam. Et hoc eſt hominem eſſe cauſam defectibilem in orando, canem autem non eſſe cauſam defectibilem in latrando, quia ſuppoſitâ eâdem diſpoſitione, canis ſemper latrat, homo non ſemper orat.

Trigeſimumprimum, ex quæſt. 19. Vbi conſtituto hoc art. 10. principio, quòd non habemus liberum arbitrium, reſpectu eorum, quæ neceſſariò volumus, ita dirimit quæſtionem, qua petitur an Deus habeat liberum arbitrium. *Cùm igitur Deus ex neceſſitate ſuam bonitatem velit, alia verò non ex neceſſitate, vt ſuprà oſtenſum eſt;* RESPECTV EORVM QVÆ NON EX NECESSITATE VVLT, *liberum arbitrium habet.* Et in reſponſ. ad 2. *Quantumuis Deus non poſſit velle malum culpæ, tamen ad oppoſita ſe habet, in quantum velle poteſt hoc eſſe vel non eſſe.* Vbi

vides libertatem arbitrii in Deo non ſaluari niſi per indifferentiam.

art. 1. ad. 3. Trigeſimumſecundum ex eadem prima parte quæſt. 41. Vbi ſanctusThomas negat liberam eſſe Spiritus Sancti proceſſionem: quia etiamſi procedat ex amore, quia tamen procedit ex amore, quo Deus amat ſeipſum, qui naturalis eſt & non liber; ideo naturalis eſt, & non libera Spiritus Sancti proceſſio. Verba illius ſunt: *Deus naturaliter vult, & amat ſeipſum. Sed circa alia à ſe voluntas Dei ſe habet ad vtrumque quodam modo vt dictum eſt. Spiritus autem Sanctus procedit vt amor, in quantum Deus amat ſe ipſum, vnde naturaliter procedit, quamuis per modum, voluntatis.* Vides autem quomodo alium modum, qui eſt modus libertatis exponat, per hoc quod eſt *ſe habere ad vtrumque*: & quomodo in voluntate Dei diſtinguat inter volitionem *naturalem* & *liberam* contra Ianſ. tom. 1.

art. 2. in corp. Trigeſimumtertium ex quæſt. 42. ejuſdem primæ partis. Vbi D. Th. vt probet Filium in diuinis eſſe Patri coæternum, argumentum ſumit ex diſcrimine, quod eſt inter principia neceſſaria, & principia libera. Quòd ſcilicet neceſſaria ſimul ſint cum ſuo principiato, ſi non impediat in ipſis, vel aliquis defectus virtutis neceſſariæ ad agendum, vel ipſius actionis natura, quæ ſucceſsionem poſtulat, quorum neutrum reperitur in æterna generatione. At verò principium liberum, etiamſi nulla re careat ad agendum neceſſaria, nec ejus actio ſucceſsionem poſtulet, poteſt eſſe antiquius effectu ſuo. Verba Diui Thomæ ſunt, *Quia ſicut in agentis voluntarii poteſtate eſt eligere formam, quam effectui conferat; ita in ejus poteſtate eſt eligere tempus, in quo effectum producat.* Ergo proprium eſt ex D. Th. liberi agentis, prout diſtinguitur à non libero, vt quamuis nulla re careat ad agendum neceſſaria, poſſit tamen ſuſpendere actionem, & non ponere effectum hoc tempore, ſed alio, quod magis placuerit. Et quia potentia, cui nihil deeſt proxima eſt; conſequenter proprium eſt agentis liberi non agere, cum proxima ad agendum potentia, quæ eſt propriiſſima indifferentia.

qu. 82. art. 1. ad 3. Trigeſimumquartum ex eadem prima parte, vbi quod aliàs ſæpe dixit inculcat, dominium in ſuum actum, quod eſt neceſſariò conjunctum cum libertate, includere indiffe-

rentiam ad oppoſita, his verbis, *Ad tertium dicendum quòd ſumus domini noſtrorum actuum: ſecundum quod poſſumus* HOC VEL ILLVD ELIGERE.

Trigeſimum quintum ex eodem loco. Vbi docet voluntatem indifferenter ſe habere etiam circa illa, quæ neceſſariam habent connexionem cum beatitudine, niſi per viſionem beatificam intelligantur habere talem connexionem, his verbis: *Sunt quædam particularia bona, quæ non habent neceſſariam connexionem ad beatitudinem: quia ſine his poteſt eſſe aliquis beatus, & hujuſmodi voluntas non de neceſſitate inhæret. Sunt autem quædam habentia neceſſariam connexionem ad beatitudinem, quibus ſcilicet homo Deo inhæret; in quo ſolo vera beatitudo conſiſtit. Sed tamen antequam per certitudinem diuinæ viſionis neceſſitas hujuſmodi connexionis demonſtretur*, VOLVNTAS NON EX NECESSITATE DEO INHÆRET, NEC HIS QVÆ DEI SVNT. *Sed voluntas videntis Deum per eſſentiam, ex neceſſitate inhæret Deo: ſicut nunc ex neceſſitate volumus eſſe beati.* art. 2. in corp.

Vides talem in hac vita negari neceſſitatem adhærendi Deo, qualis eſt in beatis; idque non ex mutabilitate cognitionum noſtrarum, ſed ex obſcuritate: ita vt quamuis eædem permaneant, non ſequatur neceſſariò amor, ſicut ſequitur in beatis, propter certitudinem diuinæ viſionis. Quod autem dicit nos nunc velle neceſſariò eſſe beatos, non cadit in vllum actum ſingularem, & determinatum: ſed confuſè in omnes: quia nullus eſt, nec eſſe poteſt, qui non feratur in objectum ſuum, ſub ratione boni, & ita ſemper vult bene eſſe: quod non impedit indifferentiam ad quodlibet.

Trigeſimumſextum, ex eadem prima parte, vbi liberum arbitrium infert ex indifferenti judicio rationis circa operabilia. Quid autem ſequi poteſt ex indifferenti, & indeterminato judicio, quàm indifferens, & indeterminata vis appetendi? Putat ergo S. Thomas ſe libertatem inferre, dum infert indifferentiam: & pro eodem habet appetitum liberum, & indifferentem. Verba illius ſunt: *Homo agit judicio, quia per vim cognoſcitiuam judicat aliquid eſſe fugiendum vel proſequendum. Sed quia judicium iſtud non eſt ex naturali inſtinctu in particulari operabili, ſed ex collatione quadam rationis; ideo agit libero judicio, potens in diuerſa ferri. Ratio enim circa contingentia* quæſt. 83. art. 1.

HABET VIAM AD OPPOSITA, *vt patet in dialecticis ſyllogiſmis, & rhetoricis perſuaſionibus. Particularia autem operabilia ſunt quædam contingentia; & ideo circa ea iudicium rationis ad diuerſa ſe habet, & non eſt determinatum ad vnum. Et pro tanto neceſſe eſt quòd homo ſit liberi arbitrii, ex hoc ipſo quod rationalis eſt.*

Et quia huic indifferentiæ videbantur obſtare tum innatæ paſſionum, tum acquiſitæ vel infuſæ habituum inclinationes, obſtaculum remouet in reſponſ. ad quintum, dicens, has omnes inclinationes ſubjacere judicio rationis, etiam quæ ſunt ex habitibus, *in quantum in nobis eſt tales qualitates acquirere, vel cauſaliter, vel diſpoſitiuè, vel à nobis excludere*: Atque ita S. Thom. nunquam alia ratione ſaluare ſe putat libertatem, quàm ſaluâ indifferentiâ ad agendum, & non agendum.

quæſt. 6. art. 2. Trigeſimumſeptimum ex prima ſecundæ. Vbi voluntarium perfectum, quod eſt liberum, ab imperfecto & non libero, quod reperitur in brutis, per eandem indifferentiam, ſeu poteſtatem agendi, & non agendi diſtinguit: ejúſque radicem ex indifferenti judicio rationis ſimiliter petit. *Perfectam*, inquit, *cognitionem finis ſequitur voluntarium, ſecundùm perfectam rationem, prout ſcilicet apprehenſo fine aliquis poteſt, deliberans de fine & de his quæ ſunt ad finem*, MOVERI IN FINEM VEL NON MOVERI. *Imperfectam autem rationem finis ſequitur voluntarium, ſecundùm rationem imperfectam, prout ſcilicet apprehendens finem non deliberat, ſed ſubitò mouetur in ipſum. Vnde ſoli rationali naturæ competit voluntarium, ſecundùm rationem perfectam; ſed ſecundùm rationem imperfectam competit etiam brutis.*

Et in reſponſione ad 2. dominium ſui actus ponit in eadem indifferentia, ſeu in hoc, quòd cùm ratio deliberans ſe habeat ad oppoſita, VOLVNTAS IN VTRVMQVE POSSIT. Et in reſp. ad 3. hoc eſſe dicit *fundamentum laudis & vituperii*, quod in brutis non reperitur.

art. 3. Trigeſimumoctauum ex eadem quæſt. Vbi ad hoc vt omiſſio voluntaria cenſeatur, requirit vt voluntas poſſit agere: & ad hoc vt imputetur ad culpam, vt etiam debeat agere. Quod eſt primò contra Ianſenium, qui vult imputari nobis omiſſiones diuinorum præceptorum, quando impletio eſt impoſſibilis. Secundò, ſi ex D. Th. non imputatur omiſſio, niſi

cùm eſt poteſtas & obligatio faciendi quod omittitur; non eſt cur imputari poſsit commiſsio, niſi dum eſt poteſtas & obligatio omittendi quod committitur. Atque ita ſemper ad imputabilitatem requiritur indifferentia, quod Ianſenius & Ianſeniani negant. Verba D. Thomæ ſunt. *Sed ſciendum eſt quòd non ſemper id quod ſequitur ad defectum actionis, reducitur ſicut in cauſam, in agens, ex eo quod non agit: ſed* SOLVM TVNC CVM POTEST, ET DEBET AGERE ..... *Quia igitur voluntas volendo, & agendo poteſt impedire hoc quod eſt non velle, & non agere, & aliquando debet; hoc quod eſt non velle, & non agere imputatur ei, quaſi ab ipſa exiſtens.* &c. Et hoc quoque expreſſiſsimum eſt D. Th. teſtimonium contra Ianſenianam peccandi neceſsitatem, & mandatorum diuinorum impoſsibilitatem.

Trigeſimumnonum ex eadem quæſt. Vbi D. Thomas rationem reddit cur voluntaria, & imputabilia ſint ea, quæ impellente concupiſcentia facimus, ex poteſtate non faciendi: quod ſimiliter, & indifferentiam probat eſſe neceſſariam ad libertatem, & Ianſenianam mandatorum impoſsibilitatem iterum oppugnat. Verba S. Thomæ ſunt. *Quandoque in his quæ per concupiſcentiam aguntur, non totaliter tollitur cognitio, quia non tollitur poteſtas cognoſcendi, ſed ſolùm conſideratio actualis in particulari agibili: & tamen hoc ipſum eſt voluntarium, ſecundùm quod voluntarium dicitur quod eſt in poteſtate voluntatis, vt non agere, & non velle; ſimiliter autem & non conſiderare. Poteſt enim voluntas paſsioni reſiſtere; vt infrà dicemus.* Eadem ratione ignorantiam dicit eſſe voluntariam, *ejus quod quis poteſt ſcire, & debet.* Et ita ſemper requirit poteſtatem ad id, quod à nobis exigitur, vt ejus omiſſio imputetur.

art. 7. ad 3.

art. ſeq.

Quadrageſimum, ex eadem parte, vbi, ad objectionem, quòd ſi Deus voluntatem moueret, illa nuſquam moueretur ad malum, non aliter reſpondet, quàm retenta cum diuina motione voluntatis indifferentia, qua ſcilicet fiat, vt quamuis Deus ad bonum moueat, ipſa tamen deflectat ad malum. his verbis: *Ad tertium dicendum, quòd Deus mouet voluntatem hominis ſicut vniuerſalis motor, ad vniuerſale objectum voluntatis, quod eſt bonum: & ſine hac vniuerſali motione homo non poteſt aliquid velle. Sed homo per rationem determinat ſe ad* VOLENDVM HOC VEL

Quæſt. 9. art. 6. ad 3.

ILLVD *quod eſt verè bonum vel apparens bonum. Sed tamen interdum Deus mouet aliquos ad aliquid determinatè volendum, quod eſt bonum, ſicut in his quos mouet per gratiam vt infrà dicetur.* Vide quàm ſcitè loquatur S. Th. etiam dum Deus vt motor ſpecialis ſpecialiter adiuuat ad bonum: non dicit determinare voluntatem, ſed *mouere* ad determinatè volendum, vt ſit ſemper ſalua libertatis indifferentia, vel indifferentiæ libertas.

quæſt. 10. art. 1. ad 1. Quadrageſimumprimum ex eadem parte, vbi modum agendi, qui conuenit voluntati, quatenus eſt libera, & domina ſui actus, in eo diſtinguit à modo agendi, qui eidem conuenit, quatenus eſt natura, vel in aliqua natura fundatur, quòd poſteriori modo ſit determinata ad vnum, priori autem non, quod eſt eſſe indifferentem. Verba illius ſunt. *Ad primum ergo dicendum, quòd voluntas diuiditur contra naturam, ſicut vna cauſa contra aliam. Quædam enim fiunt naturaliter, & quædam fiunt voluntariè. Eſt autem alius modus cauſandi proprius voluntatis, quæ eſt domina ſui actus, præter modum, qui conuenit naturæ, quæ eſt determinata ad vnum. Sed quia voluntas in aliqua natura fundatur, neceſſe eſt quòd modus proprius naturæ, quantum ad aliquid, participetur à voluntate.*

art. 2. Quadrageſimumſecundum ex eadem quæſt. vbi continetur expreſſa confeſſio indifferentiæ ad contradictoria, circa quodcumque objectum, voluntati propoſitum, excepto Deo clarè viſo, his verbis: *Reſpondeo dicendum, quòd voluntas mouetur dupliciter. Vno modo quantum ad exercitium actus, alio modo quantum ad ſpecificationem actus, quæ eſt ex objecto. Primo ergo modo voluntas à* NVLLO OBIECTO EX NECESSITATE MOVETVR. *Poteſt enim aliquis de quocumque objecto non cogitare, & per conſequens neque actu velle illud.* Et deinde. *Si proponatur aliquod objectum voluntati, quod ſit vniuerſaliter bonum & ſecundùm omnem conſiderationem, ex neceſſitate voluntas in illud tendit, ſi aliquid velit. Non enim velle poteſt oppoſitum.*

Sed quia diceret aliquis. Eſto, non determinetur voluntas neceſſariò ab objecto, determinatur tamen aliunde, nempe à paſſionibus, quibus impellitur, vel à Deo à quo mouetur; S. Tho. hoc etiam rejicit duobus ſequentibus articulis. Nam in tertio concludit, *aut motum voluntatis non eſſe in homine, ſed ſolam paſſionem dominari*, ſicut in phreneticis, & amentibus: *aut ſi ſit*

motus

motus voluntatiſ non ex neceſſitate ſequi paſſionem. Et hoc colligit, ex eo quòd neceſſe ſit, ſi eſt aliquis motus voluntatis, hoc eſt rationalis appetitus, vt non totaliter abſorbeatur ratio à paſſione, ſed quantum ad aliquid remaneat iudicium liberum & non ſubjectum paſſioni. Et in tantum voluntatis motum qui manet, non ex neceſſitate tendere ad hoc ad quod paſſio inclinat: *& ſecundùm hoc poſſe quempiam, vel totaliter paſſionem repellere*, VEL SALTEM SE TENERE, NE PASSIONEM SEQVATVR. Quæ ſunt diametraliter oppoſita Ianſenianæ Theologiæ. ad 2.

Item de Deo mouente vide quid dicat. *Reſpond. dicendum*, *quòd ſicut Dionyſius dicit cap.* 4. *de diu. nom. ad prouidentiam diuinam non pertinet naturam rerum corrumpere ſed ſeruare. Vnde omnia mouet ſecundùm eorum conditionem: ita quod ex cauſis neceſſariis per motionem diuinam conſequuntur effectus ex neceſſitate: ex cauſis autem contingentibus ſequuntur effectus contingenter. Quia igitur voluntas eſt actiuum principium non determinatum ad vnum, ſed* INDIFFERENTER *ſe habens ad multa; ſic Deus ipſam mouet quod non ex neceſſitate ad vnum determinat: ſed remanet motus ejus contingens, & non neceſſarius, niſi in his ad quæ naturaliter mouetur.* Auguſtinus, inquit, Ianſenius *nunquam in omnibus ſuis libris, eſt vſus iſto modo conciliandi motionem diuinam cum libertate voluntatis.* Nos verò vel ipſis Ianſenianis auctoribus, mentem Auguſtini ex D. Thoma diſcimus doctrinæ illius probè conſcio: & intelligimus non aliter ſeruari cum diuina motione libertatem, quàm quia ſaluatur indifferentia. Quòd ſi reus eſt etiam ipſe D. Thomas, vel ignoratæ, vel corruptæ Auguſtinianæ Theologiæ, malumus cum illo accuſari ab Aduerſariis, quàm approbari cum Ianſenio. art. 4.

Quadrageſimumtertium ex quæſt. 13. ejuſdem partis, vbi ex indeterminatione ſeu indifferentia voluntatis infert proprium eſſe illius eligere vnum præ alio. *Eſt differentia*, inquit, *inter appetitum ſenſitiuum & voluntatem, quia vt ex prædictis patet, appetitus ſenſitiuus eſt determinatus ad vnum particulare ſecundùm ordinem naturæ. Voluntas autem eſt quidem ſecundùm naturæ ordinem determinata ad vnum commune, quod eſt bonum*, SED INDETERMINATE *ſe habet reſpectu particularium bonorum: & ideo propriè voluntatis eſt eligere, non autem appetitus ſenſitiui.* Indeter- art. 2.

minatio illa ſeu indifferentia non poteſt eſſe cauſa cur eligere ſit proprium voluntatis, niſi ſit ipſa quoque propria voluntatis, prout ea diſtinguitur contra naturam, & eſt cauſa libera. Adde quod dicit in reſponſ. ad ſecundum, brutum animal ideo non propriè eligere quando vnum præ alio accipit, QVIA ILLIVS APPETITVS EST NATVRALITER AD ILLVD DETERMINATVS. Debet igitur eſſe indeterminatus appetitus hominis, vt cenſeatur eligere liberè, hoc eſt, debet eſſe indifferens.

art. 6. Quadrageſimumquartum ex eadem quæſt. vbi continetur etiam manifeſta indifferentiæ confeſſio tanquam conſequentis ex ipſa rationalis appetitus natura: & non vt Ianſenius dicit *per accidens* tantùm. S. Thom. ſic loquitur: *Reſpondeo dicendum, quòd homo non ex neceſſitate eligit: & hoc ideo, quia quod poſſibile eſt non eſſe, non neceſſe eſt eſſe. Quod autem poſſibile ſit non eligere, vel eligere; hujus ratio ex duplici hominis poteſtate accipi poteſt. Poteſt enim homo velle, & non velle: agere, & non agere. poteſt etiam velle hoc aut illud: cujus ratio ex ipſa virtute rationis accipitur. Quidquid enim ratio poteſt apprehendere vt bonum, in hoc voluntas tendere poteſt. Poteſt autem ratio apprehendere vt bonum, non ſolùm hoc quod eſt velle, aut agere; ſed etiam quod eſt non velle, & non agere. Et rurſum in omnibus particularibus bonis poteſt conſiderare rationem boni alicujus & defectum alicujus boni* &c.

En tibi cauſam indifferentiæ voluntatis ad volendum, & non volendum: & ad volendum, vel nolendum idem, ſi ſit particulare bonum.

art. 1. Quadrageſimumquintum ex quæſt. 15. ejuſdem partis, vbi Diuus Thomas de conſenſu diſputat, & oſtendit proprium eſſe hominis conſentire, nec conuenire bruto: quòd hominis proprium ſit dominium illud indifferens ad applicandos, vel non applicandos appetitiuos motus. Verba illius ſunt: *Brutum animal appetit quidem, ſed non applicàt appetitiuum motum ad aliquid, & propter hoc non propriè dicitur conſentire, ſed ſolùm rationalis natura, quæ habet in poteſtate ſua appetitiuum motum:* & POTEST IPSVM APPLICARE VEL NON APPLICARE AD HOC VEL ILLVD. Et hanc indifferentiam confirmat in reſponſ. ad tertium cùm dicit, *homines qui ex paſſione agunt*, POSSE NON SEQVI PASSIONEM, vt intelliga-

mus in tantum cenſendos conſentire, in quantum poſſunt non ſequi.

Quadrageſimumſextum ex quæſt. 74. ejuſdem partis, vbi peccatum eſſe poſſe dicit in ratione dupliciter. Primò quando ratio ignorat aliquid quod debet, & poteſt ſcire: à quo peccato excuſantur amentes. Secundò, quando non dirigit alias vires, *Et hoc*, inquit, *ſemper imputatur ad peccatum*, QVIA HVIC DEFECTVI OCCVRRERE POTEST *per proprium actum.* En tibi iterum indifferentiam in peccante, vt cauſam imputabilitatis peccati. art.5. ad 1.

Quadrageſimumſeptimum ex eadem quæſt. vbi pariter conſentire peccato attribuit indifferentiæ, ſeu poteſtati in oppoſitum. *Ad ſecundum dicendum quòd in hoc ipſo quòd ratio ſuperior non dirigit actus humanos ſecundùm legem diuinam, impediens actum peccati, dicitur ipſa conſentire: ſiue cogitet de lege æterna, ſiue non. Cùm enim cogitat de lege Dei actu eam contemnit: cùm verò non cogitat, eam negligit per modum omiſſionis cujuſdam. Vnde omnibus modis conſenſus in actum peccati procedit ex ſuperiori ratione.* Et vt conſtet nos ex Diuo Thoma Theologiam Auguſtini diſcere, id quod faciendum monent Ianſeniſtæ, ſubdit, *Quia vt Auguſtinus dicit duodecimo de Trinitate, non poteſt peccatum efficaciter perpetrandum mente decerni, niſi illa mentis intentio, penes quam* SVMMA POTESTAS EST MEMBRA IN OPVS MOVENDI, VEL AB OPERE COHIBENDI, *malæ actioni cedat, aut ſeruiat.* En vt Auguſtinus cum D. Thoma conſpirat ad inculcandam indifferentiæ neceſſitatem. art.7. ad 2.

Quadrageſimumoctauum ex quæſt. 75. ejuſdem partis, vbi ex indifferentia voluntatis, vel ad ſequendum quod ratio ſuadet, vel ad conſentiendum paſſionibus: ſeu quod idem eſt, ex eo quòd nulla cauſa exterior neceſſariò impellat voluntatem ad peccandum, concludit ſolam voluntatem eſſe cauſam ſufficientem peccati. *Aliquid exterius*, inquit, *poteſt eſſe aliqua cauſa mouens ad peccandum, non tamen ad peccandum* SVFFICIENTER INDVCENS: *ſed cauſa* SVFFICIENTER *complens peccatum eſt ſola voluntas.* Nempe quia poſitis omnibus aliis adhuc ipſa poteſt non peccare, & ita eludere omnem alium impulſum ad peccandum, quod eſt eſſe indifferentem. art.3.

Quadrageſimumnonum ex quæſt.78. eiuſdem partis, vbi ean- art.1.

dem indifferentiam ſeu potentiam in oppoſitum requirit ad peccandum. *Cùm ex paſſione,* inquit, *aliquis procedit ad actum peccati, vel ad conſenſum deliberatum; hoc non fit ſubitò. vnde ratio deliberans poteſt huic occurrere,* POTEST ENIM EXCLVDERE, *vel* SALTEM IMPEDIRE *paſſionem, vt dictum eſt. Vnde ſi non occurrat, eſt peccatum mortale.* & in reſp. ad tertium requirit etiam talem aliquam indifferentiam ad peccatum veniale.

art. 8. Quinquageſimum ex quæſt. centeſima nona ejuſdem partis, vbi ſimiliter aſſerit indifferentiam ſeu potentiam ad vitandum quodcumque peccatum mortale, atque etiam veniale: quod voluntatem poſſe dicit, etiam antequam per gratiam reparetur, pro aliquo tempore, & hoc requirit ad imputabilitatem peccati.

quæſt. 18. art. 1. ad 3. Quinquageſimumprimum ex tertia parte. Vbi vt libertatem Chriſti tueatur ab ejus actibus excludit neceſſitatem oppoſitam indifferentiæ. *Ad tertium dicendum*, inquit, *quod ipſa potentia voluntatis eſt naturalis, & conſequitur naturam ex neceſſitate. Sed motus vel actus hujus potentiæ, qui etiam voluntas dicitur, quandoque quidem eſt naturalis & neceſſarius, putà reſpectu felicitatis: quandoque autem* EX LIBERO ARBITRIO RATIONIS PROVENIENS ET NON NECESSARIVS, *neque naturalis .... & ideo præter voluntatem diuinam oportet in Chriſto ponere voluntatem humanam.* En vt diſtinguit actum liberi arbitrii contra illum qui fertur in felicitatem, hoc eſt, contra neceſſarium.

art. 4. ad Quinquageſimumſecundum ex eadem quæſt. his verbis: *Ad tertium dicendum quòd voluntas Chriſti licèt ſit determinata ad bonum, non tamen eſt determinata ad hoc vel ad illud bonum: Et ideo pertinet ad Chriſtum eligere per liberum arbitrium confirmatum in bono ſicut ad beatos.* Hoc dicit vt ſoluat objectionem, qua ex determinatione ad vnum impugnabatur liberum arbitrium Chriſti: Et vides hîc confirmari quod dictum eſt ſuprà capite 2. §. 4. & D. Thomam etiam in Chriſto Domino agnoſcere arbitrium voluntatis, non ſolùm à coactione, ſed etiam à neceſſitate liberum: atque ex illa carentia neceſſitatis, hoc eſt, ex indifferentia inferre aptitudinem ad merendum.

Hæc vt opinor ſatis ſunt ad cognoſcendam ſententiam S. Thomæ: ac vereor ne pleriſque videantur eſſe pluſquam ſa-

tis. Sed imperitorum neceſſitas eruditorum tædio præferenda fuit, & tota hæc cauſa ſemel exhaurienda, vt eſſet vnde facilè os obſtrui poſſit iis, qui poſt corruptam prauis interpretationibus S. Auguſtini Theologiam, S. Thomam in partes etiam trahere conantur. Iam autem conſtare puto quàm immeritò id faciant, & quàm illi non poſſint quidquam ſperare præſidij ab Theologia S. Thomæ: vnde nemo etiam eſt qui non videat conſequens eſſe, nec veros S. Thomæ diſcipulos poſſe Nou-Auguſtinianis eſſe propitios. Et mirum eſt quî fieri potuerit, vt qui tot probris Theologiam Scholaſticam vniuerſam inquinauere, ſuffragium modò exquirant Principis Scholaſticorum: & qui nominatim dixere S. Thomam ideo excellere non potuiſſe in Theologia Poſitiua, quæ ſola per illos vera Theologia eſt, quòd excelluerit in Scholaſtica; perſuadere hominibus tantopere conentur, Thomiſticam eſſe doctrinam quam proponunt. Sed ſiue id acciderit ex familiari Doctoribus iſtis inconſtantia: ſeu pro more illorum quos afflictæ res & impar aduerſariis facultas ad extrema conſilia compellit; ambire coguntur eorum fauorem quos priùs offenderant, ac dicere, vel Ianſenianis conſentire Thomiſtas, vel Thomiſtis Ianſenianos. Quæ fraus quia jam ex voto ſuccedebat apud pleroſque in vtraque illa Theologia Thomiſtica, & Ianſeniana parum verſatos; qui nimium credulos dedoceat, ille certè videtur, non modò de veritate bene meritus; ſed Thomiſtas inſuper officio proſequi tam opportuno, quàm optabile illis eſt, vt quiſque intelligat, doctrinam quam ſequuntur longè à damnata diuerſam eſſe.

Ianſ. toto ferè lib. procem.

Idem ib. cap. 9.

INFORMATIO
DE QVINQVE PROPOSITIONIBVS, EX IANSENII THEOLOGIA CÓLLECTIS,

Quas Epiſcopi Galliæ Romano Pontifici ad Cenſuram obtulêre.

ADMONITIO AD LECTOREM,

& Notæ in Diarium Sant-Amorii.

OPVSCVLVM hoc ſcripſi Romæ anno 1652. indéque digreſſus ſcriptum reliqui, vt iret per eorum manus quorum erat de quinque Propoſitionibus ferre judicium. Tangit enim ſumma capita quæ ad plenam cauſæ cognitionem requiruntur & ſufficiunt. Ob eandem rationem cùm Pariſios appuliſſem, vt eſſet publici juris prælo ſubdidi, & examini eruditorum expoſui. Fuerit-ne aliquod operæ pretium conjici poteſt ex iis, quæ deinde tum Romæ, tum Pariſiis conſequuta ſunt in cauſa Ianſeniana. Auguſtini certè mentem circa quamlibet ex quinque Propoſitionibus, quantum ſatis erat aperui. Sed quia prima capitalis eſt, & ſequentes in eandem vel damnationem, vel approbationem trahit, exiſtimaui diligentiùs excutiendam numeroſam illam teſtimoniorum ſyluam, quâ Ianſenius putauit ejuſmodi propoſitionem eſſe fulciendam. Hoc autem præſtiti deſignatis duodecim ſolutionibus, quæ ſunt duodecim Ianſenianæ interpretationis fallaciæ, quibus omnia illa Auguſtini teſtimonia comprehenduntur. Vt aliquid ſimile præſtarem circa quintam Propoſitionem rogauit D. Hallier Epiſcopus deinde Cauellicenſis, qui tunc Romæ quoque

controuerſiæ deciſioni vrgendæ adlaborabat, cui ego non inuitus parui.

* Obſtupeſcit Auctor Diarii ad hanc Sorbonicos inter & Ieſuitas ſtudiorum communicationem, *Quippe quæ*, inquit, *alio tempore in Doctore Pariſienſi non niſi magnæ inſtar præuaricationis habenda erat.* Exiſtimat, vir ſcilicet Chriſtianæ caritatis ſtudioſus & tenax, Doctores Pariſienſes & Ieſuitas reciproco anathemate ſeparandos; fallórque niſi cœlum quoque ipſum diuidendum putat, ne fortè ſit idem vtrorumque Paradiſus. Proprius eſt ille genius heterodoxorum, doctrinam affectare ſingularem, neque fidem amplecti velle niſi diuiſam à communi. Sed væ illi ſeu Facultati, ſeu Societati quæ gloriari poterit ſe ſenſus habere peculiares. Neceſſe enim eſt vt vel ipſa rerum nomina neſciat, qui putet, eandem ſententiam & ſingularem eſſe poſſe ſimul & Catholicam.

Choſe ſurprenãte & qui n'euſt paſſé auant ce dernier temps en vn Docteur de Paris, que pour vne grande preuarication. *par. 4. di. 11. pag. 253.*

Huc etiam pertinet quod eſt in eodem Diario, Chimæram eſſe ridiculam, quæ objicitur Ianſenio, quando admiſiſſe dicitur *gratiam neceſſitantem*, à qua voluntas eo ſenſu poteſt diſſentire, quatenus abeunte gratiâ non operatur illud bonum quod eâ præſente neceſſariò perficit. Hanc verò Chimæram, quæ vim actiuam reſiſtendi in voluntate deſtruit, quandiu ſubeſt efficaci gratiæ, natam eſſe dicit primùm ex meo cerebro. At ego chimæram quoque cenſeo talem gratiam: Sed quod dicit è meo natam cerebro, admodum fallitur, & rerum origines ignorat. Nata enim eſt olim è cerebro Manichæi, vnde inſiliit in cerebrum Prædeſtinatianorum, quos Ianſeniani majores ſuos agnoſcunt: inde propagata eſt in cere-

C'eſt là proprement cette chimere ridicule de cette grace neceſſitãte qui deſtruit le pouuoir actif d'y reſiſter pendant qu'elle eſt preſente, qui eſt née premierement dans l'imagination du P. Annat. *par. 6. di. 11. pag. 417.*

brum Wiclefi ejúſque diſcipulorum : à Wicleuiſtis tranſiit ad cerebrum Caluini, vnde inuolauit cerebrum Ianſenii. Hæc eſt vera hujuſce chimæræ genealogia. Cujus ignorantia condonanda eſſet Auctori confitenti ſe Ianſenii librum non legiſſe. Sed verendum eſt ne ſit ipſe perinde ridiculus, ac illa de qua loquitur chimæra. Ego enim Ianſenianam doctrinam ejúſque Defenſores tantùm peto. Pacem habeo cum cæteris. Vnde vel Auctor Diarii pars eſt aliqua Defenſorum illorum, vel nulla : ſi nulla eſt, quis non rideat hominem, cui placet occurrere jaculis in alios miſſis, & alienos ictus gratìs excipere? ſi eſt aliqua, quis ferat Doctorem Pariſienſem doctrinam ſuſcipere defendendam quam ignorat? Currere pecudum more, non quò eundum eſt, ſed quò itur, hoc in popularibus Ianſenianis tolerandum fortaſſe fuerit : Doctorem Pariſienſem eſſe gregarium non pudet? Non pudet ex alieno pendere teſtimonio, & ſui ſimilibus ſuam mancipare fidem, atque hoc pertinaciter tueri quod ipſe neſciat, ſed quod acceperit ab aliis? Et cùm hæc ita ſint, hoc eſt cùm ignoratâ Ianſenii doctrinâ, totius controuerſiæ fundamentum ignoret, vult tamen inter præcipuos cauſæ hujus Actores digito monſtrari theatróque ſupereminere fronte retectâ, cùm alii ſine larua conſpici nolint. Sed quando Ianſenium ſe non legiſſe confitetur, indicabo vbinam poſſit inuenire Ianſenianam chimæram, hoc eſt *gratiam* vt ipſe vocat *neceſſitantem.* Legat ſextum, ſeptimum, octauum librum tomi tertii, & millies occurret neceſſitas illa, quam gratia imprimit libero arbitrio. Atque vt hoc ipſum intelligat Ianſenianum eſſe quod

Il ſe mit ſur Ianſenius : je répondis à S. E. que je ne luy en pouuois que dire, parceque je n'auois pas leu le liure de cét Eueſque. *Ib. pag.* 418.

dico, gratiam deſtruere vim actiuam reſiſtendi pro tempore quo ipſa eſt; videat num inde ſatis colligatur, quod inter Maſſilienſium errores Ianſenius numerat, quòd dicerent voluntatem eſſe indifferentem ad conſentiendum, *pro illo momento* quo mouetur; *ita vt poſsit abſtinere ab illo motu*. Quid enim, ſi eſt ille Maſſilienſium error ex mente Ianſenii, nonne ſequitur ex eadem mente contrariam ſententiam & veram & ſuam eſſe, poſtquam ille cum Maſſilienſibus errare non vult? Ergo cenſet voluntatem à Deo motam, non poſſe non conſentire pro illo momento quo mouetur: Ergo vt poſſit non conſentire, expectandum eſt aliud momentum, in quo illa motio non ſit. Sunt igitur admittenda duo momenta, in quorum vno præſente gratiâ voluntas conſentire poteſt; in alio eâdem abſente non poteſt. Quam doctrinam, quod Auctor Diarii vocat ridiculam ego non repugno; ſed quando ea manifeſtè ſequitur ex Ianſenii principiis, cogitur ipſe quoque Ianſenii doctrinam fateri ridiculam, quam tamen vt incognitam defendebat.

Ianſ. tom. 1. l. 4. de hæreſi Pelag. c. 1. & ſeq.

Legat etiam libri octaui caput vigeſimum, & meditetur quod dicit Ianſenius, Non eſſe admittendum indifferentiam quam admittunt ſcholaſtici, qui docent quocumque modo arbitrium, ſiue gratiæ, ſiue peccati delectationibus imbuatur, ſub vtrauis ejus diſpoſitione, poſſe fieri vt vtrumlibet velit, ſiue bonum, ſiue malum, pro innata voluntatis indifferentia, quæ ſub quacumque diſpoſitione actum præueniente, ſeſe ſua libertate in vtramuis partem flectit. Si non poteſt, arbitrium ſub vtrauis diſpoſitione actum præueniente, flectere ſe in vtramli-

Tom. 3.

bet partem; nonne conſequens eſt, vt alia & alia debeat eſſe diſpoſitio, quando poteſt conſentire, & quando poteſt diſſentire? Ac proinde nonne conſequens eſt, diſpoſitionem ſub qua poteſt conſentire, abeſſe debere, vt det ei locum ſub qua poſſit diſſentire? Quid autem aliud ſibi vult quod dicitur voluntatem abeunte gratiâ poſſe omittere bonum, quod eâ præſente non poteſt non operari, & quod idem eſt, quod ea præſente NECESSARIÒ operatur.

Vlteriùs progrediatur & legat quod paulo pòſt ſequitur, non poſſe voluntatem flectere ſe in vtramuis partem, *niſi fiat mutatio in requiſitis ad agendum.* Quid enim eſt debere fieri mutationem in requiſitis ad agendum, niſi ſtante diſpoſitione gratiæ vnum tantùm oppoſitorum fieri poſſe: ac proinde illud tantùm NECESSARIÒ fieri: abeunte verò illa diſpoſitione, & alia ſuccedente ac præualente fieri poſſe alterum? Et hoc Auctori Diarii videtur ridiculum, rideat ergo per me licet: & affatim rideat: & Ianſenii doctrinam tantùm irridebit: Rideat etiam ſeipſum, vel potiùs confundatur & erubeſcat, quòd doctrinam ſuo iudicio ridiculam Diſputator abſurdus atque inconſultus ſuſceperit propugnandam.

Denique videat & ſi poteſt intelligat quod Ianſenius non ſemel inculcat, periiſſe quæ fuerat ante lapſum hominis, *bicornem*, vt ipſe vocat, *libertatem:* & quòd inde ſequitur *vnicornem* tantùm remanſiſſe. Nam quid eſt aliud bicornem in eo ſtatu fuiſſe libertatem, quàm fuiſſe in hominis arbitrio facultatem promptam & expeditam ad vtrumlibet oppoſitorum, ideóque tunc neutrum ex neceſſitate præoptaſſe? Et quid aliud in-

telligi poteſt, cùm dicitur eſſe modò *vnicornem*, niſi, mouente gratiâ victrice extrorſum prodire facultatem ad bonum, retentâ introrſum ligatáque diſſentiendi facultate: itáque tunc bonum *neceſſariò* operari, eo quòd facultas diſſentiendi impedita tunc ſit? Hæc enim ſunt duo illa Ianſenii cornua, quæ ambo ſimul in hoc ſtatu nunquam exeruntur. Alterum enim exſerit victrix gratia: alterum victrix concupiſcentia. & quia implicat ambas eſſe ſimul victrices, neque contingit ex Ianſenio eſſe ambas viribus pares; ſequitur quodcumque fit à voluntate, neceſſariò fieri: quia quodcumque fit, eo momento fit quo voluntas caret expedita facultate ad contrarium: & conſequenter recurrentes eſſe in hac vita neceſſitates tum conſentiendi bono tum diſſentiendi: alternáſque vices tum *neceſſitantis gratiæ*, tum *neceſſitantis concupiſcentiæ*.

Vnde vlteriùs ſequitur, veriſſimum eſſe quod Dionyſius Raimundus alicubi inficiatur, indifferentiam voluntatis quam admittunt Ianſeniani, ita eſſe paſſiuam, ſicuti paſſiua eſt indifferentia canis ad latrandum & ad blandiendum. Sicut enim ſub vna diſpoſitione canis adlatrat, & ſub alia eidem homini blanditur; ita hominis voluntas ſub gratia victrice neceſſariò fertur in bonum, & ſub victrice concupiſcentia neceſſariò fertur in malum, itaque paſſiua tantùm eſt neceſſitatum, hoc eſt diſpoſitionum *neceſſitantium* ſucceſſiuè ad bonum & ad malum.

Tom. 3. l. 8. c. 20. Nec quenquam moueat, quod Ianſenius fingit, ſe nodum hunc expedire poſſe, Thomiſtica diſtinctione *ſenſus compoſiti & diuiſi*. Hoc enim non poteſt niſi modum quo vtitur explicandi ſenſum hunc, per di-

uerſas diſpoſitiones, & diuerſa momenta, in quorum vno voluntas poteſt conſentire, in alio diſſentire, omnino retractet ac reprobet. Thomiſtæ ſiquidem illam rationem interpretandi ſenſum compoſitum & diuiſum omnino reiiciunt & damnant vt hæreticam & Caluini propriam, vt conſtat ex Didaco Aluares. Neque ignorauit Ianſenius ſe in eo non conuenire cum Thomiſtis, quando ſub finem capitis illius vigeſimi lib. 8. confitetur, ſe quæ dixerat *ſecundùm aliorum ſententiam dixiſſe*, quaſi diceret non eſſe ſuam quæ Thomiſtarum eſt ſententiam, ſed ſuam eſſe quam Thomiſtæ putant hæreticam.

Aluar. de Auxil. diſp. 18. & 91.

PRÆFATIO,

IN QVA PRÆCIPVA QVÆDAM VITIA LIBRI de Gratia victrice breuiter perſtringuntur.

DOCTOR quidam, vt ſe ipſe nominat, *de bono loco*, & vt probat, *de mala ſchola*, anno ſuperiori librum edidit triplici titulo glorioſum. Inſcribitur enim primò, *Gratia victrix Ieſu Chriſti.* Victricem autem vocat illam, quæ de oppreſſa hominum libertate triumphat. Rurſus titulum illum hoc altero reddit; *Molina & ejus diſcipuli de Pelagianorum & Semipelagianorum errore conuicti, circa controuerſiam de gratia ſufficiente libero arbitrio ſubjecta, ex actis Congregationis de Auxiliis.* Addit tertiò inſcribi quoque potuiſſe, *Apologiam pro Pontificibus Clemente & Paulo, & pro Congregatione de Auxiliis, contra diſcipulos Molinæ.* Sed omiſit titulum, qui maximè conueniebat huic operi. Debuit enim, ſi voluiſſet fœtum hunc proprio inſignire nomine, vocare, *Vltimum Ianſeniſmi animam agentis conatum, quo præcipui errores, fabulæ, mendacia, imposturæ, calumniæ, thraſoniſmi, & ventoſa oſtentationes, quibus illa ſecta ſeſe hactenus ſuſtentauit, breui compendio colliguntur, ad auertendam quinque propoſitionum cenſuram, & imminentem Ianſenianæ factioni ruinam euitandam.* Germana hæc eſt, & vt ita dicam, *quidditatiua* operis nuncupatio.

I. Quæ ſit & quæ debuerit eſſe inſcriptio Ianſeniani Libelli.

Præf. pag. 19.

Nimirum hunc conatum expreſſit dolor & deſperatio, ex quo intellectum eſt Epiſcoporum Galliæ partem longè maximam concurrere ad promouenda Sorbonæ conſilia & vrgendam apud Sedem Apoſtolicam quinque Propoſitionum cenſuram. Intellexerunt enim Ianſeniani ea ratione diſſipandum quidquid hactenus nebularum offundere conati erant ſimplicium oculis, cùm occinere non ceſſarent & Sorbonam

II. Quæ fuerit Loco bono ſcribendi occaſio.

à Ianſenio ſtare, & Clerum Gallicanum illi ſubſcribere, & præter mentem Pontificis eſſe quidquid hactenus in illum fuerat jactatum, ex Vrbani Conſtitutione. Ne igitur inulti occumberent, prodiit ex eorum caſtris in ſpeciem laureatus hic campio, profeſſus ſe ſuo ac ſuorum nomine librum mittere *in vniuerſum orbem Chriſtianum*, qui veteres nuntiaret triumphos: vt ſcilicet omnes intelligant, quicumque tandem eſſe poſſit, qui nunc expectatur rerum euentus, cauſam ſuam jam eſſe antiquis victoriis inclytam, ſeque in vmbra trophæorum, quæ de proſtratis hoſtibus olim erecta ſunt, eſſe poſſe ſecuros.

Præf. pag. 16.

III. Iocoboni prouidentia.

Tanta verò fuit hujus doctoris prouidentia, vt cùm ſe ſcribere diceret *ad totum orbem Chriſtianum*, ſcripſerit tamen Gallicè, ratus vt opinor, Gallicam linguam eſſe linguam omnium Chriſtianorum. Quod quia fortè non ſatis perſuaſum habent, vt Germanos omittam & Vngaros, vel ipſi Cantabri noſtri atque Aremorici, ſtatui hunc illi Mercurium adjungere, qui Eccleſiæ Latinæ linguâ omnibus exponat, & quæ dicit dominus Doctor, & quæ dicere debuit: quod hac tota lucubratione præſtabitur.

IV. Quanti faciat ſanctiones Apoſtolicas.

Et primò, vt conſtet quàm ſit dignus illa quam ambit omnium Chriſtianorum communione, plurimùm refert vt omnes intelligant, hominem hunc ſuſdeque habere ſanctiones Apoſtolicas. Nam vt omittam ſcribere illum *ex profeſſo* de Gratia per ſeipſam efficaci, quam eandem eſſe vult cum gratia phyſicè prædeterminante, nulla ejuſce rei obtenta, petitáve facultate, quod toties & tam ſeuerè prohibitum eſt à ſummis Pont. Paulo, Vrbano, Innocentio feliciter regnante: nihili præterea facit adhibitas à Paulo V. cautiones, quando poſt diſputationes de Auxiliis conſtituit; vt quandoquidem dilatâ in aliud tempus controuerſiæ deciſione, liberum maneba quam quiſque vellet partem amplecti, ſuam omnes ſententiam ita tuerentur, vt nemini liceret vllam contrariæ notam inurere. Quod ab eo tempore ita religioſè ſeruatum eſt, vt ante Ianſenium extiterit nemo, qui etiam in priuatis de hoc argumento lectionibus ac diſputationibus, non ſibi reus videretur, ſi conuinci poſſe ſe vel minimam cenſuræ ſpeciem in aduerſarios vſurpaſſe, quod patet ex eo-

rum præfationibus & obteſtationibus, ſi quando incidit aliquod cenſendi periculum. Sed nimirum hi ſunt arenoſæ cujuſdam Theologiæ ſcrupuli, qui Doctorem Locobonum minimè premunt. Ille ab ipſo ſtatim exordio libri, atque in ipſo frontiſpicio, *Molinam ejúſque diſcipulos conuictos* prædicat *de Pelagianorum & Semipelagianorum errore.* Et in præfatione Molinam vocat *Patriarcham Semipelagianorum*, eandémque deinde notam imprimit ſingulis ferè paginis. Pag. 15.

Secundò vix eſt modò quiſquam in orbe Chriſtiano, qui neſciat editam & promulgatam ab Vrbano Conſtitutionem, quâ damnatur Ianſenius eo nomine, quòd doctrinam anteà proſcriptam à Summis Pontificibus reducere auſus ſit. Extant ejuſdem Conſtirutionis tot confirmationes, tum Vrbani, tum Innocentii feliciter regnantis, vt nemo poſſit eſſe tam ſtupidus, qui ſe id audiuiſſe neget, nemo tam contumax, qui non credat. Locobonus nullâ prorſus factâ mentione Decretorum hujuſmodi, tanquam ea ne ſuâ quidem recordatione digna judicaret, profitetur apertè ſe Ianſenio conſentire, atque hanc habere velle communem cùm illo commendationem, Quòd ſit verus germanúſque ſancti Auguſtini diſcipulus: Eſſe illum fidelem ſancti Auguſtini interpretem: Veriſſimas eſſe quinque propoſitiones in ſenſu quo ab illo aſſeruntur: Quidquid Ieſuitæ moliantur, nunquam eſſe eo ſenſu damnandas: Horribilem eſſe calumniam, accuſare illum, quaſi eas in ſenſu Caluini contrario decretis Concilii Tridentini defenderit: In ſenſu in quo admittuntur à Ianſenio, neque negari poſſe neque oppugnari, ſine lapſu in Pelagianiſmum, vel Semipelagianiſmum: Et tam procul diſtare ab omni periculo cenſuræ, vt potiùs contineant fidem Eccleſiæ & doctrinam neceſſariam veræ gratiæ Dei. *Nimirùm hoc voluit Vrbanus ſignificare quando ſcripſit in ſua Conſtitutione, quæ incipit*, In eminenti; Cùm autem ex diligenti & matura ejus libri, cui titulus Auguſtinus, lectione, poſtmodum compertum fuerit, in eodem libro multas ex propoſitionibus à prædeceſſoribus noſtris olim, vt præfertur, damnatis contineri, ET MAGNO CVM CATHOLICORVM SCANDALO ET AVTHORITATIS DICTÆ SEDIS CONTEMPTV contra præfatas damnationes.

V. Profitetur ſe Ianſenio adhærere.

Præf. pag. 10. 11. 16. 18. 21. 22.

„ & prohibitiones defendi; Nos huic malo IN SCANDA-
„ LVM TOTIVS REIPVBLICÆ CHRISTIANÆ ET FI-
„ DEI CATHOLICÆ PERNICIEM VERTENTI oppor-
„ tunum remedium adhibere volentes, conſtitutionis, &c. Per hæc, inquam, verba Summi Pontificis ab eo & Succeſſore viginti & ampliùs Apoſtolicis Breuibus confirmata, Locobonus nihil aliud intelligit, quàm Auctorem libri, cui titulus Auguſtinus, hoc eſt Iprenſem Epiſcopum, *eſſe germanum ſancti Auguſtini diſcipulum*, *ejuſque fidelem interpretem*: & quæ videri poſſent in eo deteriora dogmata ad iſtas quinque propoſitiones redacta non poſſe damnari niſi ab Eccleſia Pelagiana: *continere enim Eccleſiæ Catholicæ fidem & doctrinam de diuina gratia neceſſariam.* Optime Lector, ſi Doctor iſte natus eſt vnquam in *bono loco*, non videtur tibi abiiſſe in regionem longinquam, cùm hæc ſcriberet?

VI. Cauſæ deciſionem præuenit anticipatâ contumaciâ. *Præfat. p. 12.* Terriò. Qualem animum oſtendit erga Decreta jam edita, talem quoque præ ſe fert erga edenda. Supponit enim nullam fieri poſſe quinque propoſitionum cenſuram, quæ non ſit æquiuoca, & per fraudem Ieſuitarum extorta. Et ideo, *Quæcumque tandem illa eſſet*, INTREPIDOS DIVINÆ GRATIÆ, *hoc eſt, vnius è maximis Chriſtianæ religionis myſteriis Defenſores monſtraturos, doctrinam ſancti Auguſtini*, id eſt, quæ illi videtur eſſe ſancti Auguſtini, cùm Ianſenii tantùm ſit, *de gratia Saluatoris, ex condemnatione tam æquiuoca nullam impreſſionem accepturam.* Quò pertinet id quod etiam dicit ſub finem

Pag. 81. ſecundæ partis, vbi oratione ad Epiſcopos Galliæ conuerſa, rogat illos obteſtatúrque, vt ſe ipſi retractent: atque à Romano Pontifice petant, ne deſcendat ad vllam iſtarum propoſitionum cenſuram. Damnare enim illas abſolutè *periculoſum*: damnare intellectas ad ſenſum hæreticorum, *inutile*: damnare demum ad ſenſum Ianſenii, *eſſe impoſſibile*. Quid igitur facimus, controuerſia eſt inter Catholicos de veritate quinque Propoſitionum. Pars altera & damnatas & damnabiles aſſerit. Altera negat. Illi ad eum prouocant, qui ſummus eſt in terris hujuſmodi cauſarum Iudex. Iſti ad hoc tribunal inuitiſſimi ſe trahi ſinunt: & conſtituti ante pedes Iudicis, negant primò ſe poſſe damnari, & addunt quæcum-

que cenſura fiat, non defore generoſos damnatæ doctrinæ defenſores. Hoc eſt agnoſcere Iudicis auctoritatem? Hoc eſt obnoxios ſe ſibi videri poteſtati Eccleſiaſticæ? Talia præfari quid eſt aliud, quàm abſolutos ab omni juriſdictione dictare velle Iudici ſententiam, ac pronuntiare; Iudex, niſi ſit idem approbator, Iudex non ſit?

Quartò. Parum eſt non ſtare ſuperiorum judicio: Loco-bonus inſuper Sedem Apoſtolicam ſubjicit ſuo, pronuntiátque quod ab ea factum conſtat, perperam factum. Enumerat in præfatione quantùm malorum Ieſuitæ deriuaturi eſſent in Eccleſiam ex cenſura quinque Propoſitionum: & prædicit hoc ſaltem eſſe conſequuturos, vt quæſtio de gratia efficaci æquis librata ponderibus videretur, *dicturóſque liberum eſſe quam quiſque vellet partem approbare.* Quod ſi contingeret, inquit, *monſtrum gigneretur ex fide & errore: ex mendacio, & ex veritate compoſitum: & in hanc doctrinæ confuſionem tam inuſitatam caderet id quod aliàs dixit Proſper in ſimili caſu contra Caſſianum, &c.* Nolo nunc cogitationes hujus Doctoris per inane volantes perſequi: nec diſputare quàm fuerit illa ſagax, quámque acuta conjectatio, quâ putauit ſollicitos fuiſſe Ieſuitas, vt hoc aſſequerentur, cujus poſſeſſione pacifica jam olim gaudent. Quis enim neſcit, & illis & omnibus liberum eſſe in quæſtione de Auxiliis quamcumque partem ſequi, & vtramque pari jure gaudere, parique ab omni cenſura immunitate? Hoc tantùm vrgeo quod dicit, *eſſe hoc monſtrum ex fide & errore, ex mendacio & veritate compoſitum.* Nam ſi non mentitur, damnat Sedem Apoſtolicam veluti genitricem atque altricem tam horrendi monſtri. Ipſâ enim non ſolùm ſciente ac permittente, ſed etiam jubente, *monſtroſa hæc libertas* inducta in Eccleſiam eſt. Siquidem olim jam antequàm ederetúr in lucem concordia Molinæ, ex quo cœpit efficax gratia inſigniri nomine gratiæ *phyſicè prædeterminantis* in Hiſpania, cùm inuſitata appellatio cœpiſſet etiam refelli, móxque aduenieme Molinæ concordia, contentio creſceret, juſſit Clemens VIII. vtrique parti per Inquiſitores ſilentium imponi, quod factum eſt anno 1594. Sed quia experimento conſtitit difficilem eſſe hujus Decreti obſeruationem: & quia trunca videbatur & mutila Theologia, præciſâ nobiliſſimarum diſputationum parte, anno 1598.

VII. Damnat ea quæ ſunt à Summo Pontifice conſtituta.

Pag. 13.

reſtituta eſt ablata facultas, vetitúmque ne pars altera alteram alicujus cenſuræ notâ perſtringeret. Vſus erat anteà ſimili prouidentia Sixtus Quintus. Cùm enim Baius Baianique, recrudeſcente dolore Pontificiæ conſtitutionis in ipſos promulgatæ, & imperatæ damnatarum ſententiarum ejurationis per Franciſcum Toletum à Romano Pontifice cum poteſtate miſſum, inuidiam facti deriuarent in ejus ſocios; ac ne inulti viderentur, peracerbam ipſi quoque cenſuram in Leonardi Leſſii, cujus erat tunc in Academia illa nomen inclitum, propoſitiones aliquot de Gratia & Prædeſtinatione edidiſſent, Duacenſibus vt idem facerent perſuaſis; Sixtus re cognitâ, miſſis Coloniam ad Nuntium Apoſtolicum litteris, juſſit illum ſine mora Louanium ire, ſuóque nomine impetum compeſcere Louanienſium. Erat is Octauius Frangipanius Calatinus Epiſcopus, qui ſtatim Louanium profectus, auditis partibus, & maturè expenſis omnibus, quâ erat Legati à latere poteſtate, decretum ſcripſit anno 1588. decimo Iulii, quo *ſub pœna excommunicationis ipſo facto incurrendæ vetuit, ne quis in his controuerſiis alterius partis ſententiam vllâ cenſurâ notaret*, donec aliud à Sede Apoſtolica decerneretur. In hunc modum Louanienſis ac Duacenſis cenſura ſuppreſſa, & Societati confirmata eſt doctrinæ poſſeſſio.

Acceſſit tertia confirmatio à Paulo V. Nam ſi quis quærat quis tandem fuerit exitus controuerſiæ, ſpatio ſeptem circiter annorum continua, pugnacique vtrimque contentione agitatæ; quis fructus 47. diſputationum coram Summis Pontificibus quadriennio habitarum, præter priuatos ſine numero Cônſultorum congreſſus; totus conſtat vnico mandato, quo duorum Ordinum Præpoſiti Generales ad ſuos ſcribere „juſſi ſunt à Paulo V. ſub initium Sept. anni 1607. *Suæ San-„ctitatis voluntatem eſſe, ne quis alterutri ſententiæ alicujus cenſuræ „notam vllam inureret, neve docendo ac diſputando aculeis verborum, „aliiſue amari animi ſignis vterentur: qui ſe iis facerent à ſuis Supe-„rioribus ſeuerè caſtigarentur, ſuam ſe in tempore declarationem emiſ-„ſurum.* Habemus in eum ſenſum conceptam Claudii Aquauiuæ circularem epiſtolam, ſcriptam 5. Sept. ejuſdem anni, priúſque monſtratam Pontifici, & ab eo, in ea qua jam eſt forma probatam. Vnde conſtat controuerſiam de Auxiliis paribus

momentis fuiſſe hactenus à Sede Apoſtolica libratam.

At, hoc monſtrum eſt, inquit Doctor de Bonoloco, & ea ratione *non tam Pelagiani Catholici ſiunt, quàm Catholici ſiunt Pelagiani, quod Proſper horrebat: contrariorum enim mixtionem defectionem eſſe meliorum, & cùm virtus vitium recipit, non à virtute ſed à vitio recedi.* Ergo quid reſtat, niſi vt tres Romanos Pontifices, immo & quotquot illos intercurrerunt, vel ſequuti deinde ſunt, ratumque habuerunt quod fuerat à prædeceſſoribus conſtitutum, manibus poſt terga reuinctis, alligemus ad currum *Gratiæ victricis*, in quo iſte *monſtrorum* domitor ſublimis triumphat? Id enimverò ſequitur ex iis, quæ ille tam affirmatè pronuntiat. Nam ſi verum eſt, Molinam & qui eum ſequuntur, *erroris Pelagianorum eſſe conuictos: Si eorum doctrina eſt propria Pelagianorum & Semipelagianorum doctrina: Si hoc ita demonſtratur, vt videatur ipſis oculis ſubjici: Si quæ illi opponitur* ſententia Ianſenii, *continet fidem Eccleſiæ & neceſſariam de vera Dei gratia doctrinam*; nonne ſequitur euidenter Romanos Pontifices, qui compertos de hæreſi ac demonſtratiuè conuictos in Eccleſiæ ſinu fouent, pérque vniuerſum orbem dimittunt, vt docendo, concionando, diſputando, ſcribendo fidei doctrinam diſſeminent: nonne ſequitur, inquam, euidenter, Romanos Epiſcopos reos eſſe proditæ fidei, & corruptæ traditionis ejus doctrinæ, quam puriſſimam acceperant? Paſtores igitur dici poterunt, apud quos eadem eſt ratio canum atque luporum, & vtrorumque indiſcretus vſus? Sed nemo miretur hæc cogitaſſe Ianſenianum Theologum, fluunt iſta de vena Magiſtri, qui Pium V. & Greg. XIII. putauit *fundamentales doctrinas* prohibuiſſe, adeóque tunc præualuiſſe in Eccleſia Dei errorem, VT VERITAS ESSET SCANDALO.

Pref. pag. 15. 2. par. pag. 80.
Ib. pag. 22.

Ianſenius de ſtatu puræ naturæ lib. 3. c. 22.

VIII. Quàm ſit contumelioſus in Ieſuitas.

Poſt hæc probra in Sedem Apoſtolicam jactata, habent Ieſuitæ vnde ſibi gratulentur de odio Ianſenianorum, & maledictis in ipſos illiberaliter quidem, ſed manu tamen prodiga conjectis. Glorioſum enim illis eſt, dum ab iis vexantur, qui Epiſcopi Romani authoritatem contaminant, videri cauſam amborum eſſe communem. Et omnium quidem Ianſenianorum mos ille eſt, Ieſuitas ponere in ſignum, cui contradicant, ſed nemo id luculentiùs præſtitit quàm Locobonus iſte. Is enim cùm non alios ſibi aduerſarios proponeret, adeò

eſt in illos impotenter commotus, vt prope furorem ira ſit. Si cui lubet intueri aliquid ſpumarum hujuſmodi, legere poterit quod ſcriptum eſt in parte ſecunda. *Si Ieſuitæ velint, vel potiùs ſi audeant, ante auguſta illa tribunalia prodire, ſeu aggreſſores acturi, ſeu defenſores, iuuante Deo illis oſtendemus, & viua & ſcripta voce, ipſos eſſe cauſam omnium diſſenſionum, perturbatores Eccleſiaſticæ pacis, calumniatores viuorum & mortuorum, authores nouitatum, Aduerſarios ſancti Auguſtini, inimicos ſanctæ Sedis, quæ illum ſemper probauit, fautores Pelagianorum & Semipelagianorum;* CALVINI PROTECTORES ET LVTHERI, *deſtructores veræ gratiæ Chriſti Ieſu, &c.* Quis non contremiſcat ad ſonitum tam perículoſæ prouocationis? Quis non fugiat à facie hujus Amphitryoniadæ? Sed vide, Lector, hominis ingenium & ſapientiam. Ne vllum eſſet malum in ciuitate, quod Ieſuitæ non feciſſent, *Admonitionem* initio præmiſit ad Lectorem, quâ edicit ipſis quoque imputandum, quidquid Typographus inemendatum reliquit in editione *Gratiæ victricis*. Quæ ego non dubito quin Lectoris animum ſuſpendant inter riſum & indignationem.

pag. 80.

IX. Non ſolùm Ieſuitæ Ianſenio contradicunt.

Sciendum autem eſſet quare ſolos accuſet Ieſuitas? Non ſunt alij quoque multi qui Ianſenium inſectantur? Ego ſi philautiæ aliquid crederem, gauderem huic Societati propriam ac ſingularem concedi gloriam. Neque enim gloria exigua eſt Caluiniſmi reuiuiſcentis occupaſſe primordia, & ingreſſis in ouile Chriſti lupis pellem ouinam excuſſiſſe. Sed abſit vt proprium eſſe velim quod eſt tot Ordinum, tótque inſignium virorum commune. Et fortè hoc intendit verſutus Doctor, vt cùm obtinuerit ſolos eſſe Ieſuitas, qui Ianſenio bellum indixerunt, videantur cæteri partes illius eſſe ſequuti. Quo pacto traduceret ille quidem Ieſuitarum conatus omnes, apud eos qui norunt, inter Catholicos, dum de rè aliqua diſputatur quæ ad fidem pertinet, nihil timendum eſſe magis quàm paucitatem opinantium, nihil magis optandum quàm conſentientium vniuerſitatem. Sed non patiemur vt hoc ei conſilium ſuccedat. Quid enim, octoginta Epiſcopi Galliæ, qui ad Summum Pontificem ſcripſerunt contra Ianſenium, Ieſuitæ ſunt? Sorbonicorum Doctorum pars longè maxima, quæ impeditam malis artibus Ianſenianæ doctrinæ cenſuram à Sorbona

bona conceptam, illam expectat à Sede Apoſtolica, Ieſuitis conſtat? Capitulum generale Capucinorum, quo proſcriptus eſt ab Ordine illo Ianſeniſmus, Congregatio fuit Ieſuitarum? Ieſuitarum quoque fuit Congregatio Fulienſium Ciſtercienſis Ordinis, quæ in Generalibus Comitiis anni 1646. Ianſenium pariter excluſit? Sequuti ſunt Benedictini Congregationis ſancti Mauri in Gallia, in Comitiis pariter Generalibus, & hi quoque Ieſuitæ ſunt? Ieſuitæ patres Carmelitani diſcalceati, qui editum ea de re decretum in prouinciali Capitulo anni 1646. confirmarunt in ſequenti anni 1649. Denique Ieſuitæ ſunt patres Minimi Prouinciæ Pariſienſis, *qui pœnam priuationis ab officio Prædicatoris & Lectoris conſtituerunt, in eos qui legitimè conuicti eſſent, docuiſſe etiam in priuatis colloquiis, quæ vocantur Ianſenii dogmata, per Bullas Pontificias jam damnata, in Capitulo Prouinciali ann.* 1650. Scripſit contra Ianſenium ex Ordine S. Dominici P. Sibille. Ex Ordine S. Franciſci P. Duboſc. Ex Ord. S. Auguſtini P. Michaël Paludanus. Ex Ordine Carmelitarum P. Anton. de S. Martin. Ex Ordine Celeſtinorum P. Ioann. Gineſty, & ante hos omnes ex Ordine Fulienſium, nunquam ſatis laudatus P. Petrus à S. Ioſeph. Scripſere plerique alij Doctores variarum Academiarum, Louanienſes, Duacenſes &c. Scripſerunt Illuſtriſſimi Archiepiſcopi & Epiſcopi Rotomagenſis, Biſuntinus, Vaurenſis, Vabrenſis, Sueſſionenſis, vel publicis ad omnes libris, vel priuatis ad ſuos decretis; & hi omnes Ieſuitæ ſunt? Et ſi fides eſt penes Locobonum, verum erit quod aliàs jactatum eſt, Ieſuitam eſſe omnem hominem, dicetúrque viciſſim omnem hominem eſſe Ieſuitam?

At, inquit, Ieſuitæ cæteros mouêre, & etiamnum mouent. Scilicet adeò ſunt facilè mobiles Epiſcopi Galliæ, vt ſtatim inclinent quocumque illos Ieſuitæ impulerint. Et Sorbona in omnem ſe partem vertit ad flatum Ieſuitarum. Et illi ſuffragium habent in omnibus aliorum Ordinum Congregationibus. Diceret potiùs Locobonus, & verum diceret, Ieſuitas ab aliis fuiſſe motos & etiamnum moueri, vti pro ſua virili cæteris adlaborent ad auertendum quod imminet Eccleſiæ malum. X.

Deinde videndum eſſet priùs quid negotii geratur, & quò ſpectent iſta conſilia, vt intelligeretur laudandi-ne ſint, an Laudandi ſunt vnde

eſt in illos impotenter commotus, vt prope furorem ira ſit. Si cui lubet intueri aliquid ſpumarum hujuſmodi, legere poterit quod ſcriptum eſt in parte ſecunda. *Si Ieſuitæ velint, vel potiùs ſi audeant, ante auguſta illa tribunalia prodire, ſeu aggreſſores acturi, ſeu defenſores, iuuante Deo illis oſtendemus, & viua & ſcripta voce, ipſos eſſe cauſam omnium diſſenſionum, perturbatores Eccleſiaſticæ pacis, calumniatores viuorum & mortuorum, authores nouitatum, Aduerſarios ſancti Auguſtini, inimicos ſanctæ Sedis, quæ illum ſemper probauit, fautores Pelagianorum & Semipelagianorum;* CALVINI PROTECTORES ET LVTHERI, *deſtructores veræ gratiæ Chriſti Ieſu, &c.* Quis non contremiſcat ad ſonitum tam periculoſæ prouocationis? Quis non fugiat à facie hujus Amphitryoniadæ? Sed vide, Lector, hominis ingenium & ſapientiam. Ne vllum eſſet malum in ciuitate, quod Ieſuitæ non feciſſent, *Admonitionem* initio præmiſit ad Lectorem, quâ edicit ipſis quoque imputandum, quidquid Typographus inemendatum reliquit in editione *Gratiæ victricis*. Quæ ego non dubito quin Lectoris animum ſuſpendant inter riſum & indignationem.

pag. 10.

IX. Non ſolùm Ieſuitæ Ianſenio contradicunt.

Sciendum autem eſſet quare ſolos accuſet Ieſuitas? Non ſunt alij quoque multi qui Ianſenium inſectantur? Ego ſi philautiæ aliquid crederem, gauderem huic Societati propriam ac ſingularem concedi gloriam. Neque enim gloria exigua eſt Caluiniſmi reuiuiſcentis occupaſſe primordia, & ingreſſis in ouile Chriſti lupis pellem ouinam excuſſiſſe. Sed abſit vt proprium eſſe velim quod eſt tot Ordinum, tótque inſignium virorum commune. Et fortè hoc intendit verſutus Doctor, vt cùm obtinuerit ſolos eſſe Ieſuitas, qui Ianſenio bellum indixerunt, videantur cæteri partes illius eſſe ſequuti. Quo pacto traduceret ille quidem Ieſuitarum conatus omnes, apud eos qui norunt, inter Catholicos, dum de rè aliqua diſputatur quæ ad fidem pertinet, nihil timendum eſſe magis quàm paucitatem opinantium, nihil magis optandum quàm conſentientium vniuerſitatem. Sed non patiemur vt hoc ei conſilium ſuccedat. Quid enim, octoginta Epiſcopi Galliæ, qui ad Summum Pontificem ſcripſerunt contra Ianſenium, Ieſuitæ ſunt? Sorbonicorum Doctorum pars longè maxima, quæ impeditam malis artibus Ianſenianæ doctrinæ cenſuram à Sorbona

bona conceptam, illam expectat à Sede Apoſtolica, Ieſuitis conſtat? Capitulum generale Capucinorum, quo proſcriptus eſt ab Ordine illo Ianſeniſmus, Congregatio fuit Ieſuitarum? Ieſuitarum quoque fuit Congregatio Fulienſium Ciſtercienſis Ordinis, quæ in Generalibus Comitiis anni 1646. Ianſenium pariter excluſit? Sequuti ſunt Benedictini Congregationis ſancti Mauri in Gallia, in Comitiis pariter Generalibus, & hi quoque Ieſuitæ ſunt? Ieſuitæ patres Carmelitani diſcalceati, qui editum ea de re decretum in prouinciali Capitulo anni 1646. confirmarunt in ſequenti anni 1649. Denique Ieſuitæ ſunt patres Minimi Prouinciæ Pariſienſis, *qui pœnam priuationis ab officio Prædicatoris & Lectoris conſtituerunt, in eos qui legitimè conuicti eſſent, docuiſſe etiam in priuatis colloquiis, quæ vocantur Ianſenii dogmata, per Bullas Pontificias jam damnata, in Capitulo Prouinciali ann.* 1650. Scripſit contra Ianſenium ex Ordine S. Dominici P. Sibille. Ex Ordine S. Franciſci P. Duboſc. Ex Ord. S. Auguſtini P. Michaël Paludanus. Ex Ordine Carmelitarum P. Anton. de S. Martin. Ex Ordine Celeſtinorum P. Ioann. Gineſty, & ante hos omnes ex Ordine Fulienſium, nunquam ſatis laudatus P. Petrus à S. Ioſeph. Scripſere plerique alij Doctores variarum Academiarum, Louanienſes, Duacenſes &c. Scripſerunt Illuſtriſſimi Archiepiſcopi & Epiſcopi Rotomagenſis, Biſuntinus, Vaurenſis, Vabrenſis, Sueſſionenſis, vel publicis ad omnes libris, vel priuatis ad ſuos decretis; & hi omnes Ieſuitæ ſunt? Et ſi fides eſt penes Locobonum, verum erit quod aliàs jactatum eſt, Ieſuitam eſſe omnem hominem, dicetúrque viciſſim omnem hominem eſſe Ieſuitam?

At, inquit, Ieſuitæ cæteros mouêre, & etiamnum mouent: Scilicet adeò ſunt facilè mobiles Epiſcopi Galliæ, vt ſtatim inclinent quocumque illos Ieſuitæ impulerint. Et Sorbona in omnem ſe partem vertit ad flatum Ieſuitarum. Et illi ſuffragium habent in omnibus aliorum Ordinum Congregationibus. Diceret potiùs Locobonus, & verum diceret, Ieſuitas ab aliis fuiſſe motos & etiamnum moueri, vti pro ſua virili cæteris adlaborent ad auertendum quod imminet Eccleſiæ malum.

Deinde videndum eſſet priùs quid negotii geratur, & quò ſpectent iſta conſilia, vt intelligeretur laudandi-ne ſint, an X. Laudandi ſunt vnde

accuſantur qui Ianſeniſmo reſtiterunt.

culpandi, qui ea promouent. Quænam ergo eſt iſta conſpiratio tam fœda, tam noxia, tam contra fas & communem morem, quæ Authores dicitur habere Ieſuitas? Editur in lucem Auguſtinus Ianſenii : doctrinam annuntiat, vt fatetur ipſe, hoc tempore *miram* , & præoccupatis jamdiu hominum ingeniis *inuſitatam & nouam*. Ita verò illam proponit vt nullum gratiæ, aut indulgentiæ vel communi caritati locum relinquat. Hæreticos enim omninò vocat & Pelagianos vel Semipelagianos, ſi qui auditam repudient. Prudentia igitur ſit inexaminatam fidem ſtatim amplecti ? Non fuit deliberandum vtrùm antiquâ poſſeſſione ſubitò relictâ , in nouam tranſcribi doctrinæ ſortem oporteret? Ergo cùm neque noſtro tantùm niti iudicio debeamus , nec temerè ſenſus exuere nobis in Eccleſiæ gremio congenitos , & longa pace confirmatos, petimus vt quæ nobis proponitur, doctrina probetur. Probandam iis offerimus, quorum eſt & amuſſim & limam adhibere. Incipimus ab eo, quod propius eſt , Sorbonam in Gallia ſpectant omnes & poſt Sedem Apoſtolicam & Epiſcoporum deciſiones, communes ejus ſententias amplecti tutum putant. Sorbonam igitur adimus, Ianſeniana proponimus dogmata diſcutienda, vt intelligamus ſatiſne orthodoxa putet. Quid prudentius fieri potuit? Quid antiquæ ſimplicitati conformius? Quid procul magis ab omni fraudis ac doli mali ſuſpicione? At , inquit, Ieſuitæ curarunt ad hunc conuentum aduocari vel ab extremis vſque regni finibus , quos ſperabant ſibi conſenſuros. Primùm accuſationem Locobonus occupat , atque hoc objicit , cujus reos eſſe Ianſenianos ſolos certiſſimè conſtat: & poſſem nominare quos acciuerint partiarios ſuos, oblatis vltrò ſumptibus, vt indemnes venirent. Sed eſto, demus id eos honeſtè feciſſe, quod in aliis vituperant. Quid aliud expetebatur, quàm vt conſtaret quis ſenſus eſſet majoris partis Sorbonæ? Quid igitur optandum magis fuit, quàm vt conuenirent vtrimque quamplurimi ? Et quamplurimi reuera conuenerant, conſtabátque cœtus ille ducentis circiter Doctoribus; ſed cùm Ianſeniani certam haberent mox ſequuturam ſuatum ſententiarum damnationem, diſturbarunt totum negotium, injectâ lite de locorum prærogatiua inter Decanum & Cancellarium. Quam illos eo tantùm fine excitaſſe, vel ex eo manifeſtè con-

ſtat, quòd intermiſſa cenſuræ cogitatione, locorum etiam controuerſia ſtatim ceſſauerit, manſeritque Decanus prioris loci poſſeſſor pacificus.

Ergo ſpe illâ deſperatâ, itum eſt ad proximè ſuperius tribunal, quæſitúmque ab Epiſcoporum authoritate remedium. Illi expenſis cauſæ momentis, attentóque grauiſſimo rei Catholicæ periculo, adeundum putauere ſupremum controuerſiarum Iudicem, Romanum Epiſcopum, literáſque de hoc argumento ſcriptas ſubſcripſere circiter octoginta. Hîc Ianſeniani frendere, hîc cœlum & terram inuocare, hîc ſpumare potiſſimùm in illuſtriſſimum Vabrenſem & Ieſuitas, tanquam præcipuos, vt ipſi quidem putant, hujus conſilii promotores. Verum eſto, pars aliqua hujus negotii ad Ieſuitas pertineat, quid in eo reprehenditis? quid non legitimè? quid non ordine factum eſt? quid non more majorum? Non eſt aliud Ieſuitarum ſcelus, quàm quod res fidei ad ſupremum fidei tribunal curauerint deferendas? Poſtulandum forte priùs fuit, an illud agnoſcatis? An vos ejus decretis obnoxios arbitremini? Ergo date gloriam Deo. Sedes Apoſtolica conceſſam habet à Deo ad cauſas fidei decidendas poteſtatem nec ne? Si non habet; exeſte? Quod enim vobis ius eſſe poteſt in Communione Catholicorum permanendi? Si habet, cur ad eam tam inuiti trahimini? Cur maledictis eos, qui vos eò ducunt, oneratis? Quid timetis? Si certiſſima ſunt veſtra dogmata, certiſſimum adite Iudicem, hoc veſtrâ intereſt. *Monſtrum* eſt, vt dicitis, quòd Ieſuitarum doctrina ſimul cum Ianſeniana toleretur in Eccleſiæ Communione. Vbi eſt ergo zelus veſter? Quid facitis vt hoc *monſtrum* exterminetur? Id verò quis promptiùs fecerit aut efficaciùs quàm qui & ex officio Paſtoris debet, & ex promiſſa cœlitus luce, adjunctáque poteſtate certò poteſt, oues à lupis ſecernere, membrorúmque malè cohærentium diſſoluere commiſſuras? Ecce, proponimus vobis hunc arbitrum controuerſiarum noſtrarum: ad eum vos vocamus, quem æquum erat vt ipſi ſponte conueniretis priùs. Id enim verò fuiſſet vobis glorioſum: & contra ſuſpiciones omnes, accuſationéſque tutamen ſecuriſſimum. Quòd ſi ne vocatis quidem ire lubet, niſi propè vis inferatur; ſi nefandi videntur vobis, à quibus conſilium vocandi profe-

XI. Rectè atque ordine facta eſſe quæ contra Ianſenium facta ſunt.

ctum eſt, an eſt temeraria ſuſpicio eorum qui ex hac recurrendi ad Pontificem repugnantia, odióque illorum qui vos eò adducunt, vos à veſtra pungi conſcientia putant: atque hanc vnam eſſe rationem, cur apud Sedem Apoſtolicam judicari nolitis, quia damnari timetis?

XII. Ianſeniani examẽ ſuarum propoſitionum detrectant. Perſeuerant illi tamen, atque hoc examen conſtanter refugiunt. Vide, Lector, quid Locobono venerit in mentem. Epiſcopos, qui ad Summum Pontificem ſcripſere, rogat atque obteſtatur, vt ſententiam reuocent, contrariáſque prioribus litteras ſcribant, quibus auertant Pontificis animum ab examine miſſarum propoſitionum. Hæc eſt concluſio libri de *Gratia victrice*. Concluſio equidem ridicula, atque abſurda. Nam ſi ſumma hæc eſt, vt dicit, cauſæ totius, vt admittatur *Gratia victrix*, quid illi vehementiùs optandum fuit, quid ardentiùs procurandum, quàm vt lite apud Summum Pontificem conteſtatâ, *Gratia victrix* Romæ triumpharet?

pag. 81. 82. ſecunda veritatis.

Pag. 12.

XIII. Prætextus Ianſeniano. rum inanes. Expendere tamen juuat quid ille prætexat. Ait enim primò Ieſuitas imponere Ianſenio, & *nullam ex illis quinque propoſitionibus exceptâ primâ*, eo modo quo ſunt conceptæ, apud illum reperiri: Deinde conceptas eſſe propoſitiones æquiuocas, & quarum poteſt eſſe bonus, malúſq; ſenſus. Tertiò, Ianſenium & Auguſtini diſcipulos illas ſemper docuiſſe & approbaſſe juxta ſenſum bonum, qui eſt Auguſtini, non iuxta malum, qui eſt Caluini. Quartò, Ieſuitas ſuggerere tantùm malam earum interpretationem, vt extorta per fraudem ejus cenſura extendatur deinde ad bonam. Quintò, neceſſariam eſſe doctrinam, quæ *Gratiam victricem* admittit; ad eam autem reduci poſſe Propoſitiones omnes, & ea reductione facta, eſſe veriſſimas. Sextò eò ſpectare conſilia Ieſuitarum vt recipiatur doctrina Molinæ. Septimò, ſed illam doctrinam jam olim eſſe damnatam à Clemente VIII. & Paulo V. Hæc quantum meminiſſe poſſum, omnia ſunt quæ Locobonus iis objicit, qui controuerſiam hanc detulere ad Sedem Apoſtolicam, quæ perſpicuè conuincunt ita fieri debuiſſe, ac Ianſenianis fuiſſe optandum, vt ita fieret.

Cauſa mihi eſt cum parte vafra, mendaci, fraudibus aſſueta & impoſturis; cujus ſunt periculoſa conſilia; ego quid magis aueam, quàm vt ſtemus coram optimo Iudice, cui neque poteſtas deſit ad comprimendos nocentes, neque ratio in-

quirendæ veritatis, neque inflexa recti voluntas ad ſuum vnicuique jus tribuendum? Dicant modò, an putent vſpiam certiùs reperiri, quàm apud tribunal Eccleſiæ, vbi jus dicit Chriſti vicarius? Cur ergo eò venire recuſant? Cur tergiuerſantur? Deberent potiùs exultare gaudio, quòd Aduerſarios tot criminum reos ad hanc petram alligatos tenerent. Non deeſt illis ratio, vt ipſi quidem putant, qua probent vera eſſe de quibus accuſent. Iudicibus non deeſt æquitas, & expedita, quò jus impulerit inclinandi voluntas. Vſquamne igitur illis feliciùs eſſe poterat, quàm in hanc occaſionem incurriſſe? Quid ſibi vult inſolita hæc & inuſitata rerum conuerſio, vt qui rei putantur, iudicium inter humana omnia certiſſimum vltrò depoſcant, innocentes detrectent? Imponitur, inquiunt, Ianſenio; deerit Romæ, à quo impoſtores caſtigentur? Afferuntur Propoſitiones æquiuocæ; deerunt, qui diſtinguant? Catholicus eſt ille ſenſus, in quo eas Ianſeniani defendunt, deerunt qui explorent? Ieſuitæ ſuggerunt peruerſam tantùm earum interpretationem; deerunt periti gnauique Theologi, qui defectum ſuppleant? Cenſurâ malæ interpretationis abutentur ad damnandam etiam bonam; deerunt qui cautè prudentérque pronuncient, itáque ſua ſenſa exprimant, vt fraudi eſſe nemini poſſint? Doctrina de Gratia victrice & per ſeipſam efficaci neceſſaria eſt, & ex illa conſtat optima quinque Propoſitionum intelligentia; deerunt quibus hæc Theologia ſit perſpecta, ſi vera eſt? Hoc agitur vt abſoluatur Molina; ſed vbinam citiùs diſſipari poterunt ejuſmodi conſilia, quàm vbi dicunt fuiſſe damnatum? Ecquid ridiculum eſt, ex morbo petere rationem non adeundi medicum: & ex ingruentibus malis improbare ad eos recurſum, quorum eſt prouidentia?

Sed retexamus has calumnias. Nulla, inquiunt, iſtarum Propoſitionum, exceptâ primâ, reperitur apud Ianſenium, eo modo, quo ſunt conceptæ. Hoc quàm ſit falſum conſtabit poſtea, dum ſingulæ diſcutientur. Interea memoriam conuenio Locoboni, qui decimâ ſextâ quam hæc ſcripſerat paginâ, fatetur *& Dominum Iprenſem, & S. Auguſtini diſcipulos admiſiſſe ac docuiſſe Propoſitiones illas juxta ſenſum verum & Catholicum.* Loquimur enim de Propoſitionibus, vt ſunt conceptæ: & vt

XIV. Quinque Propoſitiones ſunt reuera Ianſenianæ. *Præf. pag.* 22.

ſunt conceptæ, dicuntur adhuc habere ſenſum Catholicum, juxta quem fuerint ſemper & admiſſæ & traditæ à Ianſenio: ſunt igitur apud Ianſenium illæ Propoſitiones: Eſto aliter ſint interpretandæ, quàm interpretemur ipſi, ſed tamen ſunt apud illum.

XV. Nec eſt vlla æquiuocatio quæ cenſuram impedire poſsit.

Addunt eſſe æquiuocas. Eſt tamen vſitata quædam ſignificatio juxta communem & tritam vocum acceptionem: & illa in ferendis cenſuris attenditur. Vix enim eſſet aliquid cenſura dignum, ſi haberetur ratio obliquæ alicujus & longè petitæ interpretationis. Dicant ergo juxta communem ſermonis vſum, dicendum-ne ſit, *Dei præcepta eſſe peccantibus impoſſibilia, & deeſſe gratiam, quâ poſſibilia fiant?* Sunt-ne vlli vſquam Catholici, qui ſic loquantur? Auguſtinus vnquam ita loquutus eſt? Non diſertiſſimè id ſæpiùs negauit? Eadem eſt cæterarum ratio, vt deinde conſtabit ex diſcuſſione ſingularum.

XVI. Senſus Ianſenii non differt à ſenſu hæreticorum.

Atque hinc rejicitur quòd addunt tertiò, Ianſenium illas admiſiſſe juxta ſenſum Catholicum. Quia ſi Catholicus eſt ſenſus, non debet exprimi verbis illis, quæ juxta receptum vſum & quotidianam hominum intelligentiam hæretica ſunt. Sed neque illud eſt verum, reſpexiſſe Ianſenium ad ſenſum Catholicum & Auguſtinianum, diuerſum à ſenſu Caluini. Poſtquam in ejus ſenſu nihil aliud continetur, quàm eſſe potentiam aliquam remotam & aliquam proximam, & juxta illam diſtinctionem affirmari, vel negari poſſe Propoſitiones illas. Quia Ianſeniani nunquam oſtendent, incognitam fuiſſe Caluino diſtinctionem hanc, & potentiam etiam remotam ab eo, atque ab aliis hæreticis eſſe negatam. Sicuti neque vnquam oſtendent, remotam illam potentiam ſine proxima, ſufficere ad tuenda Conciliorum & Pontificum decreta, & communem Eccleſiæ fidem, vt deindè conſtabit.

Et hic eſt ſenſus quem ſuggerunt illi, qui cenſuram vrgent, nempe quòd Dei præcepta ita ſint tranſgredientibus impoſſibilia, vt eorum nemo habeat proximam & expeditam ad ſeruandum potentiam. Quòd talis ſit omnis actualis Chriſti gratia interior, vt nemo vnquam habeat proximam & expeditam ad ſuſpendendum ejus effectum poteſtatem; quòd

talis ſit ſtatus voluntatis in natura corrupta, vt dum bene agit, careat proxima & expedita non agendi bene potentia, & viciſſim dum malè agit; quòd Semipelagiani in eo tantùm errarent circa Gratiam Chriſti, quòd putarent eſſe in voluntate proximam & expeditam diſſentiendi potentiam; denique quòd Deus ita ſe gerat cum reprobis, vt qui nunquam recipiunt fidem aut caritatem, nunquam etiam habeant proximam & expeditam recipiendi potentiam: qui receptam amittunt, nunquam habent proximam & expeditam retinendi. Hic hic ſenſus eſt Ianſenianus. Hîc ſuggeritur Romanis Iudicibus vt videant, quantùm diſtet ab hæretico; quantùm Catholico ſit conformis.

XVII. Gratia per ſe ipſam efficax, & quinque Propoſitiones nullam habent connexionem ex ſententia Thomiſtarum.

Iam quod dicunt quartò de neceſſitate doctrinæ, quæ gratiam aſtruit per ſeipſam efficacem, ſuperuacaneum omninò eſt: nec in eo quidquam præſidii reperitur ad probandum quem dixi Ianſenianum ſenſum. Et primùm, puto gratiam per ſeipſam efficacem ab illis ita intelligi, vt ſit eadem cum phyſicè prædeterminante. Ideo enim vt opinor gloriantur ſe conſentientem habere totam ſcholam D. Thomæ. Hoc autem poſito, dico Locobonum inani ſe labore torſiſſe, dum tam ſollicitè coaceruauit argumenta, quibus admittendam ejuſmodi gratiam euinceret. Nam eſto, id illi demus animi gratiâ, cujus negandi juſtiſſimas credimus & fortiſſimas nos habere rationes. Si vult iiſdem ſtare conditionibus, quibus Thomiſtæ ſe ipſi obſtrinxere, quid eſt conſequutus? Habeat quam petit gratiam per ſeipſam efficacem: & vt eſt iſtarum cochlearum diligens inueſtigator, voluat & reuoluat diaria Franciſci Pennæ, ſcrutetur Gazophylacium Mauguini, ſchedas omnes examinet & inanes chartas, quibus putat ea quæ geſta ſunt in Congregationibus de Auxiliis fuiſſe omnia propalata. Vſquam-ne inuenerit affirmaſſe Thomiſtas, Dei mandata in aliquo vero & proprio ſenſu eſſe peccantibus impoſſibilia: & deeſſe gratiam, quâ fiant poſſibilia? Poterit oſtendere vbi & quando negauerunt dari veram, internam & ſupernaturalem ex Chriſti meritis gratiam ſufficientem, ad proximè agendum, & tamen hominum vitio ſterilem? Vbi dixerint ſtare libertatem merendo & demerendo neceſſariam, ſine proxima & immediata agendi & non agendi indiffe-

rentia? Vbi conceſſerint liberum arbitrium efficaci gratiâ præmotum, non poſſe potentiâ proximâ & immediatâ diſſentire? Vbi ſic explicuerint Dei & Chriſti voluntatem circa æternam hominum ſalutem, vt ea ſolos ſpectauerit prædeſtinatos, negaueritque reprobis omnibus auxilia neceſſaria, vel vt poſſent ad fidem & caritatem peruenire: vel vt poſſent, cùm jam perueniſſent, perſeuerare? Amabo te, mi Doctor, excute iterùm fidelia illa & authentica rerum geſtarum in Congregationibus de Auxiliis monumenta; & vide ſi vlla vnquam fuit nos inter & Thomiſtas contentio, circa hæc omnia pronuntiata; cùm id illi vltrò concederent quod ipſi petebamus.

Sunt tamen, inquit, iſta connexa, & admiſſâ gratiâ per ſeipſam efficaci, cætera conſequuntur. At, inquam, connexionem illam Thomiſtæ conſtanter negauerunt ſemper: nec aliter admiſerunt Gratiam phyſicè prædeterminantem, quàm ex hypotheſi quòd conſequutiones hujuſmodi negare poſſent. Adeamus eorum commentarios, qui diſputationibus interfuerunt, ac proinde qui totam hanc cauſam inſpexere penitiùs.

XVIII. Didacus Aluarez & gratiam per ſeipſam efficacem admittit & primam Janſenii Propoſitionem damnat. *Diſp. 71. nu. 2.*

Diſputamus vtrum diuina præcepta ita ſint peccantibus impoſſibilia, vt non habeant dum peccant ſufficientem gratiam, quâ poſſibilia fiant: Didacum Aluarem audiamus, qui primus è Thomiſtis coram Clemente VIII. diſputauit in Congregationibus de Auxiliis. Hic enim diſp. 57. de Auxiliis num. 7. concludit omninò & fusè probat, poſſibilia eſſe Dei præcepta, quod quo modo intelligat ex ſequentibus facilè conſtabit. *Si de reipſa loquamur*, inquit, NVLLVS CATHOLICVS *dubitare poteſt de diuiſione gratiæ in ſufficientem & efficacem.* Iterum, *Item Iſaiæ 5. ſic loquitur Dominus, Habitatores Hieruſalem, &c. Ex quibus conſtat Iudæos, quos reprehendit Dominus, gratiam efficacem non habuiſſe, aliàs feciſſent vtique fructum bonum. Habuerunt autem* GRATIAM VERE SVFFICIENTEM, *per quam conuerti potuerunt, & fructus dignos pœnitentiæ facere, aliàs non reprehendiſſet Dominus, quòd vuas non protulerint ſed labruſcas.* Et allatis Concilii Tridentini verbis ex cap. 11. ſeſſ. 6. *Ergo ſecundùm Concilium Tridentinum datur* GRATIA SVFFICIENS, *quâ poteſt homo ſeruare omnia mandata*

data diuina. Et, *Si non daretur gratia* VERE SVFFICIENS *non poſſet illis qui conuertuntur imputari ad culpam, quòd non conuerterentur, nec adimplerent diuina mandata, & conſequenter Deus irrationabiliter quereretur de illis, & ſine cauſa eos increparet.* Ib. num. 12. Rurſus, diſp. 112. num. 5. concludit, *Dari auxilium ſupernaturale intrinſecus, neceſſarium ad implenda præcepta, & ab omnibus recipi omne auxilium illud, ſaltem pro loco, & tempore, quo præceptum obligat.* Idem diſp. 54. n. 7. & lib. 3. reſponſ. cap. 5. num. 11. Et probat, *Quia alioqui* HOMO OBLIGARETVR AD IMPOSSIBILE, quod ille falſum eſſe contendit etiam in homine lapſo, & peccati originalis pœnam ferente. Num. 10. Iterum, *Qui non recipiunt in ſeipſis, neque habent auxilium* IMMEDIATE *ſufficiens ad credendum, non peccant contra fidem.* Et mox, *Quando præcepta ſunt naturalia ex parte objecti*, SEMPER HOMO HABET AVXILIVM SVFFICIENS AD EA IMPLENDA, *quando obligat præceptum: & ita à culpa non excuſatur qui illud non implet.*

Hæccine ſatis oſtendunt Auctores gratiæ per ſeipſam efficacis ita illam interpretari, vt fateantur tamen peccata non poſſe peccantibus imputari, niſi dum peccant, vires habeant, quibus ea vitare poſſint, ſi velint: hoc eſt niſi adſit gratia quæ præcepta illis poſſibilia faciat, dum ea peccantes tranſgrediuntur?

XIX. Idem requirit potentiam primam ad agendum, vt imputari poſsit omiſsio non agentis.

Sed hærent fortaſſe Ianſeniani circa diſtinctionem potentiæ remotæ ac proximæ. Recognoſcant igitur quæ allata ſunt, & videant illud auxilium, quando res ita exigit, eſſe *ſupernaturale*, *intrinſecum*, & quod ſufficiat ad IMMEDIATE agendum: atque hæc inſuper audiant, *illud auxilium ita eſſe ſufficiens*, VT NVLLVM ALIVD REQVIRATVR AD HOC, VT HOMO VERE DICATVR POSSE BENE AGERE ET SALVARI. Diſp. 79. Item, *Etiam ſi non ſit in voluntate gratia efficax prædeterminans ad conuerſionem, nihilominus per auxilium gratiæ ſufficientis, habet eadem voluntas potentiam* PROXIMAM *& facultatem* EXPEDITAM, *quâ poſſit conuerti*, &c. Diſp. 3. reſp. cap. 7. num. 50. Iterum, *Dicimus enim quòd etiam antequam voluntas moueatur auxilio efficaci, vt actualiter velit tale objectum, eſt ſufficienter conſtituta in actu primo &* PROXIMO, *vt poſſit operari ſi velit.* Diſ. 4. reſp. cap. 7. num. 12. Iterum. *Quia ergo auxilio efficaci præmouente ad aliquam actionem, ſaluatur in Libero Arbitrio* EXPEDITA FACVLTAS QVA POSSIT DIS- Ib. num. 13.

Idem habet 1. Reſp. cap. 1. 12. 13. SENTIRE SI VELIT, *ideo poteſt illi imputari, & imputatur ad culpam, ſi non abſtineat.*

Et quia Ianſenius ab induratis argumentum petit, vt impoſſibilitatem adſtruat mandatorum; Didacus diſertè ſignificat impoſſibilitatem illam eſſe tantùm magnam difficultatem. 2. Reſp. cap. 2. num. 15. *Quia*, inquit, *quod eſt valde difficile, dicitur quodammodo impoſſibile.*

XX. Didaco Gonçales de Albelda conſentit. Didaco Aluarez adjungo Ioannem Gonçales de Albelda, qui iiſdem diſputationibus interfuit & ita loquitur: *His ſuppoſitis pro reſolutione veritatis, dico primò, inſtante occaſione temporis, quo obligat præceptum naturale aut ſupernaturale, Deus de facto dat cuicumque viatori auxilium ſufficiens, proportionatum, extrinſecum & intrinſecum, vt poſſit ſi velit, tale præceptum adimplere, ita vt nullus excuſari poſſit à tranſgreſſione præcepti, ob defectum auxilii ſufficientis.* Diſp. 77. in 1. p. ſect. num. 13. Et deinde: *In tali caſu liberè homo peccat*, ERGO POTERAT NON PECCARE: Num. 14. *ac proinde cujuſcumque ordinis ſit illud præceptum, dicendum eſt talem hominem habere auxilium ſufficiens, intra eundem ordinem, vt poſſit ſi velit, tale peccatum vitare & præceptum implere.* Iterum: *Illi qui in Scriptura dicuntur peculiariter deſerti à Deo, non ideo tales dicuntur, quia auxiliis ſufficientibus priuentur pro loco & tempore, quo inſtat occaſio adimplendi præceptum, ſed quia etiam auxilia ſufficientia habeant, non tamen efficacia ..... ſic deſertis* PER QVANDAM EXAGGERATIONEM *dicitur impoſſibilis ſalus, aut quia valdè difficilis, aut quia impoſſibilis ſolùm impoſſibilitate ſequenti permiſſionem & præſcientiam Dei, quæ nullo modo deſtruit aut minuit intrinſecam facultatem ad oppoſitum.* Et deinde: *Ad quartum patet quòd peccatoribus*, QVANTVMCVMQVE OBDVRATIS, *non denegantur auxilia ſufficientia pro loco & tempore, pro quo currit obligatio præcepti.*

Sed fortaſſe latebras adhuc quærent in diſtinctione proximæ ac remotæ potentiæ, Gonçalem iterùm audiant; Diſp. 57. ſect. 3. n. 46. *Per auxilium ſufficiens & per concurſum paratum à Deo, ex vi voluntatis antecedentis, quâ vult quantum eſt ex ſe, vt ille actus fiat à nobis, niſi per nos ſteterit, habet voluntas noſtra* IN SVA POTESTATE LIBERA ET EXPEDITA *quidquid requiritur vt faciat actum bonum, etiam non prædefinitum.* Diſp. 58. n. 16. Iterùmque: *Quare indubiè tenendum eſſe cenſeo voluntatem creatam ſolùm ſufficienter adjutam à Deo, habere* VLTIMVM COMPLEMENTVM PO-

TENTIÆ ACTIVÆ *& concurſum præuium Dei, in quo ſaluatur eſſentialis ſubordinatio cauſa ſecunda, reſpectu prima, in ordine ſuo, nempè* POTENTIÆ PROXIMÆ OPERATIVÆ. Iterum, *Habere ſolam illam virtutem ſufficit, & requiritur vt in actu primo ſit* VLTIMATE COMPLETA ET PROXIME EXPEDITA *ad conſentiendum Deo vocanti, ſi velit. Quare, ex ſua malitia non vult, non autem ex defectu principii proximi, vltimatè requiſiti neceſſitate antecedente, ſeu ex parte cauſa.* Rurſus, *Neceſſitas gratia efficacis non impedit quò minùs ille, qui ſolùm habet auxilium ſufficiens, habeat* PROXIMAM ET EXPEDITAM *facultatem conſentiendi Deo vocanti, ſi velit.* En quo modo prima propoſitio de mandatorum impoſſibilitate reducta fuit ad Catholicum ſenſum ab Aſſertoribus gratiæ, per ſeipſam efficacis, in Congregationibus de Auxiliis. Si manum illis tenuiſſemus ſcribentibus, poterant-ne ſignificantiùs exprimere ſententiam Ianſenianæ contrariam? *Num. 35.*

XXI. Secundam etiam propoſitionem rejicit Didacus. *pag. 19. 2. par.*

Videamus quid ſentiant de ſecunda, qua dicitur, *Interiori gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ numquam reſiſti.* Quam Locobonus ita reducit ad doctrinam de gratia per ſeipſam efficaci, itáque veram affirmat, vt intelligatur, *in ſtatu naturæ lapſæ numquam rejici internum auxilium, proximè neceſſarium ad volendum, & non eſſe aliquam gratiam ſufficientem libero arbitrio ita accommodatam, vt eam aliquando rejiciat, aliquando non rejiciat, abſque eo quod indigeat gratia diuinitùs efficaci, vt velit.* Sed jam conſtat ex dictis hunc ſenſum rejici à Doctoribus gratiæ prædeterminantis; & præcipuis Actoribus in diſputationibus de auxiliis. Audiuimus ex Didaco, *Nullum Catholicum dubitare de diuiſione gratiæ in efficacem & ſufficientem:* Et ſufficientem iſtam eſſe *auxilium intrinſecum ſupernaturale;* Hoc auxilium eſſe *verè* ſufficiens, alioqui non imputandam peccatoribus mandatorum tranſgreſſionem: *Eſſe ſufficiens* ad *immediatè* agendum: Eſſe ita ſufficiens, vt *nullum aliud requiratur ad hoc, vt homo verè poſſit agere:* Conſtituere potentiam *proximam & expeditam* ad agendum, aliàs non imputanda quæ bene vel malè fiunt. Habemus igitur ex Didaco auxilium internum ſupernaturale, verè ac proximè ſufficiens ad operandum, & tamen effectu carens, quod eſt interno, ſupernaturali, verè ſufficienti, verè conſtituenti proximam agendi potentiam in ſtatu naturæ la-

pſæ voluntatem humanam reſiſtere.

Addi poteſt, id quod dicit, 3. Reſponſ. cap. 5. num. 46. *Vnde hæc propoſitio, Liberum arbitrium, motum à Deo auxilio gratiæ ſufficientis ad conuerſionem, poteſt conuerti ſi velit, eſt veriſſima* ETIAM IN SENSV COMPOSITO ACCEPTA: ſi eſt veriſſima, qui non conuertitur numquid reſiſtit interiori gratiæ ſufficientiſſimæ ad conuerſionem?

XXII. Rejicit & Gonçales. *Suprà diſp. 58. num. 16.* Expreſſiora ſunt adhuc Gonçalis verba, cùm dicit ſecluſâ præfinitione boni actus, quem peccator omittit, & ſecluſâ conſequenter gratiâ prædeterminante, *Habere illum in ſua poteſtate libera & expedita quidquid requiritur vt faciat actum bonum: Habere in ſua poteſtate expedita actum pænitendi, & ideò ſuâ culpâ omittere: Habere vltimum complementum potentiæ actiuæ: Habere totam illam virtutem, quæ ſufficit & requiritur vt in actu primo ſit vltimatè completa, & proximè expedita ad conſentiendum Deo vocanti, ſi velit:* & peccatorem ex ſua malitia nolle, *non autem ex defectu principii proximi, vltimatè completi:* Neceſſitatem gratiæ efficacis non impedire quominùs ille qui habet ſolum auxilium ſufficiens *habeat proximam & expeditam facultatem conſentiendi Deo vocanti, ſi velit.* Hoc verò quid aliud eſt quàm conſtantiſſimè, diſertiſſimè, euidentiſſimè Thomiſtas gratiæ per ſeipſam efficacis defenſores negare ſecundam propoſitionem, eodem omnino ſenſu, quo illam Ianſeniani defendi poſſe putant?

XXIII. Ianſeniana interpretatio tertiæ propoſitionis. *Par. 2. pag. 48.* Tertia propoſitio eſt, *Ad merendum & demerendum in ſtatu naturæ lapſæ non requiritur libertas à neceſſitate, ſed ſufficit libertas à coactione.* Cui Locobonus dat hunc ſenſum, quem putat eſſe Ianſenianum, Auguſtinianum, Catholicum. Quòd ſcilicet excludenda ſit *indifferentia proxima actionis ad peccandum, aut non peccandum, ad recipiendam aut rejiciendam gratiam, tanquam minimè neceſſaria ad merendum aut demerendum, in ſtatu naturæ lapſæ:* & hanc vocant *indifferentiam Molinianam*, ac proinde cùm dicitur non requiri libertatem à neceſſitate ad merendum aut demerendum, eſſe veriſſimum, intellectum de neceſſitate huic indifferentiæ proximæ actionis oppoſita. Et ideo huc etiam reducit doctrinam de gratia per ſeipſam efficaci, quatenus putat & cum illa ſtare libertatem, & ſtare ſimul eam neceſſitatem, quâ tollatur indifferentia proxi-

ma actionis. In quo ille toto errat cœlo. Et quòd glorìatur ſe conſentientes habere Thomiſtas, adeò non eſt verum, vt nuſquam putem multitudine contrariorum teſtimoniorum faciliùs illum, citiúſque vel obrui poſſe vel ſuffocari. Sed quia doctrinam ille ſuam deducit ex iis, quæ putat fuiſſe conſtituta in Congregationibus de Auxiliis, interrogandi ſunt Thomiſtæ, qui diſputationibus interfuerunt.

Suppono autem quam ille nominat indifferentiam proximam actionis, eſſe indifferentiam proximam agendi vel non agendi. Nam ſi nugari velit & Lectorem ludificare ænigmaticis phraſibus; ſuas ſibi res habeat, ſinátque nos cum Ianſenio diſputare, qui proximam agendi vel non agendi indifferentiam diſertiſſimè negat eſſe ad libertatem neceſſariam; & proinde ſtare illam putat cum neceſſitate huic indifferentiæ oppoſita. Hoc tantùm ſenſu, hæc propoſitio ad cenſuram offertur judicibus.

Ergo Aluarez ita loquitur: *Ad tertium reſpondetur, quòd potentia poteſt dupliciter dici proxima & expedita ad operandum. Primò, quia nihil aliud requiritur ex parte ipſius potentiæ, quo in actu primo conſtituatur ad actualiter operandum ſiue ad volendum & nolendum: & hoc modo liberum arbitrium, poſitis omnibus requiſitis ad operandum, poteſt* POTENTIA PROXIMA ET EXPEDITA *operari & non operari, velle & nolle. Vnde S. Thomas 1. p. quæſt. 83. art. 2. ad 2. ait, quòd facultas nominat quandoque potentiam expeditam ad operandum, & ſic ponitur in definitione liberi arbitrii. Secundo modo poteſt dici facultas proxima & expedita ad operandum, quia in ſua operatione non dependet ab alia priori cauſa, tribuente ipſam cooperationem vel actualiter concurrente: & in hoc ſenſu, nulla cauſa ſecunda quantumuis ponatur perfecta, eſt ſecundum ſe, & ſecluſa præmotione diuina, expedita ad operandum.* XXIV. Damnatur à Didaco Aluarez. *Diſp.* 117. *de Auxil. n.* 11.

Idem lib. 1. Reſp. cap. 1. num. 13. *Quia ergo cum auxilio efficaci, præmouente ad aliquam actionem, ſaluatur in libero arbitrio* EXPEDITA FACVLTAS, *qua poſſit diſſentire ſi velit: ideo poteſt illi imputari & imputatur ad culpam, ſi non abſtineat ab actu prohibito, vel ſi non operetur actum bonum & pium, qui eſt in præcepto, quem tamen per auxilium ſufficiens poteſt facere ſi velit, & ſuâ culpâ noluit facere.*

Idem diſp. 23. de auxiliis num. 28. *Ad id autem quod dici-*

tur, quia poſt receptam motionem efficacem, voluntas neceſſariò prodit in opus, ita vt non poſſit non operari; reſpondetur quòd ſimpliciter loquendo non exit voluntas in opus NECESSARIÒ, *ſed liberè, etiam poſt acceptam motionem: & ſimpliciter poteſt non operari toto tempore, quo habet illam motionem .... Nam motio prædeterminans non aufert à voluntate* PROXIMAM POTENTIAM *ad actum oppoſitum.* Et diſp. 95. num. 13. cùm objectum eſſet ex gratia prædeterminante ſequi, potentiam diſſentiendi eſſe tantùm remotam: *Similiter etiam dicimus*, inquit, *quòd potentia liberi arbitrii ad diſſentiendum,* EST POTENTIA PROXIMA, *quia ex parte potentiæ nihil ſuperadditum requiritur, vt verè poſſit diſſentire, ſi velit.*

Adde quod dicit diſp. 92. n. 8. Concilium Senonenſe, & Tridentinum definiuiſſe contra hæreſim Lutheranorum. *Quod* IN INSTANTI *in quo liberum Arbitrium mouetur à Deo efficaciter, manet in eo libera & expedita facultas: qua poteſt non operari ſi velit.*

XXIV. Senſus compoſitus & diuiſus Ianſenii diuerſus à Thomiſtico. *Lib. Reſp. cap. 1. n. 34.*

Et ne quis putaret, id quod dici ſolet, voluntatem præmotam vel prædeterminatam phyſicè poſſe diſſentire ſi velit, vel nôn operari in ſenſu diuiſo, ita eſſe intelligendum, *remotè*, vt priùs debeat fieri aliqua mutatio in prærequiſitis, vt Ianſenius & Ianſeniani dicunt, *Senſus compoſitus*, inquit, *non eſt ille, qui in argumento inſinuatur, quòd videlicet quando gratia efficax eſt in voluntate, non poſſit voluntas non agere actum illum ad quem determinatur, ablata verò motione, poſſit non agere. Hic enim ſenſus confictus fuit à Caluino.* Et iterum cap. 4. num. 9. Dicit, *Caluinum in eo deceptum, quia putauit illam propoſitionem, Liberum Arbitrium motum à Deo gratia efficaci non poteſt diſſentire in ſenſu compoſito, nihil aliud ſignificare, niſi quòd poſtquam jam gratia efficax in voluntate poſita eſt, non poſſit Liberum Arbitrium diſſentire ac refragari, ablata verò motione, poſſit; ſi enim hoc ſemel concederetur,* ABSQVE DVBIO EVERTERETVR LIBERTAS ARBITRII, *nec poſſet per diſtinctionem illam ſenſus compoſiti & diuiſi concordari cum decreto abſoluto voluntatis diuinæ, prædeterminantis omnes actus bonos futuros, nec cum efficacia auxilii præoperantis gratiæ*, &c. Adde quod antea relatum eſt, peccatum infidelitatis imputari non poſſe, niſi adſit auxilium ſufficiens ad *immediatè* credendum. Et deniqûe quod ſignificat diſp. 95. num. 4. amorem beatificum non eſſe actum liberum

libertate arbitrii, defectu proximæ hujus indifferentiæ.

Colligamus jam iſta. Non eſt neceſſe, inquit Doctor *de bono loco*, ad hoc vt libera facultas poſſit mereri aut demereri, vt ſit proximè potens ad agendum & non agendum: & ideo neceſſitas agendi, quæ tollit hanc proximam potentiam, non tollit libertatem merendo & demerendo neceſſariam; & hic eſt ſenſus Catholicus, Auguſtinianus, Ianſenianus, Thomiſticus tertiæ propoſitionis, neceſſariò connexus cum doctrina de Gratia per ſeipſam efficaci, propugnata in diſputationibus de Auxiliis. Didacus Aluarez illius gratiæ propugnator, & doctrinæ Thomiſticæ interpres, centies repetit potentiam agendi & non agendi, quâ libertas arbitrii, quæ requiritur ad merendum & demerendum conſtituitur, eſſe debere proximam, immediatam, expeditam: & ita proximam, ita immediatam, ita expeditam, vt non ſit neceſſarium vel addi aliquid, vel demi ad conſtituendam hujuſmodi potentiam, & talem requiri, vt actio imputetur operanti: & gratiam efficacem in tantum ſtare cum hac libertate, in quantum ſtat cum expedita illa & proxima, & vera potentia diſſentiendi: & eſſe ſenſum Caluini, ſic accipere ſenſum compoſitum & diuiſum, vt intelligatur quando eſt motio efficax, voluntatem non poſſe refragari, quod eſt non poſſe proximè, ſed remotè; ablata verò motione, jam proximè poſſe, quod eſt poſſe diſſentire, ſi mutetur diſpoſitio, & tollatur aliquid ex prærequiſitis ad agendum & non aliter, vt Ianſenius docet: & contrarium eſſe definitum à Concilio Senonenſi, & Tridentino contra Lutherum, & eo modo non poſſe ſaluari arbitrii libertatem, futurámque inutilem diſtinctionem ſenſus compoſiti & diuiſi. His inter ſe collatis, quis non videt Doctori de *bono loco*, vel nomen eſſe mutandum vel ſententiam? Si enim perſtat, Aluaris judicio pellendus eſt è finibus Catholicorum in regnum Caluini & Lutheri, ac proinde in *locum* minimè *bonum*. Videamus ſi defendi poſſit à Gonçale.

Quæramus à Gonçale, quare illi qui Deo ad pœnitentiam vocanti non reſpondet, imputatur quòd non pœniteat? *Quia* inquit, *habet in ſua poteſtate expedita actum pœnitendi.* Quærimus, quare illi qui actu mouetur ad bonum, imputatur quòd XXV. Tertia Propoſitio Ianſeniana damnatur

etiam à Gonçale tamquam hæretica.

non conſentiat? *Quia*, inquit, *habet totam virtutem, quæ requiritur & ſufficit, vt in actu primo ſit vltimatè completa, & proximè expedita ad conſentiendum: & ideo ſua malitia non conſentit, non autem ex defectu principii vltimatè requiſiti.*

Quòd ſi vlteriùs quæras, an ſicut ille qui non habet gratiam efficacem ad bonum, habet nihilominus per gratiam ſufficientem potentiam expeditam & proximam ad volendum bonum; ita qui habet gratiam efficacem cenſendus pariter ſit habere potentiam proximam & expeditam ad non volendum; *Conſtantiſſimè*, inquit, *aſſerimus contra hæreticos Caluiniſtas, quòd voluntas noſtra poteſt non ſequi, ſi velit, motionem efficacem Dei. Efficacia enim diuinæ motionis non conſiſtit in hoc, quòd tollat à voluntate noſtra* LIBERAM ET EXPEDITAM FACVLTATEM EAM ABIICIENDI *ſi velit, ſed in eo quòd de facto eam non abjiciat, cùm poſſit. Vult enim Deus decreto ſuo abſoluto vtrumque, videlicet quòd liberum arbitrium noſtrum ſequatur motionem ejus efficacem: & quòd habeat* LIBERAM ET EXPEDITAM *facultatem ad non ſequendum, ſi velit.* Et diſp. 73. ſect. 2. num. 41. *Gratiam efficacem non prædeterminare omnino ad vnum, nec tollere à voluntate noſtra poſſibilitatem* PROXIMAM ET EXPEDITAM AD OPPOSITVM, *& hinc facilem viam aperiri ad reducendos hæreticos Lutheranos & Caluiniſtas, qui vſum noſtræ libertatis dicunt deſtrui ex efficacia diuinæ gratiæ.* Et antè diſp. 57. ſect. 3. num. 34. NON IMPLICARE ABSOLVTE PONI DISSENSVM SIMVL CVM GRATIA EFFICACI, *quòd liberum arbitrium ſic excitatum ſit proximè & expeditè indifferens.* Denique, cùm numerare cœpiſſem quoties hic Auctor proximam illam & expeditam ad vtrumlibet potentiam ad libertatem arbitrii requireret, cùm quinquies ſupra viceſies occurriſſet, deſii numerare.

Diſp. 57. in 1. p. nu. 48.

Quòd autem dicit id eſſe *conſtantiſſimè aſſerendum contra hæreticos Caluiniſtas: & inde aperiri viam ad eos reducendos*, annon ſatis oſtendit videri ſibi hæreticos eſſe Caluiniſtas, qui libero arbitrio negant proximam hanc & expeditam ad vtrumlibet indifferentiam; & in eo ipſo, quotquot eam negant, eſſe pariter hæreticos, & Catholicis oppoſitos, NISI REDVCANTVR? Cùm igitur Locobonus & neget ipſe & rectè negatam à Ianſenio contendat; quomodo probabit huic gratiæ

per

per ſeipſam efficacis Defenſori, non aſſeri ab ipſis tertiam propoſitionem in ſenſu hæreticorum; & verum illius ſenſum pertinere ad doctrinam de gratia per ſeipſam efficaci? & quid illo fiet, ſi ſe ipſe *reduci* non patiatur?

Atque hinc patet commentitiam eſſe quam adhibet diſtinctionem indifferentiæ, vt loquitur, *Moliniana*, & indifferentiæ Thomiſticæ. Quia Moliniana, quam vocat, ipſiſſima eſt Thomiſtica; neque vnquam probare poterit vllam prorſus fuiſſe contentionem Molinam inter & ejus aduerſarios circa conceptum indifferentiæ, vtrum ſcilicet intelligenda eſſent immediata, proxima, & expedita ad vtrumlibet. Dico nullam vnquam nobis fuiſſe ſuper ea re contentionem cum Thomiſtis. Sed eo tanquam immobili principio communi conſenſu conſtituto, diſputatum fuiſſe tantùm, quomodo ſtare ſimul poſſet gratia phyſicè prædeterminans, affirmantibus illis, nobis negantibus. Et ideo Ianſeniani, qui fundamentum illud tanto impetu jam quatiunt, dum à Ieſuitis ad Thomiſtas fugiunt, ab vtriſque neceſſariò damnandi ſunt.

Quarta propoſitio eſt hujuſmodi, *Semipelagiani admittebant prævenientis gratiæ interioris neceſſitatem ad ſingulos actus, etiam ad initium fidei. Et in hoc erant hæretici, quòd vellent eam gratiam talem eſſe, cui poſſet humana voluntas reſiſtere, vel obtemperare.* Cujus ſecunda tantùm pars cenſuræ ſubjicitur, quamuis primam quoque falſam eſſe alibi demonſtratum ſit. Ergò poſtquam ſe Locobonus multùm torſit, multáque perdidit verba vt oſtenderet ſenſus ſecundæ propoſitionis æquiuocos, dum eò ventum eſt, vt dicat in quo ſenſu veram putet, elabitur & fugit, aſſignatâ eâ ſignificatione, quæ propoſitioni non conuenit. Dicit enim veram eſſe, quatenus per eam intelligitur Semipelagianos ideo fuiſſe hæreticos, *quia negabant gratiam per ſeipſam efficacem.* Atqui propoſitio non habet illum ſenſum: neque dicit aut negaſſe illos, aut affirmaſſe neceſſitatem gratiæ per ſeipſam efficacis. Et quamuis darem hoc ſignificari per eam propoſitionem, ea tamen adhuc damnaretur à Thomiſtis, intelligendo nomine gratiæ per ſeipſam efficacis gratiam phyſicè prædeterminantem. Quamuis enim illi plerique omnes hujuſmodi gratiam admittant, nemo tamen eſt qui dicere audeat, id eſſe de fide: & contrarium

XXVII. Locobonus alienam interpretationem adhibet quartæ propoſitioni.

eſſe errorem Semipelagianorum.

Ergo verus & proprius ſenſus illius propoſitionis, & qui cenſuræ ſubjicitur eſt, *Semipelagianos ideo fuiſſe hæreticos, quòd dicerent interiori gratiæ hominem vel reſiſtere, vel obtemperare poſſe pro ſuo arbitrio.* Et hoc ſenſu dico propoſitionem illam à Thomiſtis eſſe damnatam: ſiue intelligatur de gratia ſufficienti, ſiue de efficaci. Non enim poteſt non intelligi de alterutra. Fac enim primò intelligendam eſſe de ſufficienti, vt ſit ſenſus, Semipelagianos ideò fuiſſe hæreticos, quòd dicerent talem nobis dari gratiam ſufficientem, cui vel reſiſtere vel obtemperare poſſimus; vt conſtet id eſſe damnatum à Thomiſtis, recognoſce quæ ſunt allata ſuperiùs ex Didaco Aluarez, nempe gratiam illam ſufficientem, *de qua nullus Catholicus dubitat*, deſignatam eſſe à S. Stephano, cùm dicit, *vos ſemper Spiritui ſancto reſtitiſtis*, &c, *non fuiſſe reprehendendos Iudæos, ſi per illam inſpirationem non potuiſſent conuerti.* Nam quòd illi potuerint non conuerti, probauit effectus; cùm ergo quód potuerint conuerti, probet reprehenſio, vt dicit Didacus; ſequitur per illam gratiam potuiſſe conuerti & potuiſſe non conuerti. Idem dicit ad locum Iſaiæ cap. 5. Ex quo infert Iudæos efficaci gratia carentes, habuiſſe *verè ſufficientem, per quam conuerti potuerunt & fructus dignos pœnitentiæ facere:* alioqui non potuiſſent objurgari. Vide cætera quæ ad primam propoſitionem allata ſunt, tum ex Didaco, tum ex Gonçale, vbi etiam euidenter monſtratum eſt, id quod dicunt, gratiam illam ſufficientem conſtituere potentiam & facultatem bene agendi, eſſe intelligendum de proxima & expedita. Vide & quæ ſunt allata contra ſecundam propoſitionem. Et poteſt adjungi locus ex Didaco manifeſtus 2. Reſp. cap. 4. num. 12. vbi allatis Auguſtini verbis illis: *Dederat & adjutorium* Deus Adamo, *ſine quo non poſſet permanere, ſi vellet; vt autem vellet, libero ejus reliquit arbitrio.* Pergit, *Iſto etiam modo relinquit Deus libero arbitrio vt conſentiat, ſi velit, aut etiam diſſentiat, ſi velit, quotieſcumque ſolum præuenit illud ſola gratia ſufficienti, & in hoc ſenſu loquitur Auguſtinus libro de Correptione & Gratia, cap. 11. in fine, cùm de reprobis ait; dimiſſi ſunt libero arbitrio, non accepto perſeuerantiæ dono.* Vbi vides reprobos, aliósque diuinæ gratiæ non cooperantes, Adamo comparari, quoad ſufficientiam gratiæ quæ

caret effectu, & quoad expeditam conſentiendi, vel diſſentiendi facultatem. Videat jam Lector Locoboni vel prudentiam, vel fidem, vel pudorem, dum non veretur hæc ſcribere in 2. par. *Hac inſpiratio numquid eſt gratia interior ſufficiens vt fatentur Moliniſtæ? & hac proxima potentia conſentiendi vel diſſentiendi numquid eſt ſenſus Semipelagianus?* Et numquid jam ex recenſitis ſatis conſtat, nugatorias eſſe hujuſmodi interrogationes; & Thomiſtas quoque traduci à Doctore *de bono loco*, ac ſub nomine Moliniſtarum, vocari hæreticos? Pag. 55.

Quòd ſi malit per gratiam illam interiorem intelligi quæ per ſeipſam efficax eſt, ita vt fuerint hæretici Semipelagiani, quòd dicerent hominem illi poſſe reſiſtere vel obtemperare. Similiter damnatur à Thomiſtis, vt patet ex iis quæ allata ſunt « proximè ad tertiam propoſitionem ex Didaco, *Cum auxi-* « *lio efficaci, præmouente ad aliquam actionem ſaluari in libero arbitrio* « EXPEDITAM FACVLTATEM, *qua poſſit diſſentire ſi velit, manere* « VERAM ET EXPEDITAM *facultatem ad diſſentiendum, poſt rece-* « *ptam illam gratiam*: *Poſſe hominem non operari* TOTO TEMPORE « *quo illa eſt*: *Non auferri potentiam* PROXIMAM *ad actum oppoſitum*: « *& vt ſit proxima illa potentia non requiri, vt quidquam ſuperaddatur*: « *Et* CVM CALVINO PHILOSOPHARI, *qui* NEGANT PROXI- « MAM ILLAM ET EXPEDITAM POTENTIAM STARE SIMVL CVM « HVIVSMODI GRATIA. Quod etiam ſentit, ac ſæpiùs inculcat Gonçales. Atque hæc dixere Thomiſtæ, quia dicenda putauere, vt ſtaret ineluctabilis Tridentini Concilii deciſio, quâ dicit hominem Deo mouenti poſſe diſſentire, ſi velit: quòd dum Ianſeniani dicunt pertinere ad errorem Semipelagianorum, Concilium Tridentinum hæreticum faciunt. XXVIII.

Atque hîc monendus eſt iterum Lector, vt judicet quàm vera narret Locobonus, & quam fidem mereantur quas habet relationes eorum, quæ geſta ſunt in Congregationibus de Auxiliis, cùm dicit, « *Patrem Lemos agnouiſſe admiſſam à Semipelagianis gratiam illam ſufficientem, quandoquidem cùm Baſtida* « *dixiſſet hominem incitatum & inuitatum per gratiam poſſe per ſe illi* « *conſentire, vel diſſentire, Lemos repoſuit, hoc eſſe compendium quod-* « *dam & veluti ſummam erroris Pelagianorum & Semipelagianorum.* « Mendaces aliquot narrationes Locoboni. Par. 2. p. 55.

Quid? damnauit Lemos Collegas ſuos, & commilitones, qui præſentes aderant, Didacum Aluarez & Ioannem Gonçales,

quorum jam allata ſunt verba, cum iis quæ Lemos damnabat ipſiſſima? Patet etiam quàm ſit illuſtre mendacium, quod ſcribit ad marginem pag. 52. Secundam partem hujus quartæ propoſitionis, qua dicuntur Semipelagiani ideo fuiſſe hæretici, quòd putarent talem eſſe interiorem gratiam, vt ei voluntas poſſet conſentire aut refragari, *fuiſſe affirmatam à Dominicanis & à Congregatione de Auxiliis*; quaſi verò ipſi ſe Dominicani reos eſſe pronuntiauerint Semipelagianiſmi, dum tam disertè docent, quod damnaſſe dicuntur.

XXIX. Quinta propoſitio. ob iniquam cenſuram damnandi.

Quinta propoſitio, *Semipelagianum* eſſe pronuntiat, ſi quis dicat *Chriſtum pro omnibus omnino hominibus mortuum eſſe aut ſanguinem fudiſſe*. Circa quam vbi multùm auram verberauit Locobonus, concludit conglobatis interrogationibus, quibus petit quid velint illi, qui propoſitionem hanc damnari petunt. Breuiter reſpondeo primò, velle damnabilem eſſe, quatenus ipſa iniuſtè damnat & iniquæ cenſuræ notam infligit illi doctrinæ, quæ etiam à Thomiſtis gratiæ per ſeipſam efficacis defenſoribus approbata eſt, & communiter aſſeritur à Catholicis Doctoribus, Chriſtum ſcilicet morte ſua meruiſſe omnibus, & ſingulis omnia auxilia, quæ ſunt neceſſaria vt poſſint ſaluari. Hanc ſententiam vocari Semipelagianam, ſicut vocant Ianſeniani, dico eſſe cenſura dignum. Eam tamen Doctor de Bono loco vocat *periculoſam, & diuinæ prouidentiæ injurioſam, contrariam Concilio Tridentino; damnatam à Louanienſibus & Duacenſibus ante annos ſexaginta: & quæ de medio tollit neceſſitatem gratiæ per ſeipſam efficacis*. Interea Didacum audiat, gratiæ per ſeipſam efficacis propugnatorem.

2. Part. p. 68

XXX. Eadem rejicitur à Didaco Aluarez.

Num. 6.

Hic enim diſp. 112. de Auxiliis, poſtquam dixit S. Thomam aſſerentem imputari peccatum etiam illi, qui caruit auxilio ad illud vitandum, eſſe interpretandum de auxilio efficaci, propterea quòd S. Thomas *apertè doceat* Deum quantum in ſe eſt paratum eſſe omnibus gratiam dare: & id explicet exemplo ſolis, qui ex parte ſua omnes illuminat, ſubdit: *Major eſt difficultas de auxilio ſufficienti, quod datur immediatè ad actus ſupernaturales fidei, ſpei, & caritatis. Quidam enim Thomiſtæ reſpondent hujuſmodi auxilia dari hominibus pro eo tempore, quo peccarent, ſi non implerent hæc præcepta: & ita dari vt omnes in ſeipſis recipiant hujuſmodi auxilia intrinſeca & ſufficientia. Quæ*

doctrina QVAMVIS VERA SIT, *non tamen videtur explicare* «
exactè ſtatum quæſtionis. «

Igitur ex Didaco, doctrina S. Thomæ eſt, Deum non priuare auxilio ſufficienti, neceſſario ad ſalutem, & eſſe inſtar ſolis, qui quantum eſt ex ſe, omnes illuminat. Et vera item eſt *quorumdam Thomiſtarum ſententia*, qui putant ita dari auxilia ſufficientia, intrinſeca ad actus ſupernaturales fidei, ſpei, & caritatis, *vt omnes in ſeipſis ea recipiant.* Quòd autem inſuper deſiderat Num. 7
ad explicandum ſtatum quæſtionis, ipſe ſtatim addit. Concluſionem enim ponit, quâ dicit, ſi dare, ſit correlatiuum ad recipere, non dari omnibus auxilia ſufficientia ad producendos *immediatè* actus illos ſupernaturales, ſed hoc iterum ita interpretatur: *Dixi in concluſione ad immediatè credendum. Nam ad* «
credendum mediatè vel immediatè, omnes recipiunt pro loco & tempo- «
re auxilium ſufficiens, ſi perueniant ad vſum rationis. Nam vt ſu- «
prà dicebam, ſi puer infidelis perueniens ad vſum rationis faceret quod «
in ſe eſt, ex auxilio ſpeciali ſe ad Deum conuertendo, vt ad bonum «
rationis proportionatum, Deus illuminaret illum de myſteriis fidei, vt «
juſtificaretur per gratiam. Veram illam Thomiſtarum doctrinam «
ſic intelligendam Didacus cenſet, vt credatur Deus dare omnibus ad vſum rationis prouectis auxilium ſufficiens intrinſecum, quo poſſint ad Deum conuerti, vt Authorem naturæ & bonum creaturæ rationalis: vrgere enim tunc hujuſmodi conuerſionis præceptum: nondum tamen habere illos auxilium ſufficiens ad fidem myſteriorum, Chriſtianæ religionis, quia etiam nondum vrget obligatio credendi, ſed habituros infallibiliter, ſi gratiæ ad illam conuerſionem datæ cooperentur: & ſequutam inde, ſuppoſitâ eâdem cooperatione, juſtificationem; atque ita omnes adultos ſufficienter & immediatè juuari, vt ſe ad Deum conuertant, & mediante illa conuerſione vt credant, ſperent, ament, itáque iuſtificentur.

Superſunt pueri, vel amentes perpetui, qui non ſunt capaces internorum auxiliorum, & juuari tantùm poſſunt per effectum externorum mediorum: ad eos autem pertinet con- Num. 5.
cluſio prima, quam ſic concipit: *ſi loquamur de auxiliis extrinſecis, Deus omnibus tribuit auxilia ſufficientia ad ſalutem, omnibus ea proponit & offert quantum ex parte ſua, quamuis de facto nonnulli ea non recipiant.*

Non examino nunc quàm ſint vera omnia, quæ doctrina hæc vel aſſumit vel ſupponit, & quàm ſint cum cæteris ejus principiis cohærentia, hoc illi dixerint, quorum intereſt. Oſtendo tantùm, id quod Locobonus Semipelagianum putat, & doctrinæ de gratia per ſeipſam efficaci contrarium, videri catholicum celeberrimo ejuſdem gratiæ defenſori & cum principiis S. Thomæ & Thomiſtarum connexum.

Addi poteſt quod dicit diſp. 71. num. 7. vbi præter vocationem ſecundùm propoſitum putat ab Auguſtino agnitam eſſe aliam, quæ non eſt ſecundùm propoſitum, & procedit, inquit, *ex voluntate Dei antecedente, qua vult omnes homines ſalnos fieri & ad agnitionem veritatis venire.* Et allatis D. Thomæ verbis, ſuper 26. Matth. *Ex his*, inquit, *deſumitur argumentum; Paſſio Chriſti ſatisfecit pro omnibus hominibus, quantùm ad ſufficientiam, & pro aliquibus quantùm ad efficaciam. Ergo ſimiliter gratia, quam nobis per paſſionem meruit, diſtingui poteſt & debet in gratiam ſufficientem, per quam poteſt homo piè operari & ſaluari, & in gratiam efficacem.*

Diſp. 75. in 1. p. ſect. 3. n. 14.

XXXI. Iungatur Didaco Gonçales, cujus hæc eſt ſententia, *Electio efficax aliquorum antecedens præuiſionem meritorum, non eſt contraria vllo modo ſinceræ voluntati Dei generali, quâ vult omnes homines ſaluos fieri. Quia ad ſinceritatem hujus voluntatis ſufficit communis prouidentia ſupernaturalis,* QVA OMNIBVS VVLT AVXILIA SVFFICIENTIA, *vt æternam poſſint, ſi velint, conſequi ſalutem.* Iterum, *Si auxilia ſufficientia ad ſalutem conſiderentur in generali,* OMNIBVS CONFERVNTVR *à Deo hujuſmodi auxilia, quia pro omnibus mortuus eſt Chriſtus, & pro omnibus inſtituit Sacramentum regenerationis, & ſuis Apoſtolis juſſit vt prædicarent Euangelium omni creaturæ: & ita* QVAMDIV QVIS MANET IN HAC VITA, EXCLVSVS NON EST A REGNO SALVTIS; SIVE ADVLTVS SIT, SIVE PARVVLVS, CVI PER ALIOS SVBVENIRI POTEST.

Idem à Gonçale Diſp. 77 ſect 3. num. 24

XXXII. Secundò reſpondeo; Accuſatores quintæ propoſitionis petere vt damnetur, præciſâ etiam illâ injuſtæ cenſuræ notâ quam inurit, propterea quòd intentionem Chriſti morientis pro æterna hominum ſalute reſtringit, ex mente Ianſenii, ad ſolos prædeſtinatos; certum enim eſſe atque ab Eccleſia definitum, reprobis ſaltem multis data eſſe media omnino ſufficientia, quibus poſſent ſaluari, vt infrà monſtrabitur. Sed quia hoc nunc agitur, vt Locobonus intelligat etiam con-

Quid præterea damnandum in 5. propoſitione, Auctore Didaco Aluarez.

ceſsâ gratiâ per ſeipſam efficaci, negandam videri reſtrictionem illam voluntatis Chriſti, ipſis etiam Thomiſtis, de quorum ſuffragio gloriatur, ſomniátque ſuam cauſam eſſe ab illis peroratam in Congregationibus de Auxiliis, Didacum audiat, dum relato Concilii Arauſicani can. 25. ſic loquitur: *Quibus apertè docet, omnes exiſtentes in gratia* PER DEI AVXILIVM POSSE PERSEVERARE SI VELINT, *& ea quæ ad ſalutem pertinent adimplere. Et 3. Reſp. cap. 5. num. 10. Similiter etiam* POSSVNT PER AVXILIVM SVFFICIENS SALVARI DVM SVNT IN VIA ETIAM ILLI: QVI DE FACTO NON SALVABVNTVR; *& ad impugnationem dicendum, quia licèt Deus ſolùm prædeſtinatis præparauerit, donum perſeuerantiæ quo infallibiliter ſaluentur,* OMNIBVS TAMEN, QVANTVM EST EX PARTE SVA OFFERT AVXILIVM SVFFICIENS QVO SALVARI POSSINT ET REIPSA SALVENTVR SI VELINT, *ſed non in omnibus operatur vt velint.* Et mox, *Ex hoc non infertur quòd non poſſit ſaluari ille qui non habet donum perſeuerantiæ, ſed ſolùm quod reipſa non ſaluabitur.* Et deinde, *Ad quartum inconueniens reſpondeo, Deum non deſerere hominem juſtum in tentatione & pugna. Nam reuera confert illi auxilium neceſſarium, quo peccatum vitare poſsit, ſi velit, licèt non conferat illi auxilium efficax, quo peccatum vitet.* Et iterum, *Et nihilominus in eodem libro ſæpiſsime affirmat* Auguſtinus, *eos qui non perſeuerant in accepta gratia, meritò corripiendos eſſe, quia per* ACCEPTAM GRATIAM POTERANT PERSEVERARE SI VELLENT, *& ſuâ malitiâ perſeuerare noluerunt.* Idem inculcat paſſim in aliis locis, vnde conſtat ex mente ipſius, omnes illos, qui aliquando fuerunt in ſtatu gratiæ, ex Dei voluntate & Chriſti meritis habere quod ſufficit, vt ſalui eſſe poſſint. Adde quod dicit diſp. 34. de Auxiliis. *Probatur ſecundò, Deus amore actuali amicitiæ amat reprobum, dum exiſtit in gratia; ergo volitione formali vult illi beatitudinem.* Idémque dicendum de cæteris omnibus, quibus imputandum cenſet quòd non conuertantur, quòd non doleant de peccatis, quòd fidem propoſitam repudient. Quia cùm hoc illis imputandum non ſit, niſi quia receperunt auxilia ſufficientia, quibus facere poſſent id quod culpabiliter omittunt, conſequenter ſupponit, habuiſſe auxilia neceſſaria, quæ haberi non poſſunt niſi ex meritis Chriſti: habere autem auxilia neceſſaria ad credendum, pœnitendum, aman-

Diſp. 71. de Auxil. n. 6.

Num. 11

Num. 29

Num. 5.

dum, quia his poſitis ſequuntur etiam neceſſaria ad perſeuerandum, idem eſt atque habere neceſſaria ad æternam ſalutem.

Hoc ipſum clariſſimè confirmatur ex doctrina Gonçales,
XXXIII. *Didaco Gonçales adhæret* vt conſtat ex locis antea citatis. Et ex eo quod addit diſp. » 77. ſect. 3. *Illos qui in ſcriptura peculiariter dicuntur deſerti à* » *Deo, non ideo tales dici* QVIA AVXILIIS SVFFICIEN- » TIBVS PRIVENTVR *pro loco & tempore, quo inſtat occaſio* » *implendi preceptum, ſed quia etiamſi auxilia ſufficientia habeant,* » *non tamen efficacia.* Et deinde, *Sic deſertis per quandam exagge-* » *rationem dicitur impoſsibilis ſalus, aut quia valde difficilis, aut* » *impoſsibilis ſolum impoſsibilitate ſequenti permiſſionem & præ-* » *ſcientiam Dei, quæ nullo modo deſtruit aut minuit intrinſecam fa-* » *cultatem ad oppoſitum.* Si peculiariter deſertis non eſt impoſſibilis ſalus, ſed tantùm difficilis; ſi non deſunt illis auxilia neceſſaria; multò minùs deerunt non ita peculiariter deſertis, multóque minùs erit illis ſalus impoſſibilis; quorum tamen plerique damnantur. Poſſibilem autem illis fecit intentio Chriſti & applicatio meritorum ejus ad impetranda hujuſmodi auxilia. Ergo ex Thomiſtis gratiæ per ſeipſam efficacis defenſoribus, non poteſt meritum Chriſti & intentio moriendi pro æterna hominum ſalute reſtringi ad ſolos prædeſtinatos.

Denique cùm, fatentibus quoque Ianſenianis, doctrina de gratia ſufficienti hominum arbitrio relicta, vt ea vtantur, vel non vtantur in obſeruatione mandatorum & vſu mediorum, quæ ad ſalutem pertinent, neceſſariò connexa ſit cum facultate conſequendi æternam ſalutem, & jam conſtet ex Thomiſtis, qui pro gratia per ſeipſam efficaci pugnauerunt, ita certam eſſe doctrinam illam de gratia ſufficienti conceſſa reprobis, ſaltem multis, vt de ea *nullus Catholicorum dubitare poſſit*, conſequens etiam eſt, vt nullus Catholicorum dubitare poſſit de facultate conſequendi ſalutem æternam reprobis conceſſa: concedi autem non potuit niſi ex intentione & meritis Chriſti.

XXXIV. *Corollaria quædam ex dictis.* Hæc curſim notare libuit circa defenſionem quinque propoſitionum à Locobono tentatam, ex quibus Lector conjicere poterit, Primò, quàm profunda doctrinæ Thomiſtarum igno-

ignorantia laboret ille Doctor, dum tam ſæpe Auctores appellat earum ſententiarum, quarum illi apertiſſimi ſunt impugnatores. Secundò, quàm fuerit inconſultus & quàm præfidens, dum illius imperitiæ conſcientiâ nihil territus, tam audacter ea expoſuit, ex quibus vel mala fides ſcriptoris, vel inſcitia poterat ſtatim conuinci. Tertiò, quàm longam luſerit operam, dum ex ea doctrina de gratia per ſeipſam efficaci, conatus eſt eruere proprium aliquem & Catholicum ſenſum quinque propoſitionum, cùm jam monſtratum ſit, ipſoſmet ejuſmodi gratiæ defenſores atque interpretes, conatos potiùs omni ratione conciliare illam & aptare ad ſenſum bono Doctori è diametro contrarium. Quartò, quàm fuerit erga Thomiſtas inofficioſus, dum nititur eos quantumuis inuitos ac reluctantes ſecum trahere præcipites in ſocietatem doctrinæ, certò damnatæ, certóque damnandæ, quoties de ea in conſultationem ibitur ad iudicium. Quintò, quàm fuerit è contrario erga Molinam, & quos vocant Moliniſtas, beneficus, dum eorum errores in eo ſtatuit, quòd Thomiſtæ judicant ad neceſſariam Eccleſiæ doctrinam pertinere. Sextò denique intelligi poteſt ex dictis, cui carro, quàm rudi, quàm luxato, quàm malè cohærenti, quàm ingratè atque inſuauiter ſtridenti triumphaturam impoſuerit *victricem gratiam*, & quàm ſperare non debeat vt ejuſmodi ſpectaculo delectentur, vel oculi intuendæ veritati aſſueti, vel aures orthodoxis vocibus perſonare ſolitæ.

Omnes autem hi errores ex hac vna origine prodiere, quod res duas, quas Thomiſtæ neceſſariò coniungendas ſemper putauere, ipſe juxta Ianſenii præſcripta diſpunxerit, alterâ admiſſâ, alterâ reiectâ. Nam Thomiſtæ ad hunc vſque diem omnes credidere doctrinam ſuam non poſſe defendi, niſi præter gratiam efficacem & quæ ſemper facit quod facere apta eſt, aliam admitterent ſupernaturalem internam, & ex Chriſti meritis ita ſufficientem ad bene agendum, vt proximam, immediatam, & expeditam potentiam conſtitueret, & hominis tantùm vitio careret effectu, quem producere apta eſſet. Atque ita ratione hujus ſecundæ gratiæ, habuerunt vnde dicerent, & poſſibilia eſſe mandata carentibus gratia efficaci; & internæ gratiæ ſæpe reſiſti; & poſitione XXXV. Diuerſa Ianſenianorum & Thomiſtarum principia.

phyſicæ prædeterminationis liberum arbitrium non ita neceſſitati ad vnam partem, vt non haberet quod ſufficit ad amplectendam aliam, hoc eſt, vt non eſſet indifferens ad vtramque: & non errare qui dicunt diuinæ per Chriſtum gratiæ internæ ac ſupernaturali voluntatem poſſe diſſentire: & habere qui non perſeuerant ex meritis Chriſti, vnde poſſint perſeuerare, & qui non conuertuntur, vnde poſſint conuerti, & juſtificari: & quod inde conſequens eſt, Chriſtum Dominum merita ſuæ paſſionis etiam ad ſalutem æternam reproborum extendiſſe. Ianſeniani ſecundam hanc gratiam horrent, ſicuti *monſtrum in Theologia*, & tamen videri volunt conſentire Thomiſtis, aut ſibi conſentientes habere Thomiſtas, qua in re Locobonus præ cæteris exponit ſe riſui Theologorum, quaſi conaretur extincto ſole, radios conſeruare, aut abſciſſum à fonte riuum ſperare perennaturum.

XXXVI. De cenſuris Academiarum Belgicarum contra doctrinam Leſſii

Reſtat vltimum caput eorum, quæ Ieſuitis objicit. Nimirum ipſorum doctrinam, qua parte rejicit gratiam per ſeipſam efficacem, fuiſſe damnatam ab Louanienſi & Duacenſi Academia, ab vniuerſo Prædicatorum Ordine, & à Congregatione de Auxiliis, à duobus Pontificibus Clemente & Paulo: hæc probari ex diario Franciſci Pennæ, Auditoris Rotæ: & extare Bullam juſſu Pauli quinti ſcriptam, qua quinquaginta propoſitiones Molinæ proſcribuntur. Hæc ille ingerit, inculcat, repetit, exaggerat tam ſæpe támque affirmatè, vt diceres Euangelium illi non fuiſſe certius. Tota hæc fabula paucis confutanda eſt.

Et quod attinet ad cenſuras Belgicas, quando teſtatiſſimum eſt, fuiſſe illas olim ſuppreſſas authoritate Sedis Apoſtolicæ, vt antea dictum eſt, ſequitur authoritatem habere nullam omnino poſſe, & qui eas producunt inſtrumentis vti apocryphis & probationibus illegitimis. Nempe quòd alia ratione malam cauſam tueri nequeant. Et quòd res ita ſit, hæc euidenter confirmant. Primò, quòd vel tunc, vel ab eo tempore plerique Doctores Louanienſes Societatis doctrinam ſunt amplexi, atque inter cætetos Malderus Antuerpienſis Epiſcopus, Wigers, Stapletonus, vt conſtat ex eorum libris, præter alios multos, qui ſcripta ſua non ediderunt, qui certè non repugnauiſſent vigenti Academiæ ſuæ

cenſuræ. Conſtat item ex concluſionibus in ſcholis publicis ejuſdem Academiæ ad argumentandum propoſitis, in quibus contraria cenſuræ doctrina ſæpius eſt propugnata, præſidibus ejus Academiæ Illuſtribus Profeſſoribus Ioanne Ianſono, Iacobo Clario, Samuele Loyaerts, Guillelmo Fabricio, Ioanne Shinkelio &c. ab anno 1598. ad annum 1637. de quo Theſes Louan. de Gratia cap. 2. art. 8. Tertiò conſtat ex eo quòd ab eo tempore Societas Louanii ac Duaci per annos ſexaginta liberrimè doctrinam, quam profitetur expoſuit, atque impunè defendit priuatim & publicè, nemine vnquam auſo veteres intentare cenſuras; quòd ſcirent earum nullum eſſe vigorem, ſtante Legati Apoſtolici interdicto. Quartò, quia in exponendis articulis in Michaële Baio damnatis, multa dixerunt illi Theologi, quæ cum hujuſmodi cenſura non ſatis cohærere videntur. Denique quia ad aduentum Noui-Auguſtini, fuere Louanii quoque inſignes Theologiæ Profeſſores, qui inhorruerunt, ſéque ab ejus doctrina profeſſi ſunt alieniſſimos, vnde ſatis intelligitur cenſuras illas vel nihili factas, vel non creditas fauere Ianſenio. Tota verò Academia Duacenſis Ianſenium eiurauit, Bullæ obedientiam promiſit, errores Ianſenii confutauit libellis quamplurimis, &, quod notandum eſt, teſtimoniis ex ſcriptis Eſtii ac Sylvii depromptis, quæ ſi poſſunt congruere cum antiquis cenſuris, fatendum eſt antiquas cenſuras Ianſenio minimè fauere. Sed eſt in primis memoria dignum, Guillelmum ab Angelis in Academia illa Regium Profeſſorem Scholaſticæ Theologiæ, & Collegii Pontificii Præſidem, luculentam approbationem ſcientiæ mediæ dediſſe anno 1646. quod fecerunt etiam ex Duacenſi eodem anno 10. Maii Valentinus Randour, Decanus, Coluernerius, Sylvius, Vancouuerden Profeſſores eximii, qui teſtati ſunt theſes ea de re tunc editas nihil continere quod eſſet erroris affine.

Damnari doctrinam Societatis circa gratiam efficacem ab vniuerſo PP. Prædicatorum Ordine, non eſt verum: improbari non negamus. Ipſorum viciſſim ab tota Societate non damnatur, ſed improbatur. Sumus ergo pares ex eo capite. XXXVII. XXXVIII.

Supereſt judicium Congregationum de Auxiliis, & duorum Pontificum, ex teſtimonio Franciſci Pennæ, item Bulla Refutantur fabuloſæ narrationes

diſputatio- num de Auxiliis. contra Molinam ſcripta. Ad quæ omnia Reſpondeo breuiter, non animo tractandi controuerſiam de Auxiliis, ſed emendandi quæ circa hiſtoriam, & quæſtiones facti, Ianſeniani jam paſſim venditant, & ad omnem occaſionem perſuadere conantur. Hoc enim neceſſarium eſt, ne fabulæ contra veritatem ex noſtro ſilentio præſcribant.

Et primò, optandum erat, vt ii qui jam ab aliquo tempore cœperunt hujuſmodi merces exponere, & ignotas priùs narrationes eruere è tenebris, imitarentur Thomiſtas, qui diſputationibus interfuerunt, & ſcripſere deinde, vt doctrinam, quam tunc defenderant, confirmarent. Didacus Aluarez nihil omiſit, quo ſuam cauſam reddere poſſet probabilem, juſto de Auxiliis edito volumine, paulò poſt diſputationes, hoc eſt anno 1610. alteróque reſponſionum, anno 22. Scripſit etiam fuſè de hoc argumento Ioannes Gonçales in 1. par. S. Thomæ anno 1621. quorum vterque diſputationibus interfuerat: ſcripſere alii quoque circa eadem tempora rerum in Congregationibus illis geſtarum probe conſcii, Nazarius, Navarrete, Cabezudo, &c. Eſt autem apud illos altiſſimum hujuſmodi victoriarum ſilentium, ſed neque mentionem vllam fecere contenrionum hujuſmodi, ſeu diſputationum, nedum cenſurarum, aut bullæ, prohibente videlicet ipſorum modeſtia, prudentia, & conſcientia veritatis. Theologi diſcalceati Collegii Salmanticenſis, quando jam ferè mortui erant omnes rerum tunc geſtarum teſtes, protulerunt primi neſcio quid de judicio triginta, vt ipſi dicunt, Cenſorum, qui omnes vno aut altero excepto, damnauerunt ſcientiam mediam. Quod teſtimonium, quia multi fidem negabant, cùm Ioannes à ſancto Thoma ſexennio pòſt fulcire conaretur, materiam ſuppeditauit vberem ad illud confutandum, vt alibi monſtratum eſt. *Vide caput primum Diſp. 4. de ſcientia media.* Alii deinde dum incautiùs procedunt, & affectui nimis indulgent, ſcripſere miracula, quorum refutationem ſuperfluam reddidit, quæ ſequuta eſt juſta cenſura. Quæſtio hiſtorica Theologica edita eſt Tholoſæ, anno 1644. ex quâ fere originem duxit illa mendaciorum acceſſio, quibus Ianſeniani ſuas modò lucubrationes illuminant. Cùm enim ſuos ipſi errores excuſare non poſſint, conſilium iniere vt alienos fingerent, & quando impediri non poteſt ne dam-

natus videatur eſſe Ianſenius, obtineant ſi poſſint, ne Molina ſit innocens. Ideo ſollicitè colligunt quidquid vſpiam hujuſmodi ſcriptiuncularum reperiri poteſt, vt ex memoria plebeïorum rumuſculorum & quarundam fabularum traditione hiſtoriam texant controuerſiæ de Auxiliis, in qua vix aliud legas, quàm quotidianos de Ieſuitis triumphos, denſas in doctrinam Societatis cenſuras, & pluentia continuò in Molinam fulmina. Diceres omnes illis ſyluas in palmeta mutatas & laureta, vnde Aduerſarii coronentur. Hinc hauſit Apologiſta Ianſenii quæ plurima garrit Apologia 2. hinc Vincentius Lenis quæ ſcripſit in ſua Theriaca, hinc ille, qui pro Archiepiſcopo Mechlinienſi pugnauit contra Sedem Apoſtolicam, hinc Mauguinus quæ præfatus eſt in vindicias Ianſeniſmi, hinc concionator ſine nomine, quæ nuper ſcripſit ad Epiſcopum etiam anonymum. Denique Doctor *de bono loco* cùm nihil haberet pretioſius ad ornandam *victricem gratiam*, ex his laciniis veſtem illi triumphalem conſuendam putauit. Quàm fuerint hæc grata Caluiniſtis, ſignificauit Samuel Mareſius in ſuis notis ad Catechiſmum Ianſenianum, vbi hæc omnia libentiſſimè amplectitur & in commodum ſuum, hoc eſt Ianſenianæ Theologiæ, lætabundus interpretatur, vt eſſe poſſint hæc omnia, vel ex ipſa conditione approbatorum meritò ſuſpecta.

Reſpondeo ſecundò debuiſſe qui hæc inculcare non ceſſant, non diſſimulare quæ ſcripta ſunt priùs ad ea diluenda. Quia enim Ioannes à ſancto Thoma ſilentium noſtrum non vt par erat interpretabatur, cogi ſe putauit Paulus Leonardus vt de ſcientia media, déque illo Cenſorum judicio ſcriberet: & tam accuratè, támque copioſè omnes iſtas, quæ ſunt facti quæſtiones tractauit, vt abundè ſuppeditauerit vnde iſthæc omnia certò confutarentur. Mihi quoque dum eidem Auctori reſponderem, neceſſe fuit aliqua dicere, diſp. 4. de ſcientia media, vbi oſtendi vel ex iis quæ narrat Ioannes à ſancto Thoma conuinci, reformandam eſſe Salmanticenſium allegationem. Quæſtionem Hiſtoricam Theologicam tot vitiis infamem probauit Solutor, vt nemo hactenus fuerit, qui videri vellet monſtrum illud peperiſſe. Acceſſit Petrus à ſancto Ioſeph ex Ordine Ciſtercienſi, qui optimis quoque vſus XXXIX. Ianſeniani reſponſa diſſimulant.

informationibus, aliam omnino faciem hujus hiſtoriæ, quàm ſoleat à Ianſeniſtis depingi, fuiſſe demonſtrauit. Et poſt eos Martinez de Ripalda in ſecundo tomo *de ente ſupernaturali* totiùs negotii ſeriem, jam inde ab origine repetitâ narratione, ſic deſcripſit; vt Ianſenianos pudere poſſit tantæ credulitatis ad fabulas, & tantæ ad propoſitas à Sede Apoſtolica veritates difficultatis.

Illi verò poſt tot reſponſiones, tot inficiationes, tot refutationes, nulla prorſus horum factâ mentione, damnatam à Sede Apoſtolica Societatis doctrinam à duobus Pontificibus, Molinam proſcriptum, Conſtitutionem cum cenſura quinquaginta Propoſitionum juſſu Pauli compoſitam prædicare pergunt tàm inuerecundè, quaſi ſperarent ſe inuictâ contumaciâ fidem tandem imperraturos. Sed quia nituntur potiſſimùm teſtimonio Franciſci Pennæ.

XL. Franciſcus Penna audita tantùm refert.

Reſpondeo tertiò, Franciſcum Pennam nec viſum vnquam nec auditum in his ſeu collationibus, ſeu diſputationibus, ſeu congreſſibus: neque vllam prorſus partem in iis habuiſſe, ac proinde inquirendum ſupereſſe vnde acceperit ea, quæ narrat, & quàm illi fuerint in hac cauſa fide digni, quibus credidit. Notum enim eſt in hoc certaminum genere nihil eſſe procliuius, quàm vt partes in ſuum vnaquæque commodum omnia interpretentur. Si credas his, vicit ille; qui, ſi credas aliis, victus eſt. Leuibus argumentis ferè omnes in contentionibus ingeniorum id ſe eſſe putant, quod eſſe cupiunt, hoc eſt ſuperiores: hæreditaria ſunt hæc hominum vitia, quæ virtus in hac vita ſic oppugnat, vt expugnare penitus numquam poſſit. Ergo vt ſciamus quantum Pennæ credendum ſit in hac cauſa, ſciendum eſt priùs quibus ille crediderit.

XLI. Quàm ſit authenticum ejus manuſcriptum.

Reſpondeo quartò, manuſcriptum illud Pennæ, ex quo deprompta ſunt teſtimonia hæc ferè omnia, non eſſe totum illius manu ſcriptum, ſed admixta eſſe nonnulla, quæ alienâ manu ſunt notata, vt teſtatus eſt Iacobus Mores, Notarius publicus anno 1637. 10. Ianu. quando illi oblatus eſt ille codex, à P. Ioanne Gonçale, Regente ſtudiorum in Monaſterio ſanctæ Mariæ ſupra Mineruam, vt fidem adderet quibuſdam extractis per *fragmenta*, *per paragraphos & per ſaltum*, vt ipſe loquitur, additque manuſcriptum illud *pro ma-*

jori parte manu propria Franciſci Pennæ ſcriptum eſſe. Sunt igitur in eo aliquæ partes, eſto minores vel pauciores, ab alio ſcriptæ. Et donec ſciamus quis eſſet ille, qui ſuam manum Pennæ commodabat, vel cui Penna ſuam, non poſſumus teſtimonium hoc admittere.

Reſpondeo quintò, Eſto forent illa omnia ſine dubio ſcripta, teſtaráque ab ipſo Penna, notiſſimum tamen fuiſſe, gerere illum apertas cum Societate ſimultates, & non vna occaſione oſtendiſſe, quàm non æquo animo ejus incrementa progreſſúſque ferret. Id enituit maximè quando actum eſt de beatificatione S. Ignatii, quo tempore vt negotium inuolueret, ſcriptum ipſe attulit vltrò ad Paulum V. Quod quia Pontifex comperit non ſatis eſſe conforme antiquioribus ejuſdem Pennæ teſtimoniis, notata hominis ſinceritate atque affectu tempori ſeruiente, nihil moratus hanc interceſſionem, beatificationem decreuit. Poſſumus Romæ hujuſce rei teſtem appellare omni exceptione majorem. Poteſt hujus etiam rei conjectura ſumi ex illa ipſa relatione, quam producit Locobonus, vbi pag. 103. Penna ſic loquitur: *Facta hac reſolutione, cùm intelligeretur quòd Sanctiſſimus Dominus volebat injungere Conſultoribus, vt ſe ad propria conferrent, & Epiſcopi ad Epiſcopatus properarent: Ego adiui ſuam Sanctitatem, & commemoraui magnum ſcandalum, quod futurum erat in Eccleſia, ſi cauſâ indeciſâ Conſultores recederent. Sanctiſſimus reſpondit nullum futurum inconueniens, cùm ipſe in reſolutione ſequuturus eſſet judicium Congregationis.* Quæro enim quid intereſſet Pennæ, vt hæc controuerſia maneret, vel non maneret indeciſa? Cur hæc cum cura ſollicitaret? Et quid huic negotio com[illegible]ne cum cauſis Rotæ? Scilicet Molinam accuſatum, poſt longam ſeptem vel octo annorum vexationem, illibatum elabi, & Societati manere ſuæ doctrinæ tradendæ poſſeſſionem integram, hoc Pennam vrebat. Quod autem præſagiebat de ſequuturo in Eccleſia Dei ſcandalo, euentus probauit quàm fuerit in eo vanus aruſpex. Poterit etiam Lector judicare an huc faciat id quod eo tempore ſcribebat Cardinalis Perronius ad Henricum IV. & habetur operum illius tom. 4. qui eſt de Legationibus, vbi in Epiſtola ſcripta 7. Febr. anni 1603. & altera 23. Ianu. 1606. ſignificat Hiſpanos in hoc negotio Societati

XLII. Exceptiones contra teſtimonia Pennæ.

palam aduerſatos. Cujus rei ſcribendæ nonnullam ei occaſionem à Penna datam, non difficilè perſuadebunt quæ jam dicta ſunt. Ergo Pennam in hac cauſa nec judicem acceptare, nec teſtem poſſumus.

XLIII. Narrationes Pennæ retorquentur in aduerſarios.

Reſpondeo ſextò, Eſto fidem mereatur diarium Pennæ, dico nihil inde probari eorum, quæ intendit Locobonus. Dico probari contrarium. Tria enim iſta probanda ſunt, 1. Damnatam eſſe à Pontificibus Clemente VIII. & Paulo V. Societatis doctrinam, quæ negat gratiam per ſeipſam efficacem, hoc eſt, phyſicè prædeterminantem. 2. Eamdem fuiſſe damnatam à Congregatione de Auxiliis. 3. Conſtitutionem ſuper ea re juſſu Pauli V. fuiſſe compoſitam. Hæc vbinam dicit Penna, & in quâ parte ſui Diarii? Volue, reuolue *Legendam* illam à capite ad calcem & à calce ad caput; vbi eſt illa damnatio Clementis? vbi Pauli? vbi Congregationis? Non quæritur quid dixerint Conſultores; quæritur quid dixerint Pontifices, quid Congregatio. Conſultores enim non ſunt Congregatio, nec in ea votum habent, niſi merè conſultiuum, deciſiuum eſt penes Pontificem & Cardinales. Ergo vbi narrat Penna Pontificem & Cardinales damnaſſe doctrinam, quæ non admittit gratiam per ſeipſam efficacem, hoc eſt, phyſicè prædeterminantem? Id enim verò ille nuſquam innuit.

XLIV. Bulla contra Molinam Pennæ incognita.

Et de Bulla, an eſt vlla mentio apud Pennam? Et ſi verum eſſet, id ille dicere omiſiſſet, qui tam ſollicitus erat ne cauſa maneret indeciſa? Qui nihil prætermiſit eorum omnium, quæ facere poterant ad aliquod præjudicium damnatæ Societatis doctrinæ? Cui omnia Patris Lemos dicta ſunt oracula, Baſtidæ omnia frigida, exſucca, implexa, & extra rem? Ille qui perpetuò loquitur victorias, vltimam omnium celauiſſet, in qua vna ſciret poſitum eſſe cæterarum omnium fructum? Ergo vbinam Penna bullæ meminit, juſſu Pauli confectæ?

Non vtimur, inquiunt, teſtimonio Pennæ ad probandam bullam. At ego, inquam, vtor illius ſilentio ad eam improbandam. Quid enim? ignorauit confectam, qui non obſtante ſecreti præcepto, tam faciles habebat eorum quæ gerebantur in Congregationibus relatores, vt ſciret vel ipſum vocis accentum, quo Pontifices vtebantur, vel certè ſcire ſe fingeret? Quòd ſi non ignorauit, potuit rem illam vnam non no-

tare

tare, cujus cauſa notabat cætera? Deinde ſi quæram, qui ſint igitur illi qui bullæ fidem faciunt, quid habent quod reſpondeant? Ianſeniani Pariſienſes quoſdam Louanienſes nominant; qui ſi viciſſim interrogentur vnde bullam habeant, nullus dubito quin ſint ipſi pariter nominaturi Pariſienſes. Ita enim ſibi mutuò teſtimonium & fidem commodant, tanquam ex inito ad fallendum ſocietatis contractu.

XLV. Conuincitur ex Penna non fuiſſe damnatam à Clemente Societatis doctrinam de gratia per ſe ipſam efficaci.

Sed redeo ad Pennam, & oſtendo non tantùm ex ejus ſilentio, ſed etiam ex ſermone falſum eſſe, quod Ianſeniani jactant, damnatam fuiſſe à Clemente Societatis doctrinam de gratia efficaci. Age enim quandonam eſt damnata? Antequam audiuiſſet inſtitutas ea de re diſputationes, an poſt? ridiculi ſint, ſi Pontificem, qui vt maturiùs quæſtionem dirimeret, cauſam hanc à priuatis Conſultorum congreſſibus tranſtulerat ad ſolemnes coram ipſo & Cardinalibus diſputationes, mutato conſilio, antequam ea de re diſputatum eſſet, ſententiam præcipitaſſe dicant. Ergo poſt diſputationes. Atqui conſtat ex Diario Pennæ, cauſam hanc non fuiſſe coram Clemente agitatam. Pertinebat enim ad 5. articulum ex quindecim, quos Clemens propoſuerat 9. Iulii ann. 1603. vt de iis ageretur: ſed naſcentibus ex ipſa conteſtatione diſputantium nouis ſemper quæſtionibus, dilata eſt illorum punctorum diſcuſſio vſque ad 20. Sept. anni 1605. quo jam Paulus V. in locum defuncti Clementis fuerat ad Pontificatum euectus. Tunc autem illo ſcripto propoſito, reſpondit Baſtida, excepto 5. articulo, ſe nihil in cæteris habere, de quo cum Thomiſtis contenderet. Quintus autem ille articulus ſic habebat, vt refertur in libro de Gratia victrice, ex Diario Pennæ. *Hæc gratia habet ſuam efficaciam ab omnipotentia Dei, & dominio, quod ſumma diuina Majeſtas habet in hominum voluntates, vt & in cætera, quæ ſub cœlo ſunt.* Hunc ſe non admittere Baſtida profeſſus eſt, quatenus ſcilicet ejus interpretatio trahebatur ad aſſertionem gratiæ phyſicè prædeterminantis. Et ideo ſequenti diſputatione habita 23. Sept. tractatum eſt, vt refert etiam Penna, *An Deus ſua efficaci gratia moueat hominis voluntatem ad actus liberos bonos, non ſolùm interiùs ſuadendo, inuitando, excitando, aut aliter moraliter attrahendo; ſed etiam verè & actiuè propriè, ſalua tamen humana libertate. Et an talis efficax gratia conuenienter ab aliquibus*

pag. 78. 79.

Ibid. 84.

Scholaſticis phyſicè prædeterminans dicatur. Vides nunc primùm in diſputationem venire gratiam per ſeipſam efficacem, hoc eſt ad ſenſum Aduerſariorum, phyſicè prædeterminantem. Quamobrem Baſtida diſputationem ſic orſus eſt, quod Penna non narrat. Sed quod monumentis domeſticis nobis conſtat. *Ventum eſt, Pater Beatiſſime, poſt quadraginta coram hac Sede Apoſtolica diſputationes ad totius controuerſiæ caput, & ad illud caput, vnde orta eſt tanta concertatio,* &c. Nimirum noſtri ab initio inſtiterant, etiam ante inchoatas diſputationes, dum cauſa tractaretur coram Cardinali Madrucio, vt quando agebatur de vtroque Ordine ad concordiam reducendo, tractaretur illud in quo potiſſimùm diſcordia ſita erat: cauſam Molinæ & cauſam Bannis, quorum erat reciprocè accuſata doctrina, cauſas eſſe priuatorum: an gratia efficax ſit phyſicè prædeterminans, vt ſit impoſſibile cum ea componi diſſenſum voluntatis, quæſtionem eſſe in qua, etiam ante ſcriptum Molinæ librum, ambæ inuicem familiæ diſſidebant, cum annexis de prædefinitione malorum actuum & & de ſcientia futurorum conditionatè; ergo ſi hæc capita componerentur, priuatorum deinde controuerſias fore ad componendum faciles. Sed quamuis ea ratio probaretur Cardinali Madrucio, euicit tamen Aduerſariorum reſiſtentia, vt ab examine Molinianæ doctrinæ, prout illa fuerat denuntiata, exordium ſumeretur. Quare adeò non eſt verum quod dicitur in Diario Pennæ: *Tunc Patres Ieſuitas, recepto hoc dubio, cæpiſſe ſuſpirare:* vt ſit potiùs veriſſimum, tunc primùm maximè reſpiraſſe; quippe cùm id tandem aliquando obtinuiſſent, quod tamdiu & tantopere petierant. Atque tum hoc, tum quod addit, fuiſſe qui dicerent Ieſuitas in proximè ſequuturo Solis defectu ſpem habuiſſe, quaſi ſimul etiam defecturus eſſet Pontifex, mihi perſuadent, & ſapientibus viris perſuaſum iri puto; non fuiſſe Pennam, qui laciniofum hoc Diarium ſcripſit; quòd ſit incredibile hominem ejus dignitatis adeò fuiſſe immemorem ſui, vt tam ineptos captaret rumuſculos, & ſtramineis hiſce notis ſua ſcripta infarciret. Ego certè minimè dubito, quin ſi ſuperſunt aliqui, quibus pro veteri amicitia illius viri exiſtimatio curæ ſit, iis ſuccenſeant, qui ſub ejus nomine id genus narrationes vulgauere, vel vt vulgarentur, conſenſere.

Sed quod caput eſt, qualecumque ſit hoc Diarium, ex eo conſtat totam de gratia phyſicè prædeterminante controuerſiam ſub Paulo agitari cœptam, reliquis ad finem vſque Congregationibus diſputandi materiam præbuiſſe: quod Pennæ Diarium confusè ſignificat, ſed ex notis quas habemus illorum temporum diſtinctè conſtat. In 40. enim diſp. prædeterminationem impugnaſſe Baſtida dicitur ex Scriptura, Conciliis, Patribus, & ex rationibus, ductis ex principiis fidei, & Doctorum ſententiis. In 41. ſingillatim tractans argumenta, quæ priùs conglobauerat, intorſit decreta Concilij Tridentini, & Senonenſis. In 42. oſtendit repugnare Auguſtino. In 43. repugnare antiquis Patribus. In 44. contulit doctrinam illam, cum doctrina Caluini, ducto per multa capita parallelo. In 45. intulit deſtrui liberum arbitrium, gratiam ſufficientem, & Deum fieri auctorem peccati. In 46. oſtendit diſſentire D. Thomam. In 47. & vltima, diſſentire quoque tum ſuperiorum ſæculorum Doctores, Scholaſticos, tum hujus etiam maximam partem. Hic fuit diſputandi finis 22. Febr. ann. 1606. Et conſentit in his Diarium Pennæ, niſi quòd non ita diſtinctè diſputationum argumenta numerat. Tunc igitur tantùm tempus erat pronuntiandi de gratia phyſicè prædeterminante, ſed Clemens ante biennium ferè mortuus erat, quando ergo damnare potuit contrariam ſententiam?

XLVI. Locobonus quæſtiones ad diſputandum propoſitas cum definitionibus confundit.

Reſpondebunt tunc damnaſſe, quando propoſuit illa 15. puncta. Illa enim aſſertiuè propoſuiſſe veluti doctrinam Auguſtini: & ideo Locobonus calamo, vt ſolet, felle tincto, *Theologos*, inquit, *minùs pertinaces, minúſque rebelles veritatis quàm Ieſuitas, fuiſſe obedituros doctrinæ S. Auguſtini, & authoritati ac judicio Sedis Apoſtolicæ, per hoc ſcriptum Clementis VIII. ſatis expreſſo.* Ego mitiùs agam cum illo, contentus ejus tarditatem notaſſe, qui 15. puncta à Pontifice ad diſputandum propoſita, pro definitionibus accipit. Quod quia inſinuatur etiam in Diario, confirmor vt credam, rapſodiam illam immeritò fuiſſe Pennæ attributam. Quis enim ſibi perſuadeat Rotæ Decanum *deciſionem* à *quæſtione* non diſtinxiſſe. Deſideratur etiam, vt mitiſſimè loquar, vtriuſque prudentia. Fit enim ab incautis grauiſſima Sedi Apoſtolicæ injuria. Quid enim? vt Clementis definitionem Paulus ſit paſſus retractari, & in diſputationem ve-

pag. 83.

nire? hoc paſſi eſſent Cardinales, ad quos hoc ſcriptum dicitur fuiſſe miſſum? hoc ipſi etiam Conſultores? Ecquid haberemus certi in definitionibus Romanorum Pontificum, ſi locus aliquis eſſet huic cogitationi? Scio hanc ſuſpicionem non diſplicere Ianſenianis, ſed contrarius ſemper Eccleſiæ ſenſus fuit. Tollit autem omnem dubitationem Clementis ſubſcriptio illis quindecim punctis ſubjecta, quam Locobonus ſuppreſſit, Apologiſta verò Ianſenii expreſſit ad calcem Apologiæ ſecundæ, quòd tunc diuinare non poſſet nocituram Locobono. Ergo Clemens poſt puncta illa ſic ſcripſit: *An iſta ſit doctrina S. Auguſtini, in materia gratiæ, Clemens Papa VIII. pro proxima congregatione.* En tibi, Lector, candorem Locoboni, en æquitatem in accuſando, dum Ieſuitas *peruicaces & veritati rebelles* denuntiat, quòd quæſtionem à Romano Pontifice propoſitam, an ſit doctrina S. Auguſtini, non acceperit pro determinatione, *quòd ſit.*

Eſt autem veriſſimum quod jam dixi, Baſtidam non repugnaſſe illi articulo 5. niſi quantum trahi poterat ad ſenſum gratiæ phyſicè prædeterminantis, iuxta ſententiam Thomiſtarum, quem ſenſum, quia nec Clemens vllo modo expreſſerat, nec Auguſtini teſtimonia, quæ afferebantur, exprimebant; ideo meritiſſimò judicatum eſt de eo diſputandum eſſe deinceps, factâ gratiæ phyſicè prædeterminantis expreſſione. In hunc ergo modum conuincitur meram eſſe fabulam quod dicunt, damnatam à Clemente doctrinam, quæ non admittit gratiam per ſeipſam efficacem, modo jam explicato.

XLVII. Fabuloſum quoque monſtratur quod dicũt de judicio Pauli V.

Non minùs clarè conuincitur, nec damnatam à Paulo. Quid enim ſignificat quod de ſe narrat ille, ſeu verus ſeu ſuppoſititius Penna? *Adiui ſuam Sanctitatem, & commemoraui magnum ſcandalum, quod futurum erat in Eccleſiâ, ſi causâ indeciſâ Conſultores recederent. Sanctiſſimus reſpondit, nullum futurum inconueniens, cùm ipſe in reſolutione ſequuturus eſſet judicium Congregationis.* Factus erat diſputandi finis, & querebatur Penna quæſtionem manere indeciſam; an ergo tunc partem alteram damnauerat Paulus? Non, inquiunt, ſed poſtea damnauit. Quando autem? & quem afferunt hujus damnationis teſtem? quam memoriam? quod relictum vſquam veſtigium? dicent fortè tunc contigiſſe, quando Cenſores, qui reſidui erant, numero

decem, cenſuram ſuam inclinante jam anno 1607. Pontifici dederunt, juxta fidem Diarii, ex quo habemus *non imperatum Conſultoribus receſſum, ſed mandatum, vt frequentibus vnà conuentibus habitis, cauſam terminarent, ſicut fecerunt toto hoc anno, & ſequente.* Hoc eſt toto ſupra milleſimum 606. & 607. quo dederunt illud judicium ſuum, ab octo ipſorum ſubſcriptum, cùm decem conueniſſent. Tunc igitur debuit à Paulo concipi damnatio illa. Sed ecce tibi, Lector, rem admodum lepidam. In illo ſcripto quod Pennæ attribuunt, ſequuntur iſta verba, quæ Ianſeniani legere noluerunt, fortè ne puritatem Gallicæ linguæ, quam affectant, Hiſpano idiomate corrumperent anno 1607. *Su Sandidad tomo temperamento en la cauſa de Auxiliis, que nadie caliſicaſſe la Sentencia contraria, haſta que ſu Sandidad publicaſſe ſu declaracion y determinacion.* Hoc ſcilicet fuit Summum Pontificem ex teſtimonio Pennæ damnaſſe doctrinam Societatis. An non meritò Ianſeniani Ieſuitas vocant *rebelles veritati*, quam ipſi tam nequiter prodere conuincuntur? pag. 103. pag. 104.

Venio ad tertium membrum, quo dicunt eamdem doctrinam eſſe damnatam à Congregatione de Auxiliis. Et hoc pari euidentia conuincitur ex Diario; ex quo habemus vltimam diſputationem habitam 22. Febr. vltimam verò Congregationem 8. Martii anni 1606. *In qua actum eſt*, inquit, *de modo decidendi cauſam, Cardinales dixerunt ſuam ſententiam, & concluſum Apoſtolico judicio determinandam.* Hoccine eſt damnaſſe partem alteram? Sed ſupplendum quod deeſt ex litteris Cardinalis Perronii, qui refert illo ipſo die, quo ſcribebat: ſcribebat autem 20. Martii anno 1606. *Conuocatos à Papa Cardinales, qui diſputationibus aderant, vt circa quadam, quæ in iis tractata fuerant, ſententiam eorum exquireret.* Et addit: *Quod attinet ad controuerſiam, factus eſt diſputandi finis, ſed nullum adhuc initium deciſioni datum eſt.* Quis ſcientior rerum in Congregationibus illis geſtarum; Penna, qui numquam interfuit, an Perronius, de quo meritò dicas illud, *& quorum pars magna fuit?* Ex illo nondum cœperat quæſtio decidi, quando deſiit haberi Congregatio ad examinandam controuerſiam de Auxiliis peculiariter inſtituta, nulla enim ampliùs habita eſt. Neceſſe igitur eſt, ſi doctrinam Societatis damnauit Congregatio de Auxiliis, vt damnauerit quando non erat.

XLVIII. Cõuincitur pariter nec à Congregationibus damnatam eſſe doctrinam Societatis. pag. 100. 101

Et hoc iterum ex Diario conuincitur, dum dicit juſſiſſe Pontificem, poſt finem Congregationum, vt Conſultores reliquo anno 1606. & ſequenti 1607. *frequentibus inter ipſos conuentibus cauſam terminarent.* Quid enim? Nonne jam terminata erat? Si toties damnata fuerat Societatis doctrina, totieſque concluſum à Congregatione contra Molinam, quid opus erat priuatis hiſce conſultationibus Cenſorum? Quare non jubebat potiùs Pontifex à Secretariis extrahi decreta, & concluſiones ſtabilitas ſecerni, atque in ordinem redigi? Ecquid aliud poteſt reſponderi, quàm nihil certò concluſum ab illis Congregationibus, & Ianſenianos ſua ſomnia venditare, dum has fabulas ſpargunt?

XLIX. Sed nequeà Conſultoribus. At, inquiunt, Conſultores ſaltem doctrinam illam damnauerint. Reſpondeo Conſultores, vt jam monui, non fuiſſe judices, & malè loquutum Locobonum, dum quod eſt in pag. 83. Diario concluſum à Conſultoribus, eam eſſe Auguſtini mentem, Gallicè vertit, *Les Iuges de la Congregation conclurent*, ſequutus exemplum Apologiſtæ Ianſenii, qui ſub finem Apologiæ ſecundæ idem peccatum peccauit. Auditis hiſce Conſultoribus, plenum & integrum erat penes Pontificem, & Cardinales jus & arbitrium probandi, vel improbandi quod illi concluſiſſent, ac proinde dici nequit Congregatio feciſſe, quod non fecit Pontifex cum Cardinalibus, ſeu quod Conſultores tantùm fecerunt.

pag. 84. Adde ſecundò, petendum ab Aduerſariis vnde habeant damnatam ab illis Conſultoribus ſententiam, quæ negat gratiam phyſicè prædeterminantem, quod vnum modò quæritur? Nam neque hoc colligi poteſt ex Diario. Dicitur quidem propoſitum fuiſſe dubium diſcutiendum 25. Sept. anno 1605. *An Deus moueat voluntatem ad actus liberos, non ſolùm interiùs ſuadendo, inuitando, excitando, aut moraliter attrahendo, ſed etiam verè, actiuè, propriè, ſalua tamen humana libertate.* Et circa hoc dubium, poſt duas diſputationes, dicuntur Conſultores *magno pondere rationum demonſtraſſe, Deum non ſolùm moraliter, ſed verè, actiuè, propriè mouere voluntatem, prout conſtituitur in dubio.* Sed in eo non erat difficultas. Neque enim negamus Deum verè, propriè, actiuè, phyſicè, mouere voluntatem ad actus bonos, præſertim eos, qui ad ſalutem ſpectant. Caput &

ſumma controuerſiæ eſt, an phyſicè determinet; hoc eſt, an ita moueat, vt impoſſibile ſit cum natura hujus motionis componi diſſenſum voluntatis. Nam hoc propriè eſt phyſicè prædeterminare; & ſi hoc non concluditur, collimatur extra ſcopum. Malè ſcilicet interpretantur doctrinam noſtram, qui putant pro eodem nos habere motionem, ſeu præmotionem, & prædeterminationem. Motionem quippe ſeu præmotionem phyſicam ad actus bonos & ſalutares non negamus, prædeterminationem ablegamus, eo ſenſu, quo jam dixi, & qui ferè ſenſus eſt Aduerſariorum. Omittunt ergo Conſultores in illo ſuo judicio, id quod vnum exprimendum fuit, hoc eſt de prima parte dubii judicant, de qua minima erat controuerſia: ſecundam omittunt, de qua propriè diſceptabatur: nec deinceps quidquam clariùs diſtinctiuſve pronuntiant, poſt ſequentes diſputationes, in quibus eadem materia verſata eſt. Ergo vbi eſt illa damnatio, quam objiciunt Ianſeniani? Quippe neceſſe erit vt eam referant ad cenſuram illam, quam biennio ferè poſt diſputationes dicuntur illi cenſores obtuliſſe Pontifici, illam igitur exhibeant, vt intelligamus an & quomodo damnauerint ſententiam, quæ negat gratiam phyſicè prædeterminantem.

L. Oſtenditur ex narrationibus pennæ Conſultores non ſatis conſtitutum habuiſſe, quid concluderent.

Interea dum hoc expectatur, hunc mihi ſcrupulum eximant. Peto enim quæ cauſa ſit, cur tanto tempore, tótque congreſſibus priuatis indiguerint Conſultores, vt in cenſuram conuenirent, jam poſt tot diſputationes & tot cenſuras diſputationibus ſubnexas. Nam ſi Diario Pennæ fides eſt, poſt ſingulas diſputationes conueniebant Conſultores, vel illo ipſo die & ſtatim dimiſſis Diſputatoribus; vel ſequentibus diebus, & quid de quæſtione diſputata credendum eſſet definiebant, vbi juxta ejuſdem Diarii fidem, quot erant definitiones, tot erant in Molinam & Moliniſtas fulminationes. Quod ſi ita eſt, fierine poteſt vt toto deinde biennio, frequentibúſque conuentibus indigerent, ad cenſuram concinnandam, quam erant oblaturi Summo Pontifici? Non erant memores articulorum, in quibus conuenerant? Non habebant acta Congregationum, vnde in vnum colligerent ſtatutas inibi concluſiones? Atqui hoc opus erat laboris ad ſummum triduani, & conſumpſere tamen bien-

nium ferè *frequentibus inter ſe conuentibus?* Quid quæſo tractabant in his conuentibus? Quid hærebant? Res numquid jam erant deciſæ? Num perſtabant in ſententia, quam dixerant coram Pontifice & Cardinalibus? Num reformandum cenſebant quod ab illis ſancitum eſſet? Creſcit dubitatio ex facilitate, quam iidem oſtenderunt ante ſeptennium, quando ſpatio trium menſium conuenerunt in cenſuram, non quinquaginta ſolùm, ſed, vt habent certiora monumenta, ſexaginta propoſitionum Molinæ, Deus immortalis! cauſâ nondum diſcuſſâ, tam faciles támque profuſi ad cenſendum fuere: & poſt quadraginta ſeptem diſputationes, totidémque diſputatarum quæſtionum deciſiones, indiguerint biennio, vt viderent quid tandem ſtatuendum eſſet?

Hinc verò manifeſtè ſequitur, aut fictitiam eſſe totam illam Diarii narrationem de multiplicatis ſine fine Conſultorum cenſuris in Molinam, vel Conſultores illos re maturiùs conſideratâ, & recurrentibus quæ vltro citróque dicta fuerant à diſputantibus, intellexiſſe dubiam eſſe, nutantémque cenſurarum ſuarum æquitatem & veritatem.

LI. *Quid opponi poſſit judicio Conſultorum. pag. 103. 104.*

Sed tamen eſto, demus quod probari non potuit, & cujus contrarium potiùs probatum eſt, doctrinam cui Societas repugnat, viſam eſſe Conſultoribus illis extra ordinem aſſumptis, neceſſariam. Habebimus aduerſos octo viros eruditos. Non enim plures fuerunt, vt Diarium refert. Quia ex decem, qui ſoliti erant conuenire, Petrus Lombardus Archiepiſcopus Armacanus ſubſcribere noluit, nec Bouius ex Ordine Carmelitarum, *qui perſeuerauit*, inquit Penna, *in ſententia Molinæ*, & nequicquam obſtante hac hæreſi, à Paulo V. deinde promotus eſt ad Epiſcopatum Molfetenſem. Iacturam igitur octo ſuffragiorum, quam non poſſumus non magni facere, poterimus etiam ſupplere ſuffragatione multò plurium ejuſdem authoritatis & dignitatis Theologorum. Fuerunt enim, vt dixi, merè conſultiua ſuffragia illa, nec vllam habuere à S. Pontifice authoritatem deciſiuam.

LII. *Controuerſiæ deciſio non fuit poſita in judicio Conſultorum.*

At, inquies, deciſio controuerſiæ pendebat ex hujuſmodi ſuffragiis, hoc verò, inquam, pernegamus. Noſtri enim ab initio intellectâ illâ tam liberali & tam promptâ 60. propoſitionum cenſurâ, inſtitere vt audirentur, & vt cauſæ defi-

niti

nitio non penderet ab eorum judicio, quod & obtinuere; vt colligi poteſt ex litteris Cardinalis Bellarmini ad P. Antonium Padillam datis 9. Martii anno 1601. quibus dicit, *Quello ch'ora ſi tratta, è la reuiſione della cenſura ch'anno fatto certi deputati*, QVALI NON SONO GIVDICI DELLA CAVSA, MA SOLO CENSORI DEL P. MOLINA: *& in queſta reuiſione due Padri della Campania ſi trouano preſenti con due Padri Domenicani, e ſi ſcriueno l'oppoſitioni e le diffeſe. Quando ſara finita la reuiſione della cenſura*, NOSTRO SIGNORE SARA GIVDICE. *E ſe bene non ſo quale ſara la ſentenza di ſua Santità; non dimeno ſo bene che ſe biſognara emendar il libro del P. Molina*, BISOGNARA EMENDAR LO EN PROPOSITIONI COMMVNI A GLI AVERSARII; *è non in materia della controuerſia ch'anno con la Compagnia*: habetur hæc Epiſtola in Archiuio noſtro.

Ob eam ſcilicet cauſam tracta jam antea fuerat quæſtio à Conſultoribus illis ad Cardinalem Madrucium, vt cum duobus Generalibus ſancti Dominici & Societatis, & aliquot vtriuſque familiæ Theologis viderent, ſi quæ poſſet iniri ratio controuerſiam dirimendi; quod cùm minimè ſucceſſiſſet, decreta eſt illa cenſuræ recognitio coram Cardinalibus Aſculano, & Bellarmino, & duobus ex vtraque familia Theologis. Neque verò nullus fuit ejus fructus; quia certum eſt, vel ipſo fatente Locobono, *viſum eſſe Conſultoribus, ex illis*, vt ipſe dixerat quinquaginta, & vt res eſt, ſexaginta *propoſitionibus, viginti tantùm quæ videbantur eſſe majoris momenti, diſcutiendas.* Atque ita Cenſores vnâ liturâ quadraginta peccata Molinæ condonarunt, quæ magna quidem indulgentia fuit, ſed erat futura juſtior, ſi plenaria fuiſſet. Pag. 61.

Verùm quia ne in reſiduarum quidem cenſuram conſentire noſtri voluere Cenſoribus, cùm dicerent ex illis viginti adhuc aliquas eſſe quæ Molinæ imponebantur, aliquas quæ in contrarium ejus menti ſenſum torquebantur, aliquas quæ illi communes erant etiam cum Thomiſtis illuſtribus, Clemens VIII. totam ad ſe controuerſiam traxit, certus nec his nec illis aſſentiri, donec per ſe ipſe cauſam vniuerſam inſpexiſſet: idcóque mandauit initium dari diſputationibus, quibus quòd iidem Conſultores cum aliis adeſſe ſunt juſſi, non

ideo fuit, quòd vellet eorum ſtare judicio: ſed vt ex eorum cenſurâ cum aliorum quoque judicio collatâ, & cum iis quæ dicebantur à diſputantibus, videret ipſe cui parti adjudicanda veritas eſſet.

Eadémque deinde fuit Pauli cogitatio, quando juſſit Cenſores priuatis conuentibus ſuam digerere & conformare ſententiam. Nam quòd non ideo decreuiſſet illam ſequi, manifeſtè colligitur ex eo quòd eodem tempore, quo Cenſoribus hoc præſcribebat, ex alia parte mandauit vt acta omnia Concilii Tridentini, eruta ex Caſtello S. Angeli traderentur Cardinali Perronio, vt videret ipſe quid inde lucis poſſet hauriri ad cauſæ deciſionem, vt cónſtat ex ejuſdem Epiſtola ad Henricum IV. data 11. Iulii anno 1606. quæ habetur tomo 4. jam citato. Variorum ſententias Pontifices exquirebant, vt omnibus deinde inter ſe compoſitis, quid demum credendum eſſet ipſi decernerent. Sed Paulus poſt longam tandem meditationem, & rationum ac ſententiarum collationem, nihil tutius vidit ad decernendum, aut expeditius, quàm quod allatum eſt antea ex ſcriptis, quæ Pennæ attribuuntur, nempe vt temperamentum illud adhiberet, ne pars altera ſententiam alterius condemnaret, permiſſâ cuique diſputandi facultate.

LIII. Suffragia Conſultorum ſuffragiis oppoſita.

Ex his igitur conſtat, octo illorum Conſultorum ſuffragia, nulla alia authoritate roborata, ſuffragia eſſe octo Theologorum, eſto eruditorum & inſignium, cui ſi poterunt opponi totidem ejuſdem magnitudinis, nihil actum erit pro ſtabilienda gratiæ, de qua eſt contentio, neceſſitate. Oppoſuere autem noſtri non ſingulos ſingulis, & viro virum, ſed primò judicium Inquiſitionis Luſitanæ, cum approbatione Cenſoris librorum ex Ordine S. Dominici, quæ facultatem dedit edendi Concordiam Molinæ priùs examinatam. 2. Ejuſdem Inquiſitionis aliud deinde judicium contradictoriè & cauſâ vtrimque conteſtatâ datum, quo liber idem eſt approbatus. 3. Conſilium Regium Caſtellæ & Aragoniæ, à quibus poſt approbationem Theologorum, quibus demandata erat ejuſdem libri examinandi cura, conceſſa eſt facultas imprimendi. 4. Academiam Complutenſem, quæ ex commiſſione Supremæ Inquiſitionis Hiſpaniæ, eamdem Concordiam

examinauit, & à cenſura immunem renuntiauit. 5. Academiam Seguntinam, quæ eâdem occaſione librum eumdem ſimiliter examinatum ſimiliter approbauit. 6. Academiam Moguntinam, cujus idem fuit judicium. 7. Herbipolenſem, quæ Moguntinæ conſenſit. 8. Denique nobiliſſimorum Ordinum Benedictinorum, Ciſtercienſium, Franciſcanorum, Carmelitarum, Auguſtinianorum, Oliuetanorum, Minimorum, doctrinam, quorum omnium concluſiones varias variiſque temporibus editas, & vt plurimùm occaſione Generalium, vel Prouincialium Comitiorum propugnatas oſtendere; cum expreſſa doctrinæ Societatis aſſertione. Hæc omnia ſuſpendere potuerunt Aduerſariorum impetum, ac perſuadere controuerſiam nondum eſſe ad dirimendum ſatis maturam. Vnde ſatis euaneſcit commentum illud cenſuræ à Congregatione de Auxiliis, contra doctrinam Societatis conceptæ.

Hinc etiam ſatis, vt opinor, jam conſtat nihilo minùs conuictum eſſe quartum Ianſenianorum mendacium, de bulla juſſu Pauli confecta, cum cenſura 50. propoſitionum Molinæ. Conuictum inquam eſt hoc mendacium. Primò ex Pennæ ſilentio, quod eſt argumentum in ſubjecta materia efficaciſſimum. Conuictum eſt ſecundò, ex eo quòd Ianſeniani quoque fatentur, vt ſuprà notatum eſt, Conſultores ex illis 50. vel 60. propoſitionibus quas priùs damnauerant, viginti tantùm extraxiſſe, atque ad cenſuram ſepoſuiſſe. Quid enim volunt? vt Pontifex plures damnauerit quàm fuerant à Conſultoribus notatæ? An vt Conſultores mobilitate animi conſilium iterum mutantes repoſuerint cenſuras, quas deleuerant? Conuictum eſt tertiò, ex eo quòd monſtratum etiam eſt eodem tempore, quo demandata dicitur conficiendæ bullæ cura, hoc eſt quando Conſultores præmiſſis frequentibus conuentibus toto anno 1606. & ſequenti, ſuam tandem cenſuram Pontifici tradidere: ſtatuiſſe ipſum inire temperamentum de prohibenda viciſſim vtrique parti cenſura. Numquid enim fulmen cudebat in vnam partem, eo tempore, quo melius atque vtilius Eccleſiæ temperamentum videbatur? Quartò non vident Ianſeniani ſe per ejuſmodi fabulas Eccleſiæ vitalia petere, atque in ipſo veluti corde authoritatem Sedis Apoſtolicæ ferire? Quid enim hoc rei eſt, Pontificem mitt-

LIV. Iterum conuincitur ex dictis Aduerſariorum fabuloſam eſſe bullam contra Molinam.

mè dubitantem quin Pelagiana eſſet doctrina, quæ opponitur gratiæ phyſicè prædeterminanti, eámque damnantem, certum eam quoque damnaſſe cui ſucceſſerat, Clementem, & probè conſcium idem fuiſſe judicium Congregationis ad hoc peculiariter inſtitutæ, prohibere tamen, ne quis vllam ei notam inureret: pati jure parique libertate eam donare cum veritate Catholica: qui eam pugnaciter defendebant toto terrarum orbe lectionibus, concionibus, diſputationibus, ſcriptionibus, cumulare beneficiis: & qui illis adhærebant ad dignitates Eccleſiaſticas & Epiſcopatus promouere: in illa diſſimulatione perſeuerare ab anno 1606. ad annum 1621. in eáque mori & ſucceſſoribus, vt idem facerent ad hunc vſque diem exemplum relinquere? O Nou-Auguſtiniani quid vobis videtur? Poteſt hic ſtupor cadere in Chriſti Vicarium? Qui hoc agit, fidem ſeruat quam Eccleſiæ obligauit aduigilandi vt diuina traditio illibata conſeruetur? Sollicitus eſt, ne ouibus ſuæ curæ commendatis venenum erroris promiſcuè cum pabulo veritatis proponatur? Succeſſori fideliter tradit receptum à majoribus fidei depoſitum? Et cauet quod olim monebat Innocentius primus, *ne permittendo lupos mercenarius magis videatur eſſe, quàm paſtor?* Non nego in rebus ambiguis & indefinitis, in Eccleſia tolerari vt quiſque ſequatur quam partem præoptarit, etiamſi aliorum judicio minùs certam, minúſve probabilem: at errorem cognitum, probatum, conuictum, damnatúmque, non tolerare modò, ſed inſuper prohibere ne quis errorem vocet; ſi quis dicat contingere poſſe infallibili fidei ac veritatis Magiſtro, fidóque cuſtodi ac depoſitario, à quo diſcere jubemur, quomodo ſit diſtinguendum pretioſum à vili; ſi quis inquam hoc aſſerat, quis non eum jocari putet, jocandóque authoritatem confirmandæ fidei neceſſariam euacuare? Quanto minùs fuit quod olim Honorio contigiſſe dicitur in cauſa Monothelitarum, cujus tamen adeò difficilis viſa eſt ſequentibus Conciliis œcumenicis, & ipſis etiam ſucceſſoribus excuſatio? Scio Ianſenianis arridere cogitationes hujuſmodi. Alludunt enim ad cogitationes Ianſenii, & ipſorum intereſt, vt Sedis Apoſtolicæ nutet authoritas: ſed intereſt etiam Catholici Lectoris animaduertere quid moliantur, & quò ſpectent eorum con-

Epiſt. 93. apud Auguſt.

ſilia, dum ſpargunt hauſta ex ſcripturis apocryphis iſthæc fabulamenta.

Quintò erat optandum vt quemadmodum Diarium Pennæ publici juris fecere, *vt ſatisfacerent*, inquiunt Approbatores Locoboni, *diuturnæ hominum eruditorum expectationi*; ita vellent Conſtitutionem illam, ac damnatas propoſitiones communicare cum republica litteratorum. Intellexiſſet ſtatim Lector eruditus & perſpicax, nihil aliud eſſe ſcriptum hujuſmodi, quàm rudimentum inane tyronis alicujus, cui cogitatio incidit experiundi quid poſſet, & monſtrandi quid vellet, ſi ei permitteretur bullam condere. Probauit autem quicumque demum ſit, ſe hujuſmodi operibus parum idoneum, inſuper & ſatis imperitum. Scriptum hoc nihil habet ejus grauitatis & majeſtatis quæ ineſſe debet literis Apoſtolicis. Dicit, *Sedem Apoſtolicam ab Auguſtino dum viueret, aduerſus dogma Pelagianorum reſponſa popoſciſſe*, quod quæſo vnde accepit? Legimus quidem Auguſtinum & ſuo & Conciliorum Africanorum nomine à Sede Apoſtolica non ſemel reſponſa popoſciſſe. Legimus ideo popoſciſſe, quòd timerent *ne ad culpam negligentiæ imputaretur, ſi tacerent quæ pro Eccleſia ſuggerenda erant, quo Romanus Epiſcopus Paſtoralem diligentiam adhiberet Chriſti membrorum periculis*. Et, *quia arbitrabantur, adjuuante miſericordia Dei, qui dignatur eum & regere conſulentem & orantem exaudire; Pelagianos illius authoritati de Sanctarum Scripturarum authoritate depromptæ faciliùs eſſe ceſſuros*. Legimus cùm ad Innocentium librum de Natura & Gratia vltrò miſiſset, addidiſse: *Non enim riuulum noſtrum tuo largo fonti augendo refundimus, ſed in hac non parua tentatione temporis, vnde nos liberet cui dicimus, ne nos inducas in tentationem, vtrum etiam noſter licèt exiguus ex eodem quo etiam tuus emanet capite fluenitrum, hoc à te probari volumus, tuiſque reſcriptis de communi participatione vnius gratiæ conſolari*. Legimus cùm mitteret ad Bonifacium quæ ſcripſit contra duas Epiſtolas Pelagianorum ita præfatum: *Hæc quæ iſtis duabus epiſtolis illorum, iſta diſputatione reſpondeo, ad tuam potiſſimùm dirigere ſanctitatem, non tam diſcenda, quàm examinanda conſtitui*. Legimus Innocentium reſpondiſſe, dum ita recurrerent, *ideò feciſſe quod æquum erat vt facerent, antiquæ regulæ formam ſequutos toto ſemper ab orbe ſeruatam*, PER OMNES

LV. Bulla illa ſeipſa confutat.

Aug. Ep. 92. ad Inn.

Ep. 95.

Lib. 1. cont. 2. epiſt. Pelag. cap. 1.

ENIM PROVINCIAS DE APOSTOLICO FONTE PETENTIBVS RESPONSA SEMPER EMANARE: ET PRÆSERTIM QVOTIES FIDEI RATIO VENTILATVR, NONNISI AD PETRVM, ID EST, SVI NOMINIS ET HONORIS AVTHOREM REFERRI DEBERE, QVOD PER TOTVM MVNDVM POSSIT OMNIBVS ECCLESIIS IN COMMVNE PRODESSE. Legimus, inquam, Catholicos, per totam Africam Epiſcopos, & præ cæteris Auguſtinum, à Sede Apoſtolica in cauſa Pelagii reſponſa petiiſſe: neque ſua putauiſſe ſecura, certáque atque ab aliis recipienda, donec intelligeretur ea Romæ fuiſſe probata: Sedem autem Apoſtolicam viciſſim ab Auguſtino reſponſa popoſciſſe contra Pelagium, non legimus. Neque tamen ideo nego potuiſſe Auguſtinum ab Epiſcopo Romano in re aliqua obſcura conſuli: ſed vt quod fieri potuit in cauſa Pelagii factum eſſe dicatur, peto vnde bullæ compilator didicerit. Nam ad eum tantùm ex occaſione miſſas à Bonifacio duas Epiſtolas Pelagianorum per Iacobum & Timaſium, non eſt reſponſa popoſciſſe.

LVI. Diſputanda cū S. Thoma, S. Auguſt. & Sūmis Pontificibus aliquarū propoſitionum cenſurâ. 2. ſent. d. 2. ar. 1. ad 3.

Neque verò in rebus Theologicis fuit perſpicacior hic Bullator. Prima propoſitio quam damnat, illa eſt, *Peccatum primi hominis ſolum in donis ſupernaturalibus nobis nocuit*. De qua videndum erat quàm procul abeſſet ab iſta, quæ traditur à S. Thoma: *Si bona naturalia ſecundùm ſe conſiderentur, ſecundùm quod naturæ debentur ex propriis principiis*; NEC HOMO, NEC ANGELVS ALIQVID NATVRALIVM AMISIT, NEC IN ALIQVO DIMINVTVS EST.

Secunda eſt iſta, *vires naturales liberi arbitrii tales prorſus, ſecundùm ſe, in nobis poſt peccatum manſerunt, quales illas eſſemus habituri, ſi homo fuiſſet conditus in ſtatu puræ naturæ*. Quæ ſi damnetur, videndum eſt, an inde ſequatur iſtam abſolui quam Pius V. & Gregorius XIII. damnauerant priùs, *Deus non potuiſſet ab initio talem creare hominem, qualis nunc naſcitur*, & quod Auguſtinus ipſe ſignificat, *non repugnare Deo, vt ignorantia & concupiſcentia* SINT PRIMORDIA HOMINIS NATVRALIA.

Tertia eſt, *Paruuli morientes ſine baptiſmo poſt diem judicii vitam in naturalibus, omni mentis & corporis vitio immunem ducent in perpetuas æternitates; feliciorem quàm vllus vnquam mortalium*

duxerit. In qua damnanda conſiderandum fuit, an damnare vellent eos, qui hujuſmodi paruulos ſenſibilium dolorum expertes fore dicunt, hoc eſt S. Thomam, S. Bonauenturam, Scotum & Scholaſticos ferè omnes. Si enim tolerabilis eſt eorum ſententia, cùm nemo ſit adultorum in ſtatu mortalitatis, qui non ſit doloribus obnoxius, nonne dici poteſt feliciores fore paruulos, quàm ſit modò vllus adultus, ſtatu mortalitatis præcisè conſiderato, & ſecluſa ſpe beatitudinis æternæ? Nam aliunde cognitiones illis naturales & effectus non deerunt.

Quarta; *In ſtatu naturæ lapſæ, poteſt homo cum ſolo concurſu generali Dei, efficere bonum opus morale, quod in ordine ad finem naturalem ſit veræ virtutis opus: illúdque referre in Deum, ſicut referri poſſet & deberet in ſtatu naturali.* Cujus cenſura quot quæſo Thomiſtas; quot Scotiſtas, quot omnium Scholarum Theologos inuoluit? Et quomodo elaberentur Pius V. & Gregorius XIII. qui vel eaſdem, vel æquiualentes propoſitiones vetuerunt affici cenſurâ in Conſtitutione contra Baium? Non vacat omnes alias percenſere. Nam ex iis, quæ primæ occurrerunt ſatis intelligi poteſt, quod ſit faciendum de cenſura illa vniuerſa judicium. Et hæc omnia noſtri monuerunt, imprimiſque Benedictus Iuſtinianus, qui cauſam hanc apud Pontificem fortiter egit: ideóque facta eſt illa reductio quinquaginta, vel ſexaginta propoſitionum, ad viginti. Vnde etiam conjicere licet hanc quam vocant bullam, ſi digeſta fuit ab vllo ex Conſultoribus, ante diſputationes, ac proinde diu antequam Paulus eſſet ad Pontificatum euectus, fuiſſe digeſtam; & quod inde ſequitur, vel ſi vera eſſet, non potuiſſe vocari à Ianſenianis bullam Pauli.

Sed quia ſolent hujus vitæ mala bonis eſſe permixta, non XVII.
poſſunt non valde probare duo, quæ in hoc ſcripto reperiuntur. Primum eſt, & olim viuente Auguſtino, & mediis deinde temporibus, fuiſſe quoſdam, qui putarent ſe, auctore Auguſtino, poſse ac debere negare liberum arbitrium. Ita enim Bullator loquitur, dum de hæreticis liberum arbitrium impugnantibus: *Qua quidem impugnatione, & juſtificant, quantum eſt in ſe veterem illam Pelagianorum calumniam, quod in doctrina Catholicorum auferatur ab hominibus liberum arbitrium: & in eò ſuam*

Colligitur ex illa bulla, contra Ianſenianos, fuiſſe aliquam Prædeſtinatianorum hæreſim.

ipſi inſipientiam nocentiùs multò ſibi atque aliis manifeſtant, quàm illi quos olim liberum etiam arbitrium negantes ſimpliciùs, S. Auguſtinus inſtruens ita percontatur: ſi non eſt Dei gratia, quomodo Chriſtus Dominus noſter ſaluat mundum? & ſi non eſt liberum arbitrium, quomodo judicat mundum, &c. En tibi, *ſimplices* quoſdam exiſtimantes negandum eſſe liberum arbitrium ab Auguſtino emendatos. Paulò verò ſuperiùs hæc habentur: *Quòd autem in quibuſdam quæſtionibus minutiùs tractandis, cùm de iis neceſſe fuerat contra Pelagianos errores olim diſputare, ex ſcholaſticis Theologis aliqui plus tribuerint viribus liberi hominum arbitrii, quàm admittat doctrina vel diſcuſſa à S. Auguſtino, vel definita ab Eccleſia Dei de neceſſitate, ſeu efficacia gratiæ Chriſti; quidam verò minùs quàm ea doctrina exigat, non eò fuit quòd intenderent ii, aut ſe putarent à S. Auguſtino diſſentire. Imò*, QVI MINVS TRIBVEBANT HVMANO ARBITRIO, QVOD DOCTRINA S. AVGVSTINI ID EXIGERET, *& qui plus, quòd eadem doctrina id admitteret, exiſtimabant*, ... *verùm Eccleſia Dei hujuſmodi opiniones quorumcumque eſſent, numquam approbauit.*

Homines, quos Eccleſia Dei numquam approbauit, & qui putarunt jam inde à tempore S. Auguſtini ejuſdem S. Auguſtini *doctrinam exigere vt minus triburetur libero arbitrio*, alii-ne ſunt, quàm qui vocantur Prædeſtinatiani? Et Ianſeniſtæ, ſi quam habent fidem huic Bullæ, pergent cum Ianſenio negare vllos vnquam fuiſse Prædeſtinatianos hæreticos, vel aſserere qui ſic vocarentur fuiſſe veros diſcipulos S. Auguſtini? Et Mauguinus, qui tam verboſam pugnauit pugnam, vt obtineret Prædeſtinatianos fuiſse Catholiciſſimos, germaniſſimóſque Auguſtinianæ doctrinæ hæredes, *non eſt concionatus contra ſuam bullam?*

LVIII. Omittit bulla quod Ianſeniani potiſsimùm intendunt.

Aliud etiam valdè probandum, in eodem ſcripto, hoc eſt, in illis 50. propoſitionibus illud omitti, quod vnum intendunt Ianſeniani, & in quo eſt totius controuerſiæ ſumma, de gratiâ ita per ſeipſam efficaci, vt tollat proximam & expeditam ad diſsentiendum potentiam, & cum cujus natura non poſſit in voluntate componi ſuſpenſio actus. Dico neque id vſquàm aſseri in illa bullæ delineatione, nec oppoſitum damnari. Sequitur, inquiunt, ex aliis quæ ibi definiuntur. At inquam de neceſſitate hujus ſequelæ poſtea diſputandum erit, interea ſtat

Bulla-

Bullatorem non expreſſiſse quod requiritur vt Ianſeniani ſint voti compotes.

LIX. Extare Bullam aliam à priore diuerſam.

Sextò, Monendi ſunt Ianſeniani, non vnicam circumferri bullam ad terminandam controuerſiam de Auxiliis compoſitam. Eſt & alia, quam illi fortè non viderunt, à præcedenti differentiſſima. Poſsem vno illis verbo indicare vbinam ſit, ſed exercenda eſt eorum diligentia. Inquirant vbi aſſeruentur ſcripta Ant. Bouii Epiſcopi Molfetenſis, & Petri Lombardi, Arch. Armacani, qui in hujus controuerſiæ diſcuſſione inter Conſultores fuere eruditione & pietate non infimi, videant num inter illa reperiatur ſcriptum, cui titulus, *Tenor bullæ, talis vel ſimilis eſſe poterit.* Exordium autem ſubjicitur in hunc modum: *Inter alia multa & grauiſſima*, &c. Hæc eſt bulla ſub finem diſputationum compoſita. In qua nullius propoſitionis damnatio exprimitur, duodecim tantùm articuli de doctrina definiuntur, excluſo ſemper illo capitali controuerſiæ puncto de gratia phyſicè prædeterminante, quem ſcriptor diſertè ſignificat indeciſum eſſe debere, *donec Eccleſiæ ſuæ lumen abundantius Dei prouidentia communicauerit.*

Hæ nimirum erant priuatorum hominum meditationes, qui ſententiæ quam expectabant præludentes, experiri volebant, componendo bullas, quomodo poſſet illa commodè concipi, vt exprimeret quod ipſi vel judicabant, vel optabant: fortè etiam opperiebantur occaſionem opportunam iſta ingerendi, ac ſuppeditandi judicibus, vt haberent paratum in tempore controuerſiæ decidendæ aliquem modum.

Ianſeniani autem, qui videntur ſibi theſaurum inueniſſe in agro abſconditum, quando in priorem illam bullam incidere, poterunt ejus valorem ex ſecunda metiri, ac videre, num illa reuera bulla ſit, nimirum ex earum genere, quas fundere ſolent pueri, dum pendentem è tubulis palearum ſpumam inflant. Nempe nos quoque poſſemus oſtentare hujuſmodì margaritas, ſed eas tanti facimus, quanti merentur: neque vnquam exponimus, niſi ſi quando opus eſt ad temperandam, quam præ ſe ferunt Aduerſarii, earum æſtimationem immenſam. Quare per nos licet, vt Doctor *de bono loco* bullam quin-

quaginta propoſitionum ex doctrina Molinæ damnatarum, quantum libuerit jactet: & quia hoc etiam olim fuit inſigne triumphantium, *cum Gratia victrice*, eâ bullâ bullatus procedat. Nihil potuit deſiderari ad hujus triumphi magnificentiam opportunius, nihil dignius ad honorem triumphantis, nihil inſignius ad memoriam victoriæ ſempiternam. Addam, quia hic etiam olim fuiſſe dicitur bullatum vſus, nullum præſentius vel efficacius amuletum inueniri, ad hujus honoris inuidiam omnem amoliendam. Quis enim inuidere poſſit tanta illuſione deceptis? Quis non miſereatur potiùs, tam ſollicitè ſatagentium, vt iis quiſquiliis errorem ornent, reddántque probabilem? Quis non etiam rideat anhelantes, ſudantéſque, vt ruenti Ianſeniſmo fulcra hæc arundinea ſupponant? Sed quis potiùs non jure optimè indignetur, obtineri ab iis nondum potuiſſe, vt Conſtitutionem Vrbani contra Ianſenium agnoſcerent, toties & tam validè à duobus Pontificibus confirmatam, qui ex bulla contra Molinam, quæ numquam fuit, idolum ſibi ſtatim fecere, quod adorent? Et ſperant, viri ſcilicet perſpicaces, hanc impreſſionem multùm Ieſuitis nocituram. Et Locobonus credidit, ſe his petitionibus effecturum, vt ejus diſputatio reſpondiſſe videatur inſcriptioni, quam præfixerat, *Molina & ejus diſcipuli de errore Pelagianorum & Semipelagianorum conuicti?* Neque viſum iri titulum hunc vel falſum, vel exaggeratum, vel ſuperbum, vel ridiculum? Sed nolo vltrà importunus eſſe huic homini, ne ſomnia illius adeò læta diſturbem. Si volet Deus aliquando, quod precamur, vt euigilet; intelliget profectò, Molinæ nihil optatius accidere potuiſſe, neque aptius ad victoriæ certitudinem, quàm cum hoc genere hoſtium conſerere manus, & armis occurrere iſtius officinæ. Nam eſto illa Vulcania ſint, attamen glorioſum eſt oppugnari mendaciis. Alia enim arma eſſe non poſſunt, quæ innocentiam petunt & veritatem.

Præf. pag. 23.

Finio cum Epiſtola Petri Lombardi Archiepiſcopi Armacani ad Paulum Quintum Summum Pontificem; qua reddit rationem, cur noluerit ſubſcribere aliorum Conſultorum cenſuræ. Ea verò ſic ſe habet:

Beatiſſime Pater, tranſmitto hic ad S. V. capitula illa quæ etiam

ex judicio Congregationis ſanam & Catholicam de viribus liberi arbitrii & auxiliis gratiæ Dei doctrinam continent. Adjungo propoſitiones continentes de eodem argumento erroneas opiniones, prout in Congregatione viſæ, reuiſæ, lectæ, relectæ ET DIVERSIS VICIBVS SVNT CORRECTÆ. *Quare autem noluerim ſubſcribere propoſitionibus ſic digeſtis, prout eas S. V. præſentabit R. P. Secretarius, præcipua eáque prægnans valde ratio eſt, quòd in iis extra Congregationem & ſaltem me non præſente*, ALIQVÆ SVNT MVTATÆ, ALIQVÆ ADDITÆ, QVÆDAM SVNT QVÆ, SI QVID VALET IVDICIVM MEVM, GRAVIORIBVS EXTRA CONGREGATIONEM HANC THEOLOGIS NEC SATISFACTIONEM ADFERENT, NEC FERRE POTERVNT, OPPOSITIONEM SI CONTINGAT CONTRA IPSAS FIERI. *Vt demantur aliquæ propoſitiones non repugno, modò non ſint ex principalioribus. Imò pro judicio meo poſſent ac deberent compendioſiùs ordinari. Cujus rei formam aliquam poſtremo loco hîc ſubjicio cum oſculo pedum Sanctitatis veſtræ.*

Deuotiſſima & humillima ejus creatura,
PETRVS LOMBARDVS *Archiepiſcopus Armacanus.*

Hæc Armacanus, de nimio erga doctrinam Societatis affectu minimè ſuſpectus. Seruatur autem hæc Epiſtola, eodem loco cum bulla ſuperiùs citata: ex qua intelligitur quàm vnanimis fuerit, quàm conſtans, quàm legitima, quàm æqua illorum octo Doctorum cenſura. Additur autem in hiſtoria temporum illorum, juſſiſſe Pontificem, vt judicium hoc, tum Armacani, tum aliorum Doctorum communicaretur Illuſtriſſ. Cardinalibus, Generalibus Inquiſitoribus; petiiſſe Cardinales vt daretur etiam ſcriptum Bouii Molfetenſis Epiſcopi, quo doctrinam Societatis propugnabat: & Pontificem imperaſſe vt deſcriberetur & ſingulis traderetur: hac informatione præmiſſa die Sabbati 26. Auguſti anni 1607. Sanctiſſ. Dominum noſtrum indixiſſe Illuſtriſſimis Cardinalibus, Generalibus Inquiſitoribus, nec non Illuſtriſsimo Cardinali Perronio ad hoc ſpecialiter vocato, Congregationem futuram ſequenti die Lunæ 28. ejuſdem menſis; ipſo nimirum S. Auguſtini die feſto. In ea quæſitam ſingulorum ſententiam de modo finiendi controuerſiam hanc. Quid fuerit

concluſum euentus oſtendit, ſiquidem ſtatim moniti ſunt duorum Ordinum Generales, vt quiſque ſuos ab omni cenſura contrariæ doctrinæ prohiberet, vt oſtendunt recitatæ ſuperiùs Claudii Aquauiuæ literæ, octiduo pòſt ſcriptæ. Hæc Molinæ damnatio, hæc ſumma cauſæ, decennio circiter ardentiſſimè vtrimque agitatæ; hic finis fuit.

INFORMATIO
DE QVINQVE PROPOSITIONIBVS, EX IANSENII THEOLOGIA COLLECTIS,

Quas Epiſcopi Galliæ ad Summum Pontificem cenſendas miſêre.

PRIMA PROPOSITIO.

ALIQVA Dei præcepta, hominibus juſtis volentibus & conantibus ſecundùm præſentes quas habent vires, ſunt impoſſibilia : deeſt quoque gratia, quâ poſſibilia fiant.

Quid ſentiat Ianſenius.

CONTINETVR totidem verbis apud Ianſenium tomo 3. lib. 3. de Gratia Saluatoris cap. 13. Nam quod probandum ſuſcipit in ipſo capitis argumento, *Eſſe quandam voluntatis infirmitatem, quâ non poteſt certas tentationes ſuperare, nec adeſt gratia, quâ ſuperentur, nec Spiritus orationis, quo vires im-*

petrentur, id ipſum deinde ex allatis Auguſtini teſtimoniis ita ſibi
» colligere videtur. Ex hac indubitatâ doctrinâ quædam non par-
» ui momenti ad hanc rem ſpectantia inferuntur & clareſcunt.
» Primum quidem, eſſe quædam homini præcepta ſecundùm
» ſtatum & vires, in quibus conſtitutus eſt, impoſſibilia.
» Secundum, non adeſſe ſemper gratiam, quâ poſſimus, hoc
» eſt, quâ illa eadem præcepta implere ſufficiamus.
» Tertium, hanc impotentiam reperiri non ſolùm in excæ-
» catis, & obduratis & infidelibus, (de quibus numquam
» Auguſtinus vel Eccleſia, ſed ſolùm Scholaſtici nonnulli ex
» humanis rationibus dubitarunt) ſed etiam fidelibus & juſtis,
» qui & fidem Chriſti & caritatem juſtitiæ ſuſceperunt. Quar-
» tum, hanc impoſſibilitatem fidelibus accidere non tantùm
» quando nolunt præcepta facere, ſed etiam quando volunt.

Quatuor hæc iterum repetit & inculcat hoc modo, Hæc
» igitur omnia pleniſſimè planiſſiméque demonſtrant, nihil in
» S. Auguſtini doctrina certius ac fundatius, quàm ESSE PRÆ-
» CEPTA QVÆDAM, QVÆ HOMINIBVS non tantùm in-
» fidelibus, excæcatis, & obduratis, ſed fidelibus quoque &
» IVSTIS VOLENTIBVS ET CONANTIBVS, SECVNDVM
» PRÆSENTES QVAS HABENT VIRES, SVNT IMPOS-
» SIBILIA, DEESSE QVOQVE GRATIAM, QVA FIANT
» POSSIBILIA, hoc enim S. Petri exemplo, aliiſque multis
» quotidie manifeſtum eſſe, qui tentantur vltrà, quàm poſſint
» ſuſtinere. Addit deinde, Quintum itaque ex eodem prin-
» cipio conſectarium eſt, Plurimis non dari iſtam faciendi præ-
» cepti poſſibilitatem, quæ precibus implorari ſolet. Cujus rei
triplicem affert rationem. Primò, Quia multi non orant. 2.
Quia non orant vt oportet ad impetrandum. 3. Quia etiamſi
orent, Deus differt quod petunt, & interea ſinit eos cadere.
Videndum eſt, quod dicit cap. 5. col. 2. §. *nec aliquis oppo-
nat*, & cap. 14. ejuſdem lib. col. 2. §. *nam ſi deſertiones*. Iam
quòd dicit Ianſenius, *aliqua præcepta, & plurimis hominibus* non
poteſt in ipſius doctrina ſic intelligi, quaſi verò aliqua etiam
aliquibus eſſent poſſibilia, ſecundùm præſentes quas habent
vires, ſi ſit ſermo de hominibus, qui ea tranſgrediuntur, Ian-
ſenii ſenſus vniuerſalis eſt, reſpectu tranſgreſſorum, ſcilicet
omnia præcepta eorum tranſgreſſoribus omnibus, ſecundùm

præſentes quas habent vires dum tranſgrediuntur, eſſe impoſſibilia: ita vt nemo, non tantùm infidelium, ſed ne juſtorum quidem, qui præcepta diuina tranſgredientes juſtitiam perdunt, intelligatur ea tranſgredi, niſi ex impoſſibilitate præſenti ea obſeruandi. Quod clariſſimè patet ex duobus hiſce Ianſenii principiis. Primum eſt, Nullam dari gratiam ſufficientem, quæ non ſit ſimul efficax reſpectu effectus, ad quem dicitur ſufficiens. Ex quo ſequitur, cùm omnis tranſgreſſor præcepti, quotieſcumque tranſgreditur, careat gratia efficaci ad obſeruandum, carere etiam ſufficienti, ac proinde juxta Ianſenium nemo vnquam tranſgredi præceptum, quin careat ſufficientibus viribus ad illud obſeruandum. Secundum principium eſt, Victricem delectationem eſſe id quod voluntatem liberam & potentem facit, ſiue ad bonum, ſiue ad malum, adeò vt illa omnino abſente, fiat impotens. Senſus Ianſenii.

Verba Ianſenii ſunt hæc tom. 3. lib. 7. de Gratia Salu. cap. 2. Quærimus, *inquit*, quid ſit illud, quod nos velle & nolle facit, quo aliqui actus voluntatis ponuntur in poteſtate voluntatis, ſeu quid voluntatem ad actus aliquos liberam & potentem facit, ITA VT SINE EO VELLE NON POSSIT; *Et deinde*. Dico igitur S. Auguſtini principiis inſiſtendo, aliquid omninò eſſe præter nudam facultatem voluntatis, quod eam facit velle vel nolle, QVO OMNINO ABSENTE FIT IMPOTENS, præſente potens ſiue ad bonum ſiue ad malum. Et explicans quid hoc ſit in argumento capitis ſequentis ait, Delectatio efficit voluntatem & libertatem, hoc eſt facit velle, & liberè velle: quod mox ita exponit vt præſente delectatione, actus volendi ſit reipſa in poteſtate voluntatis; abſente, non ſit; inde eſt quod dicit poſtea, Ipſum non conſentire ac non facere quod concupiſcentia ſuadet, effectum eſſe gratiæ victricis: & habitum malum non ſolùm adducere impotentiam operandi boni, ſed ita vrgere ad operandum malum, VT NON SIT LIBERVM ABSTINERE; quamdiu ſcilicet non præualet delectatio juſtitiæ. *Tom. 3. lib. 7. de gr. Sal. c. 3.* *Ibid. c. 14.*

Ex qua doctrina ſequitur, cùm omnis peccans peccet vel omiſſione boni, vel commiſſione mali, & in omni omittente ſit defectus victricis delectationis gratiæ ad faciendum quod

omittit, in omni verò committente ſit præſentia victricis delectationis concupiſcentiæ, impellentis ad id quod committitur, neminem peccare niſi ex impoſſibilitate non peccandi; Nam qui omittit non habet in poteſtate facere quod omittit, quia vt dicit Ianſenius, illud ponitur in poteſtate per victricem delectationem gratiæ, quæ deeſt: qui autem committit, non habet in poteſtate omittere, ſeu non conſentire ad id quod committit, quia illud non conſentire ad faciendum, eſt effectus victricis delectationis gratiæ, vt idem dicit, quæ gratia ſimiliter deeſt, cùm ſtare non poſſit cum victrici delectatione concupiſcentiæ, mouentis ad malum quod committitur; ergo neuter habet in poteſtate non peccare. Item delectatio gratiæ facit liberam voluntatem ad actum qui præcipitur; eadem delectatio illam facit liberam ad omittendum actum, qui prohibetur: adeò vt ſine illa non ſit liberum vel hunc ſupprimere, vel illum elicere, vt dicit Ianſenius. Ergo cùm in omni peccante ſemper & vbique deſit victrix delectatio gratiæ, ſiue ad faciendum quod præcipitur, ſiue ad omittendum quod prohibetur, conſequens eſt in omni peccante deeſſe libertatem ad vitandum peccatum, nempe in peccante peccato omiſſionis deeſſe libertatem ad faciendum quod facere iubetur, & in peccante peccato commiſſionis, deeſſe libertatem ad omittendum quod iubetur omittere, & conſequenter omnem qui peccat obligari ad id ad quod non habet libertatem; & ſic vniuerſaliter verum eſt, omnia præcepta omnibus qui ea tranſgrediuntur, eſſe impoſſibilia. Hæc eſt pura, putáque Ianſenii doctrina ſine fuco & integumentis.

Quid ſentiant Hæretici.

EODEM autem modo & ſentiunt & loquuntur Hæretici, Lutheri propoſitionem hanc referunt & damnant duæ celebres Academiæ, Pariſienſis & Louanienſis, in cenſura Lu-
„ theranarum propoſitionum. Quicumque negat Deum impoſ-
„ ſibilia iuſſiſſe, peſſimè facit; & qui hoc falſum dicit, pluſ-
„ quam peſſimè facit. Caluinus 2. Inſt. cap. 7. §. 5. Quòd au-
„ tem impoſſibilem legis obſeruantiam diximus, id eſt paucis verbis

verbis explicandum, ſimul & confirmandum. Solet enim «
vulgò abſurdiſſima ſententia videri, vt Hieronymus non du- «
bitauerit illi anathema denuntiare. Quid viſum ſit Hiero- «
nymo, nil moror, nos quid verum ſit, inquiramus. Ejuſmo- «
di argutiâ vexabant Auguſtinum Pelagiani, injuriam fieri «
Deo, ſi plus jubeat, quàm per ipſius gratiam præſtare queant «
fideles. *Molinæus in Clypeo art. 9. negat* Ex præceptis probari «
non quid homo poſſit, ſed quid debeat: & non eſſe injuſtum «
quod Deus jubeat, vt ſeruet mandata ille, qui ſuâ culpâ ſer- «
uandi facultatem amiſit. Et cap. 15. num. 14. in Anatome «
Arminianiſmi, *Qui factus eſt improbus ſuâ culpâ, & impotens Deo
obſequi, &c. tenetur tamen ei obſequi, &c.* Vides primò conue-
nire Ianſenianos cum Hæreticis, quòd vtriſque ſit ſuſpecta
Hieronymi ſententia. De Hæreticis jam conſtat ex Calui-
no, qui ſequitur in eo Lutherum ridentem *decretalem*, vt ip-
ſe vocat, Sorbonæ, tanquam ex Hieronymo ſumptam. De
Ianſenianis, quòd non probent Hieronymi judicium in æſti-
mandis liberi arbitrii viribus, patet ex lib. 7. & 8. de hæreſi
Pelagiana. Vides ſecundò, in eo etiam conuenire, quòd
vtrique Pelagianis attribuant illam in aſſerenda mandatorum *Lib. 7. cap.*
poſſibilitate conſtantiam. Ianſenius enim in ſoluendis quæ *4.*
fiunt contra ipſum argumentis, paſſim vſurpat illud Caluini, *Lib. 8. c. 15.*
idem fuiſſe Auguſtino à Pelagianis objectum, vt patet ex l. 3. ci-
tato, de Gratia Saluat. cap. 14. 15. 17. &c. Vides tertiò, etiam
conuenire in refundenda impoſſibilitatis cauſa in peccatum
Adami: ex quo putant Dei juſtitiam excuſari, dum punit eos,
qui non faciunt quod eſt impoſſibile. Eò enim Ianſenius ſi-
cut Molinæus perpetuò recurrit, ſed in eo ſunt Ianſenianis
Hæretici candidiores, quòd non diſſimulent Eccleſiæ Roma-
næ contrariam eſſe quam ſequuntur doctrinam. Molinæus
enim Pontificios vocat diſſentientes, & Caluinus de Triden-
tinis ita loquitur, vel potiùs jocatur: *Valdè nouitios eſſe oportet* *In Antid.*
venerandos iſtos Patres, ſi ex præceptis æſtimant quid valeat homo. *ſeſſ. 6.*

Sed dubitationem omnem ſoluit Samuel Mareſius, Calui-
nianæ Synagogæ Rabinus apud Groningam, in *Synopſi de ve-* *Cap. 3. pag.*
ra & Catholica doctrina, quam expreſſam putat in Catechiſmo *40. Edit.*
Ianſeniano, Romæ damnato. Sic enim loquitur, De legis *an. 1651.*
difficultate, ſiue potiùs impoſſibilitate vti dicitur Paulo Rom.

Pag. 21. „ 8. eáque non morali & ſecundùm quid, ſed abſoluta, diſ-
„ putaui contra Volkclium Socinianum. NEC ALIAM QVAM
„ TOTALEM ET ABSOLVTAM IMPOSSIBILITATEM
„ HIC NOSTRVM CATECHISTEM PROPVGNARE patet
„ ex iis quæ ampliùs dicet infrà cap. 4. de abſoluta gratiæ ne-
„ ceſſitate, non tantùm vt faciliùs, quod erat dogma Pela-
„ gii, ſed ſimpliciter vt bene agamus. *Et deinde*, Hæc le-
„ gis operum impoſſibilitas in carne, ex inhærente nobis cor-
„ ruptione enata, talis eſt, vt nihil verè boni & Deo grati
„ juxta legis præſcriptum ab homine irregenito & gratia
Chriſti deſtituto proficiſci queat : hinc eſt quod pau-
„ lò antè præmiſit, Perperam Ieſuitas & alios ejuſdem fur-
„ furis homines, vt propugnent in homine corrupto libe-
„ ri arbitrii vires, non tantùm ad moralia qualiacumque, ſed
„ etiam ad ſupernaturalia, inde colligere argumentum, quòd
„ talia impetrent, mandent, exigant ſacræ ſcripturæ: nec poſ-
„ ſit Deus juſtè punire nolentes obedire & credere, niſi cre-
„ dere & obedire ſit in eorum poteſtate: Ipſe ſiquidem vult
puniri homines, quòd omiſerint ea, quæ vt facerent non erat
in eorum poteſtate; eſſe enim Dei mandata *efficii noſtri nor-
mam, non virium noſtrarum menſuram:* & quòd illa bene agen-
Ib. & p. 69. di *impotentia* ſit malum ἐπίπαςον eo ipſo culpabilem eſſe, & di-
gnam pœna. Sed nuſquam diſtinctiùs expreſſit Caluiniano-
rum & Ianſenianorum inter ſe concordiam, & ab Eccleſia
Romana diſcordiam in hoc puncto de mandatorum impoſſi-
bilitate, quàm in apoſtrophe illa ad Ianſenianos, quæ legitur
Pag. 51. „ in cap. 4. dum eos ſic hortatur. Macte illa veſtra virtute vi-
„ ri docti, quòd audeatis in os reſiſtere .... illi Pontifici,
„ qui in ſuorum Ieſuitarum gratiam, damnatâ orthodoxiſſimâ
„ ſententiâ, puri puti Pelagianiſmi, putidam & impiam prote-
„ ctionem ſuſceperat; amicus vobis Plato, amicus Ariſtoteles,
„ ſed magis amica veritas. Agnoſcitis enim quòd homini per
„ gratiam Chriſti nondum liberato, loco libertatis abſtinendi
„ à peccato, inducta eſt peccandi neceſsitas, VT PROBAT
„ MVLTIS IANSENIVS EX SVO, ET VESTRO AVGV-
„ STINO lib. 3. de ſtatu nat. lapſæ cap. 11. Religio fuit refer-
re execrandum epithetum, quo hic dæmonum interpres San-
ctiſsimum Pontificem Pium Quintum appellare non eſt ve-

ritus. Sufficit quòd Ianſenianam putet illam peccandi ne-
ceſsitatem, hoc eſt, ſeruandi præcepti impoſsibilitatem, quæ
Caluinianorum eſt. Quòd autem damnatam à Pontifice fa-
tetur, eò ſpectat vt omnes intelligant Romanæ contrariam
illi videri Theologiam Ianſenianam. Sed quòd Ieſuitas exe-
cratur vnà cum Pontifice, ejuſmodi eſt, vt nemo cordatus
ſit, qui hoc illis opprobrium non inuideat, ſicuti & quod a- *pag.* 46.
libi Ieſuitas ſubſannat errantes *cum ſuo Tridentino*. Ita ſemper *pag.* 18.
illos oderint ſuperi, vt non niſi *cum ſuo Tridentino*, errare pa-
tiantur. Vide etiam quod habet cap. 2. & cap. 6. pag. 91.

Quid ſentiat Eccleſia.

NEQVE verò in eo falluntur Hæretici: doctrina enim
Ianſeniana habet adeò perſpicuam oppoſitionem cum
Tridentino Concilio, vt excuſari non poſsit. Quamuis enim
bonum aliquem ſenſum haberet Ianſenius, Concilium tamen
Tridentinum prohibet ne quis loquatur, vt ille loquitur. *Nemo*, «
inquit Concilium ſeſſ. 6. cap. 11. TEMERARIA ILLA ET «
A PATRIBVS SVB ANATHEMATE PROHIBITA VO- «
CE VTI DEBET, Dei præcepta homini juſtificato ad ob- «
ſeruandum eſſe impoſsibilia, nam Deus impoſsibilia non ju- «
bet, ſed jubendo monet & facere quod poſsis, & petere quod «
non poſsis, & adjuuat vt poſsis. Igitur temerariam vocem, «
& à Patribus ſub anathemate damnatam, Tridentino fruſtra
reclamante, Ianſenium vſurpaſſe conſtat ex dictis: ac proin-
de tenetur can. 18. ejuſdem ſeſſionis, vbi habetur, *Si quis di-
xerit Dei præcepta homini etiam juſtificato & ſub gratia conſtituto
eſſe ad obſeruandum impoſsibilia*, ANATHEMA SIT. Eſt etiam
doctrina eadem bis damnata in Baio. Damnatarum enim propo-
ſitionum ejus iſta eſt 54. *Definitiua hæc ſententia, Deum homini ni-
hil impoſsibile præcepiſſe, falsò tribuitur Auguſtino, cùm Pelagii ſit.* Et
hæc 67. *Homo peccat etiam damnabiliter, in eo quòd neceſſariò facit.*

Vnde intelligas Eccleſiaſticam eſſe cenſuram, & quam
olim protulere duæ illæ, quas dixi, Academiæ, in propoſi-
tionem Lutheri, & quam parauerant nuper nouem illi à Sor-
bona deputati ad examinandam hanc primam, quam modò
diſcutimus, cùm judicarunt *eſſe hæreticam.*

Quid reſpondeant Ianſeniani.

IANSENIANI duas adhibent ſolutiones. Prima, Tridentinum loquutum eſſe ad ſenſum Caluini, qui dicebat etiam aſſiſtente gratia, eſſe impoſſibilia Dei præcepta: peccare enim hominem juſtificatum in quolibet opere bono, quantumuis ex inſtinctu Dei ſuſcepto: eſto non imputetur ei ad peccatum, tegente peccata illa Chriſti juſtitiâ, per fidem juſtificantem applicatâ. Hoc igitur Tridentinum damnare voluiſſe. Secunda Ianſenianorum reſponſio eſt, Dei præcepta poſſibilia eſſe *remotè;* neminem enim eſſe in hac vita, qui non habeat voluntatem flexibilem, & quæ poſsit conuerti ad fidem, ſi Deus impulerit per gratiam ſuam: neminem, qui acceptâ fide non poſsit orare ac petere gratiam, ſi Deus eum excitauerit, quâ oratione obtinebit caritatem: acceptâ verò caritate, neminem eſſe, cui Deus dare non poſsit actualia auxilia ad exercendos illius actus, & reſiſtendum tentationibus, quod eſt neminem eſſe, cui Deus non poſsit reddere poſsibilem mandatorum obſeruantiam.

Sed vtraque ſolutio eſt omnino inanis, & nullo modo ſoluit nodum, hoc eſt nullo modo ſaluat veritatem definitionis Tridentinæ.

Prima quidem conuincitur quatuor modis, 1. Conſtat Tridentini verba illa, *Deus impoſſibilia non jubet*, &c. ſumpta eſſe ex Auguſtino, vt ipſemet Ianſenius tom. 3. lib. 3. cap. 13. fatetur; nec dubitari poteſt quin vt ſumpta ſunt ex Auguſtino, ita etiam ad ejus mentem prolata ſint, ita vt Tridentinum hoc ſancire voluerit, quod Auguſtinus olim ex ſenſu Eccleſiæ, cæterorúmque Patrum docuerat. S. autem Auguſtinus ſententiam illam profert ad refellendam Pelagii calumniam, qui dicebat ex ejus doctrina de neceſſitate gratiæ, conſequi Deum impoſſibilia jubere. Negat igitur S. Auguſtinus, ex Catholica doctrina ſequi quod Pelagius conſequi putabat. Putaſſe autem Pelagium ideo ſequi ex doctrinâ Auguſtini Deum impoſſibilia jubere, quòd ſequatur juſtos peccare in quolibet opere bono, quod ſuſcipiunt adjuuante Dei gratia, abſurdiſſimum eſt, nec in omnibus ejus erroribus inuenietur vnquam

hujus ſuſpicionis veſtigium: ſed quod putabat ſequi, hoc erat, poſtquam ſcilicet natura ſola ſine auxilio gratiæ non poteſt reſiſtere concupiſcentiæ, Deum qui jubet vt reſiſtamus, impoſſibilia jubere, hoc igitur eſt quod D. Auguſtinus negat. Ergo & Concilium Tridentinum hoc ipſum negandum definit; & tamen hoc eſt quod Ianſenius aſſerit, vt conſtat ex dictis.

Secundò, D. Auguſtinus negauit impoſſibilia eſſe Dei præcepta eo ſenſu, quo id affirmabant Manichæi, id enim affirmaſſe Manichæos conſtat ex libris Auguſtini contra illos ſcriptis, vbi ſæpè refutat quod dicebant, naturam malam bonæ naturæ permixtam cogere illam peccare, ſublato libero arbitrio & poteſtate reſiſtendi; & ideo etiam Pelagiani quaſi ſententiam mutaſſet, Manichæiſmum exprobrabant Auguſtino, & objiciebant id quod ille aliàs contra Manichæos confeſſus erat, vt conſtat ex libris contra Iulianum. Atqui Manichæi non dicebant naturam bonam cogi peccare, etiam in bono opere, vt dicit Caluinus, ſed in malo: neque vnquam inuenientur credidiſſe, ideo impoſſibilia eſſe Dei mandata naturæ bonæ, quòd peccet, dum v. g. adjuuante Deo reddit vnicuique ſuum, ſed dum rapit alienum, neque dum ſeruat caſtitatem, ſed dum indulget illicitæ voluptati. Ergo nec Auguſtinus dum eos refellit, & pro libero ad non peccandum arbitrio pugnat, contra præſumptam ab ipſis peccandi neceſſitatem, hoc eſt ſeruandorum præceptorum impoſſibilitatem, intellexerit hoc tantùm, naturam ſcilicet bonam adjuuante Deo *poſſe non peccare*, in bono opere; ſed poſſe non peccare *abſtinendo à malo.*

Tertiò, Perſpicuum eſt duos fuiſſe Caluini errores in hac materiâ. Primus fuit, hominem juſtum in quolibet opere ſuo bono peccare, cujus rei cauſam ille non tam petebat ex impoſſibilitate mandatorum, quàm ex corruptione naturæ; (quod enim præceptum fingere poterat, quod violaretur ab eo, qui diuina inſpiratione commotus pauperis miſeretur?) ſed peccare dicebat, quia cùm radix operum omnium corrupta eſſet poſt primam Adami tranſgreſſionem, putabat hoc malum in omnem deinde actionem inde procedentem deriuari, nec poſſe malam arborem facere fructum bonum: eandem tamen

fidem, quæ Chriſti juſtitiam hominibus applicat, ad tegendam hæreditariam corruptionem, ſimiliter impedire ne illis imputarentur illæ bonorum operum maculæ. Secundus error fuit, hominem neceſſariò peccare per concupiſcentiæ motus, etiam indeliberatos, in quo putabat ſe ab Auguſtino diſſentire: eſſe enim illos motus contra præceptum, Non concupiſces: neceſſariò etiam peccare conſentiendo iiſdem motibus, cum aduertentia rationis: quòd arbitrium eſſet peccati ſeruum, & careret neceſſaria ad reſiſtendum facultate: itàque peccari ab hominibus contra præcepta, etiam tum cùm ſunt impoſſibilia. Hæc ſunt adeò nota, vt nemo ſit qui vel Caluinum legerit, vel ea quæ contra eum ſcripſere Controuerſiſtæ, qui dubitare poſſit. Atque in hoc 2. errore muniendo diligentior etiam fuit Caluinus, quàm in primo, ratus in eo ſibi aduerſos eſſe Catholicos, & ideo illorum argumenta quatuor, quæ ducunt ad impoſſibile, ſigillatim ſoluere conatus eſt: deinde etiam oſtenſiua, quæ petuntur ex ſacris paginis, quæ quia multa erant, diſtribuit in ſex claſſes, vt videre eſt apud Bellarminum toto lib. 4. de gratia & libero arbitrio.

Concilium Tridentinum eoſdem duos errores diſtinxit, & diſtinctè damnauit. Primum quidem can. 25. ſeſſ. 6. his verbis. *Si quis in* QVOLIBET BONO OPERE *juſtum ſaltem venialiter peccare dixerit, aut, quod intolerabilius eſt, mortaliter, atque ideo pœnas æternas mereri, tantúmque ob id non damnari, quia Deus ea opera non imputat ad damnationem, anathema ſit.* Secundum etiam errorem idem Concilium damnauit can. 28. ejuſdem ſeſſ. his verbis: *Si quis dixerit* DEI PRÆCEPTA HOMINI ETIAM IVSTIFICATO ET SVB GRATIA CONSTITVTO *eſſe ad obſeruandum impoſſibilia, anathema ſit.* Ergo Ianſeniani, qui diuinorum præceptorum poſſibilitatem reſtringunt ad bona tantùm opera, quæ diuinâ inſpirante gratiâ fiunt, conceſſâ eorumdem impoſſibilitate, reſpectu operum malorum, quæ deficiente diuinâ gratiâ, & præualente concupiſcentiâ neceſſariò ſequi dicuntur, vnum quidem anathema Tridentini declinant, ſed facere non poſſunt, quin alio feriantur: nec aliter negare ſe conſentire Caluino, niſi quia non hauriunt totum ejus errorem, ſed mediam tantùm ejus partem.

Quartò, Tridentinum contra hæreticos, & Romani Pontifices contra Baium eodem ſenſu damnant, quòd dicitur; *Deum præcipere homini impoſſibilia*; Sed Romani Pontifices contra Baium non damnant in eo ſenſu *quòd etiam in bono opere homines neceſſariò peccent*; quia Baius hoc non dicebat, vt conſtat ex ejus lib. de peccato Originali cap. 12. ex quo ſumpta eſt damnata propoſitio illa 54. ſuperiùs allata: Ergo nec Tridentinum reſpexit ad illum tantùm ſenſum.

Secunda ſolutio Ianſenianorum nihilo melior eſt primâ; Dei præcepta, inquiunt, ſunt remotè poſſibilia; ſed quis hoc negauerat? Negauerat-ne Caluinus in hac vita flexibilem eſſe hominum voluntatem? Negauerat-ne Deo volente, conuerti poſſe quemlibet ab infidelitate ad fidem? Negauerat-ne cùm fidelis fuerit aliquis, excitari poſſe ad orandum? Negauerat-ne juſtum & Deo gratum excitari ſimiliter poſſe vt non conſentiat furto vel adulterio, vel appetitui vindictæ? Quid igitur attinebat Concilium id definire, quod nemo negauerat? Et quare dicemus ob eam cauſam viſa Caluino impoſſibilia Dei præcepta, cùm conſtet nihilo minùs ex eo capite poſſibilia credidiſſe, quàm Ianſenium?

Deinde, aliquem effectũ eſſe remotè poſſibilem, nihil eſt aliud juxta doctrinam Ianſenii, quàm eſſe aliquid illius virtutis, quæ neceſſaria eſt ad talem effectum, & quæ accedente quod deeſt, poſſet fieri ſufficiens: quomodo Talpa habet aliquid illius virtutis, quæ requiritur ad videndum; & triennis puer illius, quæ requiritur ad trahendam nauim in aduerſum flumen; & paralyticus aliquid illius, quæ requiritur ad currendum; & clauſum in obſcuriſſimo loco, deſtitutúſque omni lumine, aliquid illius, quæ requiritur ad legendas litteras. Quid ergo? dicemus Tridentinum intonuiſſe, & velut in maximo quodam præſentiſſimóque periculo Anathematiſmis cauiſſe, vt quiſque fateretur tam poſſibilia eſſe hominibus Dei præcepta, quàm poſſibile eſt talpis videre, & trienni puero nauem trahere, paralytico currere, tenebris merſo ſine vlla prorſus luce legere breuiarium? Neceſſarii nimirum erant Oecumenicæ Synodi canones, vt tam difficilis confeſſio ab hominibus obtineretur.

Tertiò aliquid eſſe remotè ſolùm poſſibile, eſt eſſe ſolùm poſſibile conditionatè: ſenſus enim eſt, vt dixi; eſſe aliquod initium virtutis, neceſſariæ ad perficiendum id, de quo eſt quæſtio, quæ ſi compleatur, illud fiet poſſibile: quis autem tantùm animi fecit Ianſenianis, vt abſolutam Concilii definitionem mutare audeant in conditionatam, & propoſitionem de præſenti, in propoſitionem de futuro? Tota enim eorum ſententia eò reſoluitur, vt deſignato tranſgreſſore quocumque, dicatur, *impoſſibile eſt illi facere quod jubetur, ſecundùm ſtatum præſentem, ſed fiet poſſibile, vel fieret, ſi Deus adderet quod negat*; Atqui Concilium abſolutè dicit, & per verba de præſenti, *Deus impoſſibilia non jubet*, ſed alterutrum ſupponit, aut poſſe hominem facere quod jubetur, aut poſſe orare vt vires impetret; ac proinde *jubendo monet* vt faciat alterutrum; hæc enim eſt legitima interpretatio verborum illorum, *Deus impoſſibilia non jubet, ſed jubendo monet & facere quod poſſis, & petere quod non poſſis.*

Confirmatur quartò, nam eò pertinet Eccleſiæ intentio & SS. Patrum inculcantium poſſibilitatem diuinorum mandatorum, & negantium impoſſibilitatem; vt ſit locus objurgationi & increpationi peccatorum, atque eorum compunctioni, quaſi per voluntatem ipſorum ſteterit, quo minùs ſeruarent præcepta, quæ tranſgrediuntur. Atqui juxta Ianſenii doctrinam, nulla poteſt eſſe increpatio niſi ridicula & inſulſa, veriùs dicam, niſi crudelis & tyrannica. Quid enim aliud dici poteſt peccatori, niſi, ô te infandum & dignum æternis cruciatibus, qui tale peccatum commiſiſti; quia ſi Deus dediſſet tibi auxilia, quæ denegauit, potuiſſes non committere? Quid aliud inquam dici poteſt homini juſto, qui carebat originali peccato poſt baptiſmum, & tamen lapſus eſt in grauia quædam ſcelera: & qua de re volumus vt accuſet ſeſe, & vt compungatur? Quòd non fecerit impoſſibile? Atqui hoc non tam eſt objurgare, quàm excuſare. Sed & ille qui habet impedimentum originalis peccati minùs adhuc increpandus eſt; defectus enim natalium non dant juſtam increpationis materiam, nec peccata alienæ voluntatis, ſed propriæ.

Quintò, Tollit omnem dubitandi occaſionem Tridentinum. Nam quod requirit Ianſenius, vt cenſeatur eſſe *proxima* ſeruandi præcepti potentia, Tridentinum adeſſe ſignificat,

Deus, inquit, *impoſsibile non jubet, ſed jubendo monet & facere quod poſsis, & petere quod non poſsis*, & ADIVVAT VT POSSIS: ecce præſentiam adjuuantis gratiæ ad mandata implenda: ecce purificationem conditionis, ex qua Ianſenius ſuſpendebat diuinorum mandatorum poſſibilitatem: ſunt poſſibilia, inquit, remotè & conditionatè, *ſi Deus adjuuat*; atqui jam adjuuat ex Tridentino; ergo ſunt poſſibilia proximè & abſolutè. Et ideo quia verba illa jugulabant contrariam doctrinam, Ianſenius dum referret hunc locum Tridentini, cap. illo 13. lib. 3. tom. 3. de Gratia Saluatoris, primùm ea truncauit, deinde aſſumptâ iterùm conditione propoſitionem abſolutam mutauit in conditionatam, *ſi exaudiat*, inquit, *adjuuat vt poſsis*. Sed ſi non exaudiat, quid fiet? & vide quàm ſit abſurda conditio illa, *ſi exaudiat, adjuuat*. Ponamus enim v. g. me verſari magno in periculo; & vrgere tunc præceptum orationis ad impetrandam gratiam emergendi: non pareo tamen huic præcepto, & non oro: quæritur an præceptum mihi ſit poſſibile: Non eſt poſſibile, inquit Ianſenius, quia deeſt auxilium ad orandum neceſſarium. Eſt poſſibile, inquam ego, quia Tridentinum dicit Deum adjuuare vt poſſim facere quod præcepit. Tridentinum, inquit Ianſenius, dicit Deum adjuuare, *ſi exaudiat*. Quid verò eſt illud, *ſi exaudiat?* Agitur de auxilio ad orandum neceſſario, & Deus illud dat, ſi exaudiat? Atqui ſi vult juuare, debet juuare antequam exaudiat, quia debet juuare, antequam ſit oratio, quæ præcedit exauditionem. Hac ſcilicet ratione in fumum tandem reſoluitur doctrina Tridentini, iuxta Ianſenium. Ita enim argumentari licet; mandata Dei non ſunt poſſibilia carentibus neceſſaria virtute ad implendum, & petentibus illam à Deo, niſi ex ſuppoſitione quòd exaudiat; ſed numquam exaudit eos, qui poſiti in eo ſtatu ea tranſgrediuntur; ergo mandata numquam ſunt poſſibilia iis, qui poſiti in eo ſtatu, ea tranſgrediuntur. Major eſt ex interpretatione Ianſenii, minor ejuſdem eſt. Quia ſi exaudiſſet, dediſſet gratiam, quæ non poteſt juxtà illum non eſſe efficax; eſt igitur concluſio Tridentini, quòd mandata numquam ſunt poſſibilia iis, qui poſt imploratum Dei auxilium ea tranſgrediuntur; & hoc, ſi ſuperis placet, ſignificant illa verba, *Deus impoſsibilia non jubet, ſed jubendo monet & fa-*

cere quod poſsis, & petere quod non poſsis, & adjuuat vt poſsis.

Atqui euidens eſt ex doctrina Tridentini, verba hæc, *& adjuuat vt poſsis*, accipienda eſſe vti ſonant, hoc eſt in ſenſu abſoluto, non in ſenſu hypothetico ſeu conditionato, vt facit Ianſenius in ſuo, *ſi exaudiat.* Concilium enim cùm dixiſſet in eodem capite ſuprà citato, juſtificatos *eò magis eſſe obligatos ad ambulandum in via Domini, quò proficere poſſunt per Chriſtum Ieſum*, rationem affert, *Deus namque ſuâ gratiâ ſemel juſtificatos non deſerit, niſi ab eis priùs deſeratur.*

Vbi clariſſimè conſtat à Tridentino hæc eſſe concatenata & connexa, Obligantur juſtificati bene viuere, quia poſſunt per Chriſtum; poſſunt per Chriſtum, quia Deus ſuâ gratiâ non deſerit, niſi priùs deſeratur; itáque ſi Deus gratiâ ſuâ deſereret, non poſſent: & ſi non poſſent, non obligarentur: & ſicut obligatio eſt abſoluta, ita etiam facultas illa bene viuendi, quæ eſt ratio cur obligemur, eſſe debet abſoluta; & aſſiſtentia gratiæ, quæ dat illam facultatem, debet eſſe pariter abſoluta.

Fit autem adhuc euidentius ex ſequenti cap. 13. ejuſdem
„ ſeſſ. 6. vbi de perſeuerantia Concilium ſic loquitur: Nemo ſi-
„ bi certi aliquid abſolutâ certitudine polliceatur, TAMETSI
„ IN DEI AVXILIO FIRMISSIMAM SPEM collocare, & repone-
„ re omnes debent. Deus enim niſi ipſi ipſius gratiæ defuerint,
„ ſicut cœpit opus bonum, ita perficiet operans velle & perfi-
„ cere. Quòd ſi contingens eſt, vt vult Ianſenius, quòd Deus adjuuet juſtificatos dando illis gratiam, quæ neceſſaria eſt vt poſſint reſiſtere tentationi; ſi frequentiſſimè illam negat, & majori hominum parti, nempe omnibus, qui poſt acceptam juſtitiam, relabuntur in peccatum mortale; cui poteſt eſſe certum quòd ipſi non deerit neceſſarium auxilium? Quòd ſi hoc certum eſſe nequit, quomodo poterit quis *firmiſsimam* ſpem in eo reponere? Quaſi verò in re contingenti, dubia, incerta, & quæ vtplurimum deeſt, poſsit aliquis firmiſsimam ſpem collocare? Et quid eſt quod ſequitur; *Deus enim niſi ipſi defuerint, perficiet opus bonum?* Nonne clariſsimum eſt, ſi vera eſſet doctrina Ianſenii, dicendum potiùs fuiſſe, *ipſi enim, niſi Deus defuerit, perficient opus bonum?* Fac Deum non deeſſe, fac dare gratiam, quæ neceſſaria eſt ad perficiendum opus bonum, & operandum velle & perficere, quæ non poteſt eſſe alia

quàm gratia actualis, (habitualis enim jam ſupponitur) hæc graria, inquit Ianſenius, ſemper eſt efficax. Ergo ſi erit, erit effectus, hoc eſt victoria tentarionis, & perficiet opus bonum qui acceperit illam, idémque operabirur velle & perficere. Ergo ſi hoc non ſuccedat, non poteſt eſſe alia ratio, quàm quia defuit illa gratia. Quomodo ergo dicirur, *niſi ipſi defuerint?* Non deſit Deus, ipſi juxta Ianſenium, non deerunt. Nempe Concilio certum eſt, nulli juſtificato deeſſe gratiam in ſingulis occaſionibus ad vitandum peccarum neceſſariam, ſed ejuſmodi gratiam eſſe talem, quæ vincendi faculratem afferat, non tamen neceſsitatem: poſſe igitur juſtificatos eſſe ſecuros, quòd non deerit per Dei gratiam vincendi poteſtas, ſed non poſſe eſſe ſecuros, quòd non deerit ipſorum liberi arbitrii cooperatio.

Hæc eſt manifeſta Tridentini Concilii doctrina, Ianſenianæ Theologiæ diametraliter oppoſita.

Quæ ſit doctrina S. Auguſtini.

SVPERERAT examinandum quid ſentiat S. Auguſtinus: Sed cùm ſit perſpecta Oecumenici Concilii doctrina, non oportet ſollicitum eſſe de doctrina S. Auguſtini, cùm ſit certum, ſi vera ſir Auguſtini ſententia, ſicut omnino eſt, non poſſe contrariam eſſe Tridentino. Id verò ſi vſquam aliàs, hoc præſertim in loco fatendum eſt. Verba enim illa Tridentini, *Deus impoſsibilia non jubet, &c.* ſumpta ſunt ex Auguſtini cap. 43. de natura & gratia, qui non contentus hoc ſemel dixiſſe, id iterum inculcat, & *firmiſsimè* credendum dicit cap. vltimo. Nec tantùm in illo libro, ſed etiam in lib. de pecc. mer. & remiſſ. cap. 3. vbi concedit quòd dicebant Pelagiani, *& à nullo Catholico negari dicit*, Deum non præcipere homini impoſſibilia; verba ſunt Auguſtini quæ ſequuntur, Acutè, *inquit*, « ſibi videntur dicere QVASI NOSTRVM HOC QVISQVAM IGNORET, « quòd ſi nolumus non peccamus, nec præciperet Deus homi- « ni quod eſſet humanæ impoſſibile voluntati. Idem inculcat ibidem cap. 6. idémque omnino ſignificat quod eſt in cap. 16. de gr. & libero arbitrio. Magnum aliquid Pelagiani ſe ſcire « putant, quando dicunt, non juberet Deus quod ſciret non «

„ poſſe ab homine fieri. Qvis hoc nesciat? ſed ideo jubet „ aliqua quæ non poſſumus, vt ſciamus quid ab illo petere debeamus. Quod eſt, quæcumque Deus jubet, poſſibilia eſſe, ſin minus per naturam, ſaltem per gratiam. Idem ſerm.61.de Temp. & iterum ſerm. 191. etiam de Temp. his verbis: *Execramur etiam blaſphemiam eorum, qui dicunt impoſſibile aliquid à Deo præceptum eſſe, & præcepta Dei non à ſingulis, ſed ab omnibus in commune poſſe ſeruari.* Hæc ſanctus Auguſtinus, vbi etiam concludit ſe hanc fidem in Eccleſia Catholica didiciſſe.

Quod autem Auguſtinus hîc *execratur*, Baſilius homilia quæ incipit, Attende tibi, *impium*, vocat.

Vnde colligas cur dixerit Trident. Concilium à Patribus ſub anathemate *damnatam* eſſe vocem illam, & quàm ſtupenda fuerit Ianſenii confidentia, qui phraſim Auguſtino *execrabilem*, Baſilio *impiam*, Tridentino *temerariam* & *ſub anathemate damnatam*, cum tanta licentia vſurpare auſus eſt.

Et ne quis putet verba illa Concilii Tridentini *& adjuuat vt poſſis*, quæ non ſequuntur in eodem contextu apud Auguſtinum, præter illius mentem fuiſſe à Concilio addita, legat cap.67. ejuſdem lib.de nat. & gratia, & comperiet non aliunde, quàm ex Auguſtino fuiſſe aſſumpta. Nam cùm ibi S. Doctor enumeraſſet quot modis nos Deus adjuuet ad vincendam ignorantiam & concupiſcentiam; quæ ſunt duo capitalia naturæ corruptæ vitia, concludit lapſus noſtros non ex impotentia, ſed ex negligentia conſequi, ſolutâ, quæ ſequitur naturam, neceſſitate cadendi, per acceptam ex diuina „ gratia poteſtatem: verba ejus hæc ſunt. Non tibi ad culpam „ imputatur, quòd inuitus ignoras, ſed quòd negligis quæ„ rere quod ignoras: neque illud quòd vulnerata membra non „ colligis, ſed quòd volentem sanare contemnis.

Confirmabitur hoc ipſum ex ſequentibus, præſertim ex eo quod eſt in libro de gratia & libero arbitrio: *Homo ergo & gratiâ juuatur*, ne sine causa volvntati eivs ivbeatvr. Et iterùm; *Quare jubet ſi ipſe daturus eſt? quare dat ſi homo facturus eſt? niſi quia dat quod jubet, &* adivvat vt faciat cvi ivbet. Ita enim habent editiones antiquæ Auguſtini, & nupera operum contra Pelagianos, quam Ianſeniani curarunt Pariſiis anno 1644. apud Antonium Vitré, vt dubium eſſe

cap.4.

cap.15.

non poſſit quin, illud Tridentini *& adjuuat vt poſſis*, ex Auguſtino quoque ſumptum ſit. Quibus addi poteſt quod dicit in libro jam citato de natura & gratia. cap. 34. Vitia ſanè noſtra « quæ ſanat, non diuino operi, ſed humanæ voluntati, juſtæ- « quæ illius vindictæ tribuamus. SED VT IN NOSTRA PO- « TESTATE FVISSE NE ACCIDERENT CONFITEMVR, « ita vt ſanentur in illius magis eſſe miſericordia, quàm in no- « ſtra poteſtate fateamur. Loquitur Auguſtinus de peccatis il- « lis, ſine quibus Pelagius putabat viuere hominem poſſe, quibúſque vitandis negabat neceſſarium eſſe Dei adjutorium, vt patet ex ſermonis contextu. Ea igitur Auguſtinus cum Catholicis, fuiſſe *confitetur in noſtra poteſtate* ne acciderent; quod eatenus tantùm verum eſſe poteſt, quatenus verum eſt fuiſſe in noſtra poteſtate, vt ſeruaremus præcepta, quorum tranſgreſſione contracta ſunt. Atque ita S. Auguſtinus omnibus modis docet eſſe poſſibilia tranſgreſſoribus mandata, numquam & nuſquam dicit eſſe impoſſibilia.



NOTANTVR ALIQVOT Janſenii fallaciæ in referenda Sancti Auguſtini ſententiâ, de poſſibilitate diuinorum mandatorum.

SED quia res iſta plurimum refert ad judicium de abſoluendâ vel damnandâ Ianſenii Theologiâ, juuat paululùm immorari in excutiendâ confuſâ illâ & incompoſitâ congerie teſtimoniorum, quæ affert, vt mandatorum quam perſuadere conatur impoſſibilitatem Auguſtini authoritate conſtituat. Spero enim compertâ illius vel parum ſincerâ fide, ſi ſciens fecit, vel oſcitantiâ ſi non aduertit, ita muniendum Lectoris animum, vt intelligat minimè tutum eſſe in reliquis deinde controuerſiis, quas ille minore ſtudio atque attentione proſequutus eſt, fidem ſuam committere huic Auctori.

FALLACIA PRIMA.

ERGO notanda inprimis eſt illa prima Fallacia, quæ committitur in acceptione verborum illorum S. Auguſtini, *Deus impoſsibilia non jubet, ſed jubendo monet, facere quod poſſis, & petere quod non poſſis.* Nam cùm aduerſatiua illa, *ſed jubendo monet*, rationem contineat propter quam Deus non cenſetur jubere impoſſibilia; neceſſariò ſupponi debet alterutrum duorum illorum quæ Deus monet, non eſ-

ſe impoſſibile; nempe, vel exequi immediatè quod iubetur, vel exequendi facultatem orando petere. Et ita rectiſſima eſt, veriſsimáque illius propoſitionis intelligentia, Deus impoſsibilia non iubet, quia cùm det tibi vel poteſtatem exequendi quod iubet, vel poteſtatem orandi ad impetrandum eam virtutem, quæ tibi deeſt; iubendo monet vt alterutrum facias; nempe vt vel exequaris quod iubet, vel ſi non potes, vt orando poſtules exequendi virtutem; alterutrum enim potes, & alterutro iubenti ſatisfacis: ideóque offendis, quia vtrumque omittis. Hæc planiſsima eſt & ſinceriſsima ſententiæ illius interpretatio. Quæ iuxta doctrinam Ianſenii inſulſiſsima fit, atque ineptiſsima. Ianſenius enim ſupponit vtrumque ſimul eſſe impoſsibile in tranſgreſſore præcepti, nempe, exequi immediatè quod præcipitur, & orare ad impetrandam exequendi facultatem. Supponamus v. g. peccare aliquem quòd omittat actum caritatis, quando vrget illius præceptum: ille nec habet gratiam, quæ immediatè requiritur ad exercitium illius actus; nec habet gratiam ad orandum eo modo, quo debet orari vt illam obtineat: ac proinde vtrumque eſt illi impoſsibile, & amare, & orare, vt orari debet ad obtinendam amandi gratiam; & tamen damnabiliter peccat, non amando. Quid ergo dicemus huic peccatori? Deus tibi non præcipit rem impoſsibilem, ſed præcipiendo monet vt alterum è duobus facias, quorum vtrumque impoſsibile tibi eſt. Nam amare modò quando teneris, tibi eſt impoſsibile, defectu gratiæ ad amandum requiſitæ: Orare verò ad obtinendam illam amandi gratiam, tibi pariter eſt impoſsibile, defectu alterius gratiæ ad orandum ſimiliter requiſitæ; atque ita Deus non præcipit tibi quod eſt impoſsibile, ſed quidquid præcipiendo monet, tibi eſt impoſsibile. Vide, Lector, quid ſit de illis ſentiendum, qui S. Auguſtinum, quinimo & Concilium Tridentinum in eiuſmodi abſurda compellunt. Nam quòd Ianſenius ſupponat ipſam quoque orationem eſſe impoſſibilem in illo caſu, & in quolibet ſimili, probat titulus capitis citati, vbi ſupponit non ſolùm deeſſe gratiam, qua tentationes ſuperentur, *ſed etiam ſpiritum orationis, quo vires impetrentur.* Vnde poſtea: Non " enim exigua quorumdam HALLVCINATIO eſt, quà putant " *Cap. 1. lib. 13. de gr. Salu.*

„ſemper adeſſe homini gratiam, vt petat, ac tum ardenter petat vt infallibiliter impetret id quod petit. *Et mox.* Cùm ergo plurimi vel non petant gratiam illam, QVA POSSINT AC SVFFICIANT præcepta facere: vel non ita petant, vt ad impetrandum neceſſarium eſt; nec omnibus gratiam vel ferventer petendi, vel omnino petendi Deus largiatur; apertiſſimum eſt FIDELIBVS MVLTIS DEESSE ILLAM SVFFICIENTEM GRATIAM, ET CONSEQVENTER ILLAM PERPETVAM QVAM QVIDAM PRÆDICANT FACIENDI PRÆCEPTI POTESTATEM.

Suppoſito igitur illo defectu gratiæ ſufficientis ad orandum, quomodo ſtabit veritas Auguſtinianæ illius & Tridentinæ ſententiæ, cùm ſit ita interpretanda, Deus impoſſibilia non jubet, ſed jubendo monet vt facias id ad quod non ſufficis, ſiue ad quod non habes poteſtatem, ac proinde quod tibi eſt impoſſibile?

FALLACIA SECVNDA.

SECVNDA Fallacia eſt, Quia cùm velit Ianſenius omnia iſta ex doctrina S. Auguſtini definiri, oſtendendum erat ex Auguſtino id quod jam dixit, nimirum quando occurrit occaſio & neceſsitas implendi præceptum, Deum negare gratiam illam & facultatem orandi, quæ neceſſaria eſt, & ex cujus defectu ſequitur damnabilis tranſgreſsio. Ille verò ad hoc probandum affert vnicum tantùm Auguſtini locum ex quæſt. 2. ad Simplicianum; ex quo nullo prorſus modo id probatur. Quia S. Auguſtinus ibi tantùm probat nos indigere gratia Dei ad orandum: hoc autem probat ex ariditate ac tepiditate, quam viri ſpirituales, & ſancti patiuntur, quando Deus illos ad tempus aliquando deſerit, vt experiantur „ipſi ſemetipſos. Nonne, *inquit*, aliquando ipſa oratio noſtra, „ſic tepida eſt, vel potiùs frigida, ac penè nulla, imò interdum omnino ita nulla, vt neque hoc in nobis cum dolore „aduertamus? Quia ſi vel hoc dolemus, jam oramus. Quid „ergo aliud oſtenditur nobis, niſi quia & petere, & quærere,

& pulſare ille concedit, qui vt hæc faciamus jubet? Ita ſa- «
nè, ſed jubet-ne vt hæc faciamus, hoc eſt vt oremus illo tempore, quo nullam dat orandi poteſtatem? Hoc nullo modo dicit Auguſtinus, & hoc tamen dicendum fuit, vt hoc teſtimonium Ianſenio prodeſſet: qui poterat obſeruaſſe ex Commentario in Pſalm. 106. tædium hoc & difficultatem orandi iis accidere, qui ſunt extra periculum aliarum tentationum. Iam non te illicit adulterium, nec tamen delectat «
Dei verbum. Iam poſt periculum imperitiæ, & concupi- «
ſcentiæ, de quibus duobus te euaſiſſe lætaris, vide ne tæ- «
dium, faſtidiúmque te necet. Defunctis periculo concupi- «
ſcentiæ, ſurrepit tædium ex Auguſtino, ſubtractâ ſcilicet ad orandum abundantiore gratiâ. An autem ea omnino tollatur vrgente præſertim tentatione, judicet idem Auguſtinus, & Lector etiam judicet, an Ianſenius toties voluendo, toties verſando, veritatem apud illum toto corde quæſierit, dum hæc non aduertit. *Si qui verò ſunt, quibus hæc medicamenta non* Serm. 182.
congruant, vt vel eleemoſynam dare non poſſint, propter nimiam pau- de Temp.
pertatem; aut jeiunare, propter ſtomachi imbecillitatem, habent tertium genus medicinæ, à quo ſe excuſare non poterunt, niſi qui morbos animæ ſuæ ſanare contempſerint. Hoc ergo medicamentum QVOD NVLLI SANÆ MENTI DEESSE POTEST, *ſtudioſè & piè frequentent, implentes illud Apoſtolicum præceptum,* SINE INTERMISSIONE ORATE. Oſtendo vbi affirmauerit Auguſtinus ſemper adeſſe in occaſione peccandi orandi copiam; Ianſenius numquam potuit oſtendere, vbi negarit.

FALLACIA TERTIA.

TERTIA Fallacia eſt, dum ex eo quòd per præceptum monemur vt petamus quod non poſſumus, colligit nos igitur non poſſe implere præceptum. *Quia*, inquit, *ſi adeſt gratia, quâ præceptum implere ſufficientes ſimus & poſſimus, ſtultum eſt orando ſatagere vt poſſimus.* Quaſi verò nulla ſint incrementa iſtius poteſtatis: nec vtiliter petatur, vt quod fortè per gratiam jam conceſſam poſſumus, per illius augmentum abundantiùs poſſimus. Auguſt. lib. de Gratia & Libero Arbitrio,

cap. 18. cùm dixiſſet præcepto caritatis admonitum Liberum Arbitrium vt quærat Dei donum, addit: *Quòd quidem ſine ſuo fructu prorſus admoneretur, niſi priùs acciperet aliquid dilectionis,* VT ADDI SIBI QVÆRERET, VNDE QVOD IVBEBATVR IMPLERET. Sed eſt aliud hac in parte, in quo meritò liceat deſiderare ſublimitatem illam Ianſenianarum cogitationum. Nam primò cùm dicit *ſtultum* eſſe orando ſatagere, vt quod poſſumus, poſſimus; neſcio quomodo non viderit perinde ſtultum eſſe, ſi nec eſt, nec datur vlla orandi poteſtas, jubendo monere hominem vt oret; idem enim eſt ac monere vt per aërem volet. Poteſt, inquit, orare ſi velit; at inquam, poteſt-ne velle? Si poteſt, habet gratiam ſufficientem, quam negas, ſi non poteſt; idem eſt monere vt velit, & monere vt volet, quia vtrumque illi perinde impoſſibile eſt.

Deinde ea loca, quæ producit Ianſenius, quibus Auguſtinus ſignificat Deum aliquando gratiam ſuam ſubtrahere etiam hominibus ſanctis, docent nos, Deum ideo ſubtrahere vt homines ſuæ infirmitatis conſcii ad ejus miſericordiam confugiant; hoc enim ſignificat quod refertur ex appendice „ ſerm. 3. Habes & adjutorem, qui te ſpectat pugnantem, SVBLEVAT LABORANTEM, ſed ſi inuenit ſperantem, odit „ enim ſuperbientem. *Et illud ex lib. de Perfect. Iuſtitiæ cap.* 10. „ Non aliam ob cauſam ſcriptura commemorat, non eſſe grauia diuina præcepta, niſi vt anima, quæ illa grauia ſentit, intelligat ſe nondum accepiſſe vires, quibus talia ſint præcepta „ qualia commendantur; leuia ſcilicet atque ſuauia, ET ORET „ GEMITV VOLVNTATIS, VT IMPETRET DONVM FACVLTATIS. Adde quod eſt in lib. de gratia & lib. arbit. „ c. 4. Si dixerit, tentatus à concupiſcentia & illectus, volo ſeruare, ſed vincor à concupiſcentia mea; reſpondet ſcriptura libero ejus arbitrio; Noli vinci à malo, ſed vince in bono „ malum. Quod tamen vt fiat, adjuuat gratia. Ergo & victoria qua peccatum vincitur, nihil aliud eſt quàm donum Dei „ in iſto certamine adjuuantis liberum arbitrium; propter quod „ dicit cœleſtis magiſter: VIGILATE ET ORATE vt non intretis in tentationem. Mitto alia ſexcenta quæ ſunt apud Auguſtinum, & quæ à Ianſenio paſſim referuntur, cùm do-

cet jugo legis ideo grauatos fuiſſe Iudæos, vt grauati, ad gratiam recurrerent. Eòdem ſpectant quæ referuntur initio capitis illius 13. in lib. 3. de Gratia Salu. ex libris de Natura & Gratia, de Spiritu & littera, de Perfect. juſtitiæ, de Gratia & lib. arbit. *Nos commoneri præcepto, quo conantes & noſtris viribus non valentes*, ADIVTORIVM DIVINVM PRECEMVR. Et, *Ideo lex jubet, vt admoneat quid faciat fides, vt cui jubetur, ſi nondum poteſt*, SCIAT QVID PETAT. Et, *Conſultiſſimè homini præcipi vt rectis paſſibus ambulet, & cùm ſe non poſſe perſpexerit*, MEDICINAM REQVIRAT. *Ideo aliqua jubet quæ non poſſumus, vt ſciamus* QVID AB ILLO PETERE DEBEAMVS. Et, *Præcepto admonitum liberum arbitrium, vt quæreret Dei donum* de Gr. & lib. arbit. c. 18. Hæc enim omnia ſignificant intentionem Dei eſſe, vt cùm vnum è duobus non poſſumus facere, faciamus alterum. Duo, inquam, ſunt, implere præceptum, & implendi vires petere. Præcipit Deus vt impleamus præceptum, inquit Auguſtinus, etiam quando non poſſumus, vt ſaltem oremus. Ianſenius jam addit, iſtud quoque orare, ſicut oportet, ad vitandum tranſgreſſionis crimen, tranſgreſſoribus eſſe impoſſibile, negatâ orandi poteſtate. Quis autem vnquam adeò inſaniuit, vt vnum impoſſibile præciperet, quo aliud peræquè impoſſibile obtineret? Paralyticus eſt aliquis, idémque mutus, nec ambulare poteſt, nec loqui: ſapienter faciam, ſi jubeam illum ambulare, ad hoc vt ſaltem loquatur & dicat quare non poſſit? Negatâ Dei gratiâ & ad exequenda mandata, & ad orandum, paralyticus eſt peccator & mutus: quæritur, quare Deus præcipit illi vt ambulet, cùm non poſſit? reſpondetur, vt cùm intelligit ſe non poſſe, ſaltem loquatur & oret; atqui etiam hoc impoſſibile eſt. Non contendo jam Deum non poſſe præcipere homini aliquid impoſſibile, quamquam hoc per ſe ſit abſurdiſſimum, ſed dirigere præceptum rei vnius impoſſibilis, ad obtinendam rem aliam perinde impoſsibilem, quod Ianſeniani Deo tribuunt, quis non videt inſanum eſſe? Equidem neſcio vbinam gentium illi auditores nanciſci poſſint iſtarum ineptiarum capaces.

Et creſcit abſurditas ex eo quòd Ianſenius quoque dicit eos, qui non potuerunt exequi mandatum, debuiſſe orare;

Tom. 3. l. 3. de grat. Salu. c. 13. quaſi vellet ideo coarguendos, quòd cùm illud non poſſent iſtud omiſerint. *Hoc fuit*, inquit, *proprium S. Petri malum, nempe, quòd de ſua fortitudine multa promitteret,* PRO QVA IMPETRANDA ORARE DEBVISSET. Debuiſſet omnino, ſed poterat-ne? Si poterat, cùm non fecerit, ſequitur habuiſſe gratiam, quæ daret poſſe & non ipſum velle, quo nihil magis horret Ianſenius. Si non poterat, eſt igitur reprehenſibilis, quòd non fecerit vnum impoſſibile, ad aliud ſimiliter impoſſibile vitandum, ſeu quòd pro obtinenda vna re impoſſibili, non adhibuerit medium, quod erat illi pariter impoſſibile. Et ſanctus Auguſtinus viginti duobus annis excutiendus fuit, vt reconditam adeò ſapientiam reuelaret?

FALLACIA QVARTA.

QVARTA Fallacia eſt, quòd Auguſtini teſtimonia Ianſenius transferat ab vna quæſtione ad aliam, quando enim agimus de poſſibilitate, vel impoſſibilitate mandatorum, ſingulares caſus ſigillatim accipimus, & quærimus v. g. de illo, qui conſenſit in appetitum vindictæ, an in eo ſtatu in quo erat, potuerit non conſentire. Item, vtrum ille, qui conſenſit in concupiſcentiam alienæ vxoris, in eo ſtatu, in quo tunc erat, hujuſmodi conſenſum abſtinere potuerit; & ſic de cæteris. Præter hanc quæſtionem reſtat alia, quæ complectitur totam collectionem omnium occaſionum, & tentationum, quæ poſſunt longo tempore occurrere, v. g. per totam vitam, petitúrque, an poſſit homo ſine gratia ſpeciali conſtans eſſe, perpetuóque peccatum vitare. Hæc autem quæſtio longè diuerſa eſt. Nam vt facilè contingere poteſt, vt quis, qui non eſt admodum jaculandi peritus, nec viſu ſatis acuto, nec manu valdè firmâ, ſi ſpectemus ſigillatim & diuiſim quamlibet jaculationem, ſcopum attingat: eſt autem moraliter impoſſibile, vt multos dies jaculando numquam aberret, niſi vis aliqua ſuperior illum direxerit; ita poſſibile quidem eſt hominem caligantem intellectu in bono cognoſcendo, & in amando voluntate infirmum, cum communibus præſidiis, cum quibus habet indifferentem amandi vel non amandi boni, & fugiendi vel non fugiendi mali pote-

ſtatem, in qualibet ſigillatim occaſione malum fugere, ſeruando præceptum: eſt autem moraliter impoſsibile ſine prouidentia ſpeciali & directione cauſæ ſuperioris, vt longo tempore occaſionibus illis frequenter occurrentibus numquam ſuccumbat. Et in hoc differt ſtatus naturæ lapſæ à ſtatu naturæ integræ. Nam in hac, cùm nullus eſſet cognitionis defectus, nulla voluntatis infirmitas, nulla tentatio concupiſcentiæ, poterat homo diu viuendo abſtinere ab omni peccato, præſertim graui, quod modò non poteſt.

Nolebant tamen Pelagiani diſcrimen hoc admittere, ſed quod poterat primus homo ante lapſum, idipſum poſſe jam dicebant quemlibet alium. Et ideo, nec ſpecialem gratiam putabant eſſe ad perſeuerandum neceſſariam; & fieri poſſe dicebant ſolis viribus liberi arbitrii, quale jam eſt, vt toto vitæ tempore careremus peccato, & omnia mandata in quibuſcumque occaſionibus & tentationibus ſeruaremus. Auguſtinus hunc errorem perpetuò refutat; & quæ dicit in eo refutando, Ianſenius transfert ad ſingulas ſeorſim peccandi occaſiones, vt probet eos, qui præceptum aliquod tranſgrediuntur, deſtitui neceſſario ad illud ſeruandum auxilio: ac proinde impoſsibilem illis eſſe obſeruationem, etiam volentibus.

V. g. vt probet præceptum eſſe impoſsibile etiam volenti, *Cap. 7.* E affert illud ex lib. de Perfect. Iuſtitiæ: *Non igitur poteſt homo eſſe ſine peccato, etiam ſi velit, niſi adjuuet gratia Dei per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum.* Sed eſt manifeſtum non reſpici ab Auguſtino, cùm hoc dicit, vnum ſingularem actum, ſed diuturnam à peccato etiam veniali abſtinentiam, vt conſtat ex ejuſdem libri concluſione, in qua quid intendat reducit *Cap. 11.* ad hæc duo capita: vt nemo putet *ſe ſine gratia liberari poſſe à peccato*, nimirum quod vel commiſit, vel ex Adamo contraxit. Secundò, vt nemo dicat *ſe poſt acceptam remiſsionis gratiam, ita juſtè viuere poſſe*, VT NVLLVM HABEAT OMNINO PECCATVM, nec egeat oratione illa, *Dimitte nobis debita noſtra*, quaſi verò, *numquam vel in lapſu linguæ, vel in oblectanda cogitatione concupiſcentiæ deſideriis*, ALIQVANTVLVM CONSENTIREMVS. Vide quid intendat Auguſtinus, ne dicamus poſſe *nos nullum habere omnino peccatum*, & *numquam, ne*

aliquantulum quidem, nos conſentire concupiſcentiæ deſideriis. Hoc verò quis non videt non ſpectare vnam peccandi occaſionem, ſed omnes, atque totum ipſius vitæ tractum? Eumdem omninò ſenſum habet quod refert ex cap. 3. vbi dicitur: *Cùm vult homo eſſe ſine claudicatione, non continuò poſſe*, Quia ſcilicet ſi non claudicet in hac occaſione, claudicabit in alia. Nec aliud vult Auguſtinus in alio etiam loco, quem
» citat Ianſenius ex tractatu de ouibus, vbi dicit: Eſt autem
Cap. 1. » & hic vnde illi placeamus, ejus miſericordiam in his depre-
» cando, à peccatis nos quantum poſſumus abſtinendo, in quan-
» tum autem non poſſumus CONFITENDO ET PLANGEN-
» DO. Reſpicit enim Auguſtinus totam hanc vitam, de qua dixit paulò antè, *neque enim in bono ſumus, dum in hoc ſæculo ſumus.* Et, *Cùm placebimus Deo in regione viuorum, tunc detergentur lacrymæ noſtræ, &c.* Vult igitur hoc tantùm, quandoquidem facere non poſſumus in hac vita quin aliquando labamur, etiam ſi quemlibet lapſum ſigillatim vitare poſſimus, vt recurramus ad remedium confeſſionis & planctus.

FALLACIA QVINTA.

QVINTA Fallacia præcedenti ſimilis, Quòd quæ dicit Auguſtinus de impoſſibilitate mutandi ſtatum, Ianſenius transfert ad impoſſibilitatem ſuſpendendi actum, quo præceptum tranſgredimur. Hæc enim duo diuerſa ſunt, non reſurgere à peccato jam commiſſo, &, addere peccatum peccato, noua tranſgreſſione præcepti. Nec ſequitur, vt ſi quis non reſurgit à peccato, quamdiu non reſurgit, ſit in actu peccandi. Vnde nec eſt etiam neceſſarium exiſtimare Deum continuò dare peccatori gratiam actualem, quæ neceſſaria eſt ad perfectam contritionem, vel etiam ad bonam & efficacem confeſſionem, qua poſſit emergere ex illo ſtatu. Eſto, habeat ille velleitatem aliquam & inefficacem quemdam voluntatis niſum ad emergendum. Quòd ſi moreretur in eo ſtatu, damnaretur ille quidem propter peccatum, in quo jacet, ſed non propter peccatum, quod committit non reſurgendo; quia ex hypotheſi fieri poteſt, vt nullum in eo com-

mittat, negatâ præſertim reſurgendi gratiâ. Errabant autem Pelagiani, non ſolùm quia putabant eſſe homini poſſibile, attentis tantùm liberi arbitrii viribus, non incidere in nouum peccatum, ſeruando præcepta omnia, vt jam dictum eſt, ſed etiam quia putabant poſſe illum iiſdem viribus mutare voluntarem, & obtinere commiſſi jam peccati remiſſionem. Diſtinguit Auguſtinus vtrumque errorem in lib. de Perfectione juſtitiæ, contra Cæleſt. his verbis. Quiſquis ergo fuiſſe vel eſſe in hac vita aliquem hominem, vel aliquos homines putat, excepto vno mediatore Dei & hominum, quibus neceſſaria non fuerit remiſſio peccatorum, contrarius eſt diuinæ ſcripturæ, &c. hic eſt primus error; Et mox, *Quiſquis autem dicit, poſt acceptam remiſſionem peccatorum, ita quempiam hominem juſtè vixiſſe in hac carne vel viuere; vt nullum habeat omnino peccatum, contradicit Apoſtolo Ioanni, &c.* hic error alter eſt. « « « « *Cap. 2.*

Non eſt igitur ad rem, quod dicit Auguſtinus de impoſſibilitate emergendi à peccato, referre ad probandam impoſſibilitatem non peccandi. Et tamen hoc facit Ianſenius. Nam quod refert de illa pugna inter carnem & ſpiritum, quam ſentiebat Auguſtinus tempore conuerſionis ſuæ, quid aliud ſignificat quàm impoſſibilitatem (ſi velit ita vocare, nec contentus eſt vocaſſe difficultatem) emergendi à peccato, & voluntatem ex toto mutandi? Peccabat-ne Auguſtinus tunc? Quod præceptum tranſgrediebatur? Quis illum dum ita pugnaret, noui peccati reum fecit? Si quis eſſet in Sanctum Doctorem ita contumelioſus, reuinceretur illius verbis, qui dum alia ſua peccata tam libenter confiteretur, iſtud negat. Vide enim quid dicat: Sic intelligebam meo ipſo experimento, id quod legeram, quomodo caro concupiſceret aduerſus ſpiritum, & ſpiritus aduerſus carnem. Ego quidem in vtroque, ſed magis ego in eo, quod in me approbabam, quàm in eo, quod in me improbabam. Ibi enim magis ego jam non ego, quia ex magna parte id patiebar inuitus, quod faciebam volens. Sed tamen conſuetudo aduerſum me pugnacior ex me facta erat, quoniam volens quò nollem perueneram. Quæ verba ſi cui ſunt obſcura legat ſequentia. Ego cùm deliberabam vt jam ſeruirem Domino Deo meo, ſicut diu diſpoſueram, ego eram « « « « « « « « « «

Lib. 3. de grat. Salu. cap. 13.

Lib. 8. Confeſſ. cap. 5.

cap. 10.

„ qui volebam, ego qui nolebam. Ego ego eram. Nec plenè „ volebam, nec plenè nolebam. Ideo mecum contendebam „ & diſſipabar à me ipſo. Et ipſa diſſipatio me inuito quidem „ fiebat, nec tamen oſtendebat naturam mentis alienæ, ſed „ pœnam meæ. Et ideo NON IAM EGO OPERABAR IL- „ LAM, ſed quod habitabat in me peccatum de ſupplicio li- „ berioris peccati, quia eram filius Adam. Quid quæſo eſt, *ego non operabar illam*, & quid ſignificat, niſi quod ſignificat
Rom. 7. S. Paulus, cùm dicit, *non ego operor illud*, id eſt non illi conſentio? Ergo ita non vincebat Auguſtinus concupiſcentiam, quâ retrahebatur ab obſequio Dei, vt tamen nec ipſe ab eâ conſentiendo vinceretur, ac proinde neque nouum peccatum committeret. Quod adhuc ſtatim magis explicat his
Ibid. c. 11. „ verbis: Dicebam enim apud me intus. Ecce modò fiat, mo- „ dò fiat, & cùm verbo jam ibam in placitum, jam penè facie- „ bam, & non faciebam, NEC RELABEBAR TAMEN IN PRISTINA, „ ſed de proximo ſtabam & reſpirabam, &c. *Et iterum*, Plus in me „ valebat deterius inolitum, quàm melius inſolitum, punctúm- „ que ipſum temporis, quo alius futurus eram, quanto propiùs „ admouebatur, tanto ampliorem incutiebat horrorem, SED „ NON RECVTIEBAT RETRÒ, NEC AVERTEBAT, ſed „ ſuſpendebat. Diceres deſcribi pugnam inter obſeſſos in arce quadam munitiſſimâ, & obſidentes, vbi ſinguli paſſus diſputandi ſunt, dum qui obſident neque ſe retrorſum auerti patiuntur, nec qui obſidentur, alios ſine difficultate ac periculo progredi. Sed quòd non *relaberetur* Auguſtinus *in priſtina*, quòd non approbaret *deterius*, jam *inolitum*, quòd non *recuteretur retrò*, non *auerteretur*, tantùm *ſuſpenderet*, nonne euidenter monſtrant innocentem fuiſſe pugnam, nec in ea victum eſſe Auguſtinum, ac proinde nec peccaſſe?

Quis ergo non jam meritò requirat ad quid allata ſint à Ianſenio S. Auguſtini loca illa ex 8. Confeſſ. quibus ſignificat ſe aliquid boni voluiſſe, quod aſſequi non poſſet; hoc eſt, voluiſſe emergere ex peccato & voluntatem ex toto commutare ex bona in malam, nec tamen tunc potuiſſe? Diſputamus vtrùm quando deſunt vires ad vitandum quod tranſgreſſione alicujus præcepti contrahitur, reuerà illud contrahatur; & vt probetur contrahi, affertur exemplum in

quo

quo neque præceptum vllum violatur, neque peccatum vllum incurritur? Quænam, quæſo, philoſophia iſta eſt? Idem dici poteſt de eo, quod refert ex 3. de lib. arbit. cap. 18. *Non habet homo in poteſtate vt bonus ſit, &c.* quia hîc etiam agitur, vt patet, de mutatione ſtatus & tranſitu ab eo quod eſt *eſſe malum*, ad id quod eſt *eſſe bonum.*

FALLACIA SEXTA.

SExta Fallacia eſt, Quòd ea quæ dicit Auguſtinus de impoſſibilitate vitandi aut ſupprimendi motus concupiſcentiæ, afferuntur ad oſtendendam impoſſibilitatem illis non conſentiendi. Præceptum enim non violatur culpabiliter, niſi dum liberè conſentitur; ac proinde, qui probare vult eſſe aliquando impoſſibile vt non violemus aliquod præceptum culpabiliter, oſtendere debet eſſe impoſſibile, vt non conſentiamus concupiſcentiæ, ad violandum impellenti. Atqui non conſentire, & non ſentire concupiſcentiæ motus, apud Auguſtinum diſtinctiſſima ſunt & ſeparabilia, vt ille millies ſignificat contra Pelagianos, hoc eſt, quoties occurrit occaſio tractandi de concupiſcentia, occurrit autem illa frequentiſſimè. Ita verò diſtinguit & ſeparat, vt quando non eſt conſenſus, ſint tamen illi motus in nobis, & nos non poſſimus impedire ne ſint, etiam ſi velimus. Hæc eſt enim ægritudo illa & infirmitas; quæ in hac vita curatur quidem ſenſim, ſed ita vt curatio non perficiatur, niſi in altera vita, vbi tantùm ſperanda eſt perfecta ſanitas, ab hoc morbo. Hoc fit, *inquit*, in credentibus & proficientibus renouatione interioris hominis de die in diem, donec fiat perfecta juſtitia, tanquam ſanitas plena. *Et mox*, Tunc erit plena juſtitia, quando plena ſanitas, tunc plena ſanitas, quando plena caritas, tunc autem plena caritas, quando videbimus eum ſicuti eſt. Et ratione hujus infirmitatis dicitur quidem de Sanctis in hac vita, quòd recedant ab omni peccato, ſed non quòd receſſerint: Aliud eſt, *inquit Auguſtinus*, recedere ab omni peccato, quod nunc in opere eſt, ALIVD RECESSISSE ab omni pec- *Ibid. c. 13.*

De perf. juſt. cap. 13.

„ cato, quod in illa perfectione tunc erit, hoc eſt in paradiſo.
cap. 10. „ *Et deinde.* Currimus ergo cùm proficimus, dum ſanitas no-
„ ſtra in proficientibus currit, ſicut etiam cicatrix currere di-
„ citur, quando bene vulnus, diligentérque curatur, vt ex om-
„ ni parte perfecti ſine vlla ſimus omnino infirmitate peccati,
„ quod non ſolùm vult Deus, verùm etiam vt impleatur facit,
„ atque adjuuat. Et hoc nobiſcum agit gratia Dei per Ieſum
„ Chriſtum Dominum noſtrum, DONEC IN NOBIS PERFICIATVR
„ SANITAS, & Deus, ſicut videndus eſt in æterna veritate, monſtretur. Ergo curatio ab iſto morbo ad hanc quidem vitam pertinet; ſed plena ſanitas ad aliam. Iam magis magiſque recedimus ab illa infirmitate, ſed numquam niſi poſt mortem omnino receſſerimus. Currit cicatrix, & vulnus ſenſim minuitur, ſed non tollitur, donec Deus ſicut videndus eſt in æterna veritate monſtretur. Interea tamen cùm illa concupiſcentia *nihil aliud ſit, quàm deſiderium peccati, eſt culpabilis & vitioſa: & non tantùm frænari, ſed omnino eſſe non debet:* & vt non ſit, pertinet ad præceptum diligendi Deum ex toto corde. *Nam cùm eſt adhuc aliquid carnalis concupiſcentiæ, quod vel continendo frænetur, non omnimodo ex tota anima diligitur Deus.* Præcipitur autem homini iſta perfectio, quamuis eam in hac vita non habeat; non quod hîc non habere, peccatum ſit: ſed vt ſciat ſe currendo diſponi debere, vt quod præcipitur in vita futura perficiatur. Imprimit autem Deus in animo fidelium odium illius & pugnandi atque expugnandi voluntatem, vt ab hoſte illo domeſtico liberentur: quo fit vt velint quod ſtatim habere non poſſunt, ſicut ægri, qui curantur, dum ſanitatem deſiderant, quam nondum obtinent, & ſicut in agone certantes victoriam expetunt, quæ adhuc differtur, atque ita rem petunt pro tempore, quo illam petunt, impoſſibilem. At inde non ſequitur peccare illos contra præceptum, quod pro illo tempore ſit illis impoſſibile, quia præceptum non exigit niſi vt pugnent, & hoc faciunt: vt non ſinant ſe vinci, & hoc faciunt: vt impediant ne regnet concupiſcentia, & hoc impediunt.

Ibid. c. 8. Ibid. c. 6. Ibid.

Atque hoc eſt illud peccatum à quo non poſſunt fugere, licèt velint, quia ſemper ineſt. Sed quamuis non poſſint ſe ab eo expedire, ſufficit quòd ei non conſentiant, ita enim

non regnat, & ſit peccatum mortuum & nihil nociturum. Quid vultis, *inquit Auguſtinus*, *ſerm. 3. de verbis Apoſtoli cap. 6.* vt omnino nullæ ſint concupiſcentiæ malarum & illicitarum delectationum? Quis ſanctus non hoc velit? SED NON EFFICIT, QVAMDIV HÎC VIVITVR, HOC NON IMPLETVR. Conſumere quidem illas atque finire & penitus extirpare omnino velle debetis, ſed quandiu ſunt in vobis, &c. *Idem tract. 41. in Ioan.* Quid volebat ille juſtus mente, ſeruiens legi Dei, niſi vt omnino non eſſet quod frænaretur? & hoc debet conari omnis, qui tendit ad perfectionem. *Et in lib. de Perfect. Iuſtit.* Bonum eſt non concupiſcere, & hoc bonum vult juſtus, qui ex fide viuit: & TAMEN FACIT QVOD ODIT, QVIA CONCVPISCIT, QVAMVIS POST CONCVPISCENTIAS SVAS NON EAT. Cùm verò non finit regnare peccatum in ſuo mortali corpore, ad obediendum deſideriis ejus, nec exhibet membra ſua arma iniquitatis peccato; INEST QVIDEM PECCATVM IN MEMBRIS EIVS; SED NON REGNAT, quia non obeditur deſideriis ejus. Et ideo dum non quod vult agit, id eſt, non vult concupiſcere & concupiſcit, conſentit legi, quia bona eſt; hoc enim vult & ipſe quod lex, quia vult ipſe non concupiſcere, & lex dicit, Non concupiſces. In hoc quoniam vult quod & lex vult, procul dubio conſentit legi: concupiſcit tamen, quia non eſt ſine peccato, SED IAM IPSE NON OPERATVR ILLVD, ſed id quod in illo habitat peccatum. IDEO NON IPSVM REPREHENDIT COR EIVS IN OMNI VITA EIVS. *Et iterum*, Non ergo eum reprehendit cor ejus, quando reprehendit peccatum, quod habitat in membris eius. Ecce peccatum quod volumus ne in nobis ſit, & tamen non poſſumus hoc obtinere, ſed peccatum, quod *ipſi non operamur*, de quo *non reprehendit nos cor noſtrum*. Ac proinde peccatum, de quo non eſt quæſtio, quando quæritur, vtrum aliquando ſit peccandi neceſſitas, orta ex præcepto pro tempore quo vrget impoſſibili. Quia tunc de peccato agitur propriè dicto, & viuo, quod cor noſtrum verè reprehendat. Eódémque ſpectat quod dicit Auguſtinus de Apoſtolis lib. 1. ad Bonif. cap. 12: Abſit vt dicamus, ſicut iſte calumniatur, ſemper immoderata libidine fuiſſe pollutos, ſed dicimus, A CONSEN-

cap. 11. de perf. juſt.

» SIONE PRAVARVM LIBIDINVM LIBEROS, de concupiſcen-
» tia tamen carnis, quam moderando frænabant, tanta humi-
» litate & pietate gemuiſſe, vt optarent eam non habere po-
» tiùs quàm domare. Hoc igitur id tantùm eſt, quod Sancti volunt & non poſſunt.

de perf. juſt. cap. 4. Dico autem Ianſenium alterum pro altero ſumere. v. g. quando citat illud Auguſtini, ex libro ex quo jam iſta retu-
» limus. Per arbitrii libertatem factum vt eſſet homo cum pec-
» cato, ſed jam pœnalis vitioſitas ſubſequuta ex libertate fecit
» neceſſitatem. Vnde ad Deum fides clamat de neceſſitatibus
» meis erue me: ſub quibus poſiti vel non poſſumus quod vo-
» lumus intelligere; vel quod intellexerimus volumus, nec va-
» lemus implere. Quibus verbis nego contineri vnius alicujus præcepti violandi neceſſitatem, vel ſeruandi impoſſibilitatem; ſed exprimi ſtatum ſeruitutis vitæ præſentis, quo caro concupiſcit aduerſus ſpiritum, & quidem ſine peccato, ſi conſenſus abſit, vt abeſſe poteſt. Quæ ſeruitus mutatione ſtatus amittenda eſt, aduentu ſcilicet ejus libertatis, quam ſpera-
„ mus. Quia, *inquit*, peccauit voluntas, ſequuta eſt peccatum
„ habendi dura neceſſitas, donec tota ſanetur infirmitas, & ac-
„ cipiatur tanta libertas, in qua, ſicut neceſſe eſt permaneat
„ beatè viuendi voluntas, ita ſit etiam bene viuendi & num-
„ quam peccandi voluntaria, felixque neceſſitas. Vbi vides comparari ſtatum cum ſtatu, nimirum ſtatum ſeruitutis vitæ præſentis ſub concupiſcentia, cum ſtatu libertatis vitæ futuræ, vbi concupiſcentia extinguetur, ſuccedente felici bene viuendi neceſſitate. Ergo quod dicit ſub neceſſitatibus ignorantiæ & concupiſcentiæ nos non poſſe quod volumus implere, nequaquam refert ad impoſsibilitatem abſtinendi conſenſum à motibus concupiſcentiæ, quibus pulſamur, ſed ad impoſsibilitatem obtinendi libertatem illam bene agendi, quam cupimus, & quæ in nobis pedetentim perficitur, ſed numquam perfecta eſt in hac vita, quod eſt, non tantùm *nolle conſentire*, ſed *ne ſentire* quidem motus illos.

cap. 4. Idem dici poteſt ad id quod refert ex ſerm. 67. de diuerſis. *Volumus, ô Domine, volumus & non poſſumus, aut fortè nec volumus, premente ſarcina grauamur, & nolumus.* Quia manifeſtum eſt ibi non agi de vno aliquo præcepto, quod implere

debeamus hîc & nunc, & non poſsimus, ſed in vniuerſum de virtutum exercitio, in quo non vt præcepta ſeruemus ambulando tantùm, ſed incitamur vt curramus, quod onuſti facere non poſſumus, vt conſtat ex verbis præcedentibus, vbi S. Auguſtinus Auditores ſuos ſic hortatur, exemplo S. Stephani: *Et nos fratres cum patientia* CVRRAMVS *ad propoſitum nobis fidei agonem.* QVOMODO CVRRIMVS QVI ONERATI SVMVS? *vocamur vt veniamus, & ne non perueniamus curramus; Quod conſilium oneratis?* Hoc igitur quod illi reſpondent, ſe velle, ſed non poſſe, non eſt alicujus præcepti obſeruantia, tum cùm eſt tranſgreſsio damnabilis: ſed eſt expeditus & leuis & citatus ad virtutem progreſſus, quem impedit concupiſcentiæ ſarcina. Nec aliud vult Auguſtinus in alio illo loco, qui affertur ex commentario in Pſal. 106. vbi de homine ligato difficultatibus & *quaſi muro impoſsibilitatis incluſo* loquitur; hæc enim refert ad vniuerſam vitæ honeſtæ exercitationem, & efficax perfectionis Chriſtianæ propoſitum, aduerſus quod cupiditates & mali habitus apprehendere faciunt veluti murum impoſſibilitatis, etiamſi vnumquodque præceptum ſeorſim non appareat impoſsibile.

Idem omnino peccat in eo, quod refert ex lib. 6. contra Iulianum. *cap.* 13. *Quando ſecundùm eam*, hoc eſt affectionalem qualitatem, cujus meminerat Iulianus, *dicitur animus malus, vel potiùs homo malus, nonne metuis ne voluntas bona aut non ibi eſſe poſſit, aut valere nihil poſsit?* Nempe dixerat Iulianus *affectionalem illam qualitatem, ex cauſis majoribus ortam, ita inhæreſcere, vt aut magnis molitionibus, aut nullis ſeparetur.* Auguſtinus inde infert, aut voluntatem hominis non eſſe bonam, ſi nimirum non vult excutere illam qualitatem, quæ mala eſt: aut ſi velle concedatur, nihil valere, poſtquam illa non niſi magnis vel certè nullis conatibus excuti poteſt. Ac proinde ſic vrget. Nonne concedis hominem miſerum, quicumque ille ſit vel " fuerit, certè aduerſus talem clamaſſe qualitatem, velle adja- " cet mihi, perficere autem bonum non inuenio? Hîc ſaltem " fatemini eſſe iſtorum verborum gemitum neceſſarium: Quis " me liberabit de corpore mortis hujus, gratia Dei mei per Ie- " ſum Chriſtum Dominum noſtrum. Quis non videt Auguſti- " num hoc loco, cùm infert ex verbis Iuliani *voluntatem nihil valere poſſe*, nolle aliud, quàm non poſſe excutere jugum il-

lud affectionalis qualitatis, permanenter inhærentis? Quis non videt illud, *non poſſe*, voluntatis, non eſſe aliud, quàm *non poſſe* quod reperiebatur in eo quoque, qui dicebat, *velle adjacet mihi, perficere autem bonum non inuenio in eo.* Et, *Quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Et S. Paulus cùm hæc diceret, tranſgrediebatur-ne aliquod præceptum, aut loquebatur-ne de præcepto, quod ipſi eſſet impoſsibile non tranſgredi, & in cujus tranſgreſsione damnabiliter peccaret? Ergo quid dici poteſt de Ianſenio, qui ejuſmodi teſtimonia vndequaque accumulat; niſi voluiſſe illum, ſi non poſſet probare quod intendebat, ſaltem excitare puluerem?

cap. 18. cap. 9. Idem iterum peccat in eo, quod refert ex lib. 3. de lib. arbit. & quod approbatur in 1. Retractationum: *Sunt etiam neceſsitate facta improbanda, vbi vult homo rectè facere & non poteſt.* Vide enim quomodo id probet Auguſtinus, cùm ſubdit: » Nam vnde ſunt illæ voces, non enim quod VOLO facio bo- » num, ſed quod ODI malum hoc ago? Et illud, VELLE ADIA- » CET mihi, perficere autem bonum, non. Et illud, Caro concu- » piſcit aduerſus ſpiritum, ſpiritus autem aduerſus carnem. Hæc » enim inuicem aduerſantur, vt non ea QVÆ VVLTIS, faciatis. Ecce in quæ facta improbanda cadit illa neceſſitas, nempe in illa, quæ ſunt etiam facta ſanctorum virorum, atque adeo ipſorum Apoſtolorum; in illa, quæ ipſi ita operantur *vt improbent*; in illa, quæ operantur *ipſi jam non ipſi*; in illa, quæ faciunt *ſine vlla ſua conſenſione.* Denique in illa, quæ non impediunt ne *præſens adſit Dei gratia* ad meritum ipſorum, & ad coronam.

cap. 10. & 11 cap. 7. & 8. Hæc enim omnia docet Auguſtinus tum in libro 1. ad Bonifacium, tum in ſerm. 3. de Verbis Apoſtoli. Quid igitur ad impoſſibilitatem ſeruandi mandata, quæ quis damnabiliter tranſgreditur?

Iterum & quintò idipſum peccat, in eo quod refert ex lib. 1. Retract. *Qui cogenti cupiditati bona voluntate reſiſtere non poteſt, & ideo facit contra præcepta juſtitiæ, jam hoc ita peccatum eſt, vt ſit etiam pœna peccati.* Ibi enim Auguſtinus clariſſimè diſtinguit peccatum quod voluntate committitur, à peccato, ad quod quis cogitur: & voluntatem illam quâ quis peccat definit, *motum animi cogente nullo.* Ac proinde ex mente Auguſtini, quod fit cogente cupiditate & ipsâ bonâ volun-

tate reſiſtente, non poteſt dici peccatum, quod voluntate committatur. Rurſus idem Auguſtinus eodem loco ſic loquitur: *Quamquam & hoc peccatum* QVO CONCVPISCENTIÆ CONSENTITVR, NON NISI VOLVNTATE COMMITTITVR. Vnde conficitur clariſſima hæc & liquidiſſima argumentatio. Peccatum, quod committitur cogente cupiditate & bonâ voluntate reſiſtente, non eſt peccatum, quod committatur voluntate, quia voluntas eſt motus animi cogente nullo: Sed peccatum, quo conſentitur concupiſcentiæ, non niſi voluntate committitur: Ergo peccatum, quo conſentitur concupiſcentiæ, non eſt peccatum, quod committatur, cogente cupiditate: & vice verſa peccatum quod committitur cogente cupiditate, non eſt peccatum quo conſentitur concupiſcentiæ. Sed vt conſtat ex aliis locis Auguſtini jam citatis, & quæ citari poſſunt longè plurima, concupiſcentia non eſt damnabilis in baptizatis, quamdiu ei non conſentitur: ergo non eſt damnabilis, quamdiu cogit, reſiſtente præſertim bona voluntate. Quare dicendum neceſſariò eſt, juxta mentem Auguſtini, id quod dicit fieri contra præcepta juſtitiæ, cogente cupiditate, & bona voluntate non valente reſiſtere, deſignare tantùm actus aliquos præceptis juſtitiæ repugnantes, hoc eſt, quos præcepta juſtitiæ vetant vel excitari à nobis liberè agentibus, vel approbari. Et hujuſmodi ſunt actus, quos Auguſtinus deſignat lib. 1. ad Bonifacium, vbi verba illa Apoſtoli ad Rom. 8. *Quod enim operor ignoro*, ſic interpretatur. *Quid eſt aliud quàm nolo, non approbo, non conſentio, non facio.* Operatio enim illa, eſt quidem contra præcepta juſtitiæ, ſed eadem quoque eſt contra voluntatem & approbationem & conſenſum operantis: ideóque operatur ſimul & non facit: operatur carne, non facit voluntate: nec conſequenter damnabiliter tranſgreditur vllum præceptum, ſicuti nec Apoſtolus tranſgrediebatur. Vno verbo, deſignantur ab Auguſtino actus illi, qui ſunt peccata tantùm materialia, nulli ad damnationem imputabilia, quamdiu ſuſpenditur conſenſio voluntatis. *cap.* 11.

Iterum & ſextò idem peccat in eo, quod refert ex ſerm. 2. in appendice: *Bene ergo aliquando Deus differt adjutorium ſuum, vt probet hominem, vt exerceat hominem, vt ipſe ſibi homo innote-*

ſeat. Intelligitur enim de iis, qui luctantur cum cupiditatibus, ita vt nec vincantur ipſi, nec vincant victrici gratia nondum accepta.

FALLACIA SEPTIMA.

SEPTIMA Fallacia eſt, Quòd apud Ianſenium impoſſibile dicatur id, quod non eſt impoſſibile apud Auguſtinum, niſi ex hypotheſi voluntaria, quam homo ſicut ponenere vel non ponere poteſt, ita facere poteſt vt poſſibile vel impoſſibile ſit, quod ex ea pendet; ad eum modum, quo ex hypotheſi, quòd quis feneſtras luci clauſerit & aperire nolit, impoſſibile eſt vt videat, quod fiet poſſibile, ſi voluntatem mutet. Et ita, cùm affert Ianſenius ea loca S. Auguſtini, quibus dicit eſſe *ſatagendum, demiſſè de ſe ſentiendum, non ſuperbiendum, inſtandum orationi*, vt Deus non permittat nos tentari ſupra id quod poſſumus, quid quæſo probat? Nimirum homines aliquando tentari ſuprà quàm poſſint; propterea quòd ſint ſuperbi, quòd ſint negligentes, & pigri, quòd non recurrant ad orationem. Bene habet; ſint igitur humiles, ſint feruentes, ſint deuoti, & non tentabuntur ſuprà quàm poſſunt. At, inquiunt, non poſſunt tales eſſe aliquando, & tamen tentantur ſuprà quàm poſſunt. Ego verò contendo te id de tuo promere, non ſumere ex Auguſtino. Cedò vbinam ille dicat eſſe impoſſibilem humilitatem vel deuotionem, vel diligentiam in benefaciendo tum, cùm neceſſarium eſt ad vitandum, ne quis tentetur ſuprà quàm ferre poſſit? Dico apud Auguſtinum hujuſce cogitationis veſtigium nullum reperiri. Huc ſpectat quod dicit de Iudæis, qui *non poterant credere*. Hoc enim ſequebatur ex voluntaria cæcitate, qua concepto in Chriſtum odio præoccupati erant. Quòd enim dicuntur à Deo excæcati, ex principiis Auguſtini, ſic eſt accipiendum, vt Deus juſtâ permiſſione, ipſi verò propriâ & poſitiuâ & liberâ inclinatione excæcauerint ſeſe. Odium ergo illud deponerent; & cæcitas pelleretur.

FAL-

FALLACIA OCTAVA.

ET cum hac conjuncta eſt alia Ianſenii & Ianſenianorum Fallacia, quæ Octaua numero ponenda venit, circa modum explicandi potentiam remotam & proximam; cùm dicunt præcepta Dei eſſe ſemper vel proximè vel remotè poſſibilia. Iuuaret enim, ſi quam vocant potentiam remotam ad implendum præceptum, eſſet proxima ad ponendum aliquod medium, vel tollendum aliquod impedimentum, vnde ſequeretur immediata exequendi præcepti facultas. Nam hoc modo, qui poteſt proximè orare ad petendam gratiam tentationi vincendæ neceſſariam, dicitur poſſe remotè tentationem vincere, & implere præceptum, quantum ſatis eſt, vt ei tranſgreſſio ad culpam imputetur, ſi non orauerit, cùm putaret ſibi neceſſariam eſſe orationem. Et infideles, qui nihil audierunt de Chriſto, ſed habent tamen quod proximè ſufficit ad vitanda peccata contra legem naturæ, dicuntur habere gratiam ſufficientem, remotam ad credendum, qua ſi non bene vtantur; eſto, non ſint damnandi propter peccatum infidelitatis, dicetur tamen per ipſos ſtetiſſe quominùs audirent Euangelium, cujus beneficio poterant ſaluari. Et ita per potentiam, quæ dicitur remota, habetur quod ſufficit ad acquirendam proximam, ſi velit ea vti qui habet: & ſi vti nolit, illi meritò imputatur. At in ſententia Ianſenii, potentia quæ dicitur remota ad implenda præcepta, ad nihil agendum proxima eſt; hoc eſt ad nihil prorſus ſufficit; ac proinde nihil poreſt niſi iniquiſſimè imputari ei, qui ea non vtitur. Quære enim quam potentiam remotam ad implenda mandata habeant infideles? Habent, inquir, flexibilitatem liberi arbitrii. Bene eſt, ſed quid poteſt facere liberum arbitrium, flexibile præcisè, ſi nihil aliud addatur? Non habent quid dicant, niſi non poſſe quidem facere, ſed poſſe recipere quo fiat potens ad agendum. Ergo quæ illi datur potentia, paſſiua tantùm eſt. Quærebamus autem quid poſſet agere. Similiter ſi quæras de fidelibus omni auxilio diuinæ gratiæ de-

ſtitutis, quam habent potentiam ad ſeruanda mandata, fidem habent, inquiunt, quæ ſemen orationis eſt. Bene eſt, ſed hæc fides ad quid ſufficit, ſi deſit actuale adjutorium, ad quod eſt tantùm in nobis potentia paſſiua? Prorſus ad nihil. Denique de juſtis, quibus præceptum, cujus tranſgreſſione cadunt è ſtatu juſtitiæ, impoſſibile eſt proximè, vt dicunt, ſi quæras quam habeant ad illud potentiam remotam; habent, inquiunt, caritatem. Sed caritas quid poteſt ſine auxilio neceſſario, quod ſemper deeſſe ſupponitur? nihil inquiunt. Quid autem juuat potentia remota, quæ ad nihil ſufficit: & quomodo poteſt denominare præceptum poſſibile ſolam illam habenti; vel facere, vt ei tranſgreſſio imputetur, quaſi omiſerit quod facere poterat? Poteſt, inquis, ſi Deus juuet. Ergo, inquam, dicatur Deo eſſe poſſibile facere vt ille poſſit, ſed quamdiu Deus hoc non facit, poteſt-ne illi dici quòd poſſit? Poteſt Deus facere vt cæcus videat, ſed quamdiu hoc non facit Deus, poteſt-ne dici eſſe poſsibile cæco videre? Eſt poſsibile Deo, ſed nemo dicit eſſe poſsibile cæco. Sed quando ita volunt, dicant diuina præcepta ita eſſe tranſgreſſoribus poſsibilia, ſicuti eſt poſsibile cæco videre: & propterea illis imputari, quòd tranſgrediantur: & hoc tantùm definiuiſſe Concilium Tridentinum, quippe quòd aliqui eſſent hæretici, qui negarent, tam poſſe à nobis impleri quod jubemur, quàm poſſunt cæci videre.

At, inquiunt, indignus eſt, qui juuetur is qui peccat, & ideo imputatur illi. Primùm quomodo indignus eſt homo jam juſtificatus, & in quo nihil damnationis manet, vt docet Concilium Tridentinum? Deinde ſi indignus eſt, puniatur propter peccatum, quo indignus factus eſt, & hoc illi exprobretur, ſed non ferat pœnam nouæ tranſgreſsionis, nec præuiſæ, nec volitæ, in illo peccato quo indignus factus eſt, nec modò in poteſtate tranſgreſſoris poſitæ vt ſit aut non ſit. Illi tamen contrarium audacter & palam profitentur: quod ſi fundamentum haberet apud Auguſtinum, deberent quotquot S. Doctorem ſeriò venerantur, omni ſtudio eniti, ne hujuſmodi portenta cogitationum viderentur ad ſublimem illum animum vnquam acceſsiſſe. Nunc verò conari obtrudere illas inuito & contradicenti, ejuſmodi eſt, vt vix eſſe

poſsit hoc tempore, quod dignius videatur Eccleſiaſticæ poteſtatis animaduerſione ac pœnis.

FALLACIA NONA.

NONA Fallacia eſt, Quòd Ianſenius impoſſibile ſtrictè interpretatur, id quod Auguſtinus ſignificare tantùm vult arduum eſſe ac difficile. Non dico in operibus pietatis Dei gratiam ad hoc tantùm eſſe neceſſariam, vt faciliùs operemur, quaſi ſine illa poſſemus, ſed cum difficultate; quod dicere Pelagianum eſt: ſed dico Deum qui ſuam gratiam diſpenſat in pondere, numero, & menſura, quamuis det aliquando eam, quæ ſufficit, non tamen dare tantam, vt non ſuperſit adhuc difficultas magna, quæ det occaſionem recurrendi ad orationem, & petendi vt velit in nobis augere ſua dona. Et in naturalibus poteſt ſimiliter ſufficienter eſſe munita voluntas, per naturales cognitiones & affectus, vt velit aliquid facere vel omittere, quod tamen adhuc difficile admodum manet, adeò vt prudenter, & cum morali aliqua certitudine dici poſſit, quòd non faciet. Solent igitur homines dum hæc accidunt, paſſim dicere *ſe non poſſe*: putántque hanc honeſtam eſſe excuſationis cauſam, dum quis exigit quod ſine magno incommodo præſtare nequeunt, ſi hoc ipſum dicant, *ſe non poſſe*, præſertim vbi nulla premit obligatio faciendi quod exigitur.

Ianſenius negat Auguſtinum ita vnquam eſſe intelligendum, quando dicit hominem per liberum arbitrium non poſſe vitare aliquod malum, ſed putare id eſſe propriè impoſſibile. Cùm enim nullam agnoſcat gratiam, niſi efficacem, qui hanc non habet, nullam habet: & ſi nullam habet, non ſolùm difficultatem habet implendi præcepta, ſed propriam impoſſibilitatem. Ita ille philoſophatur. Sed primò Auguſtinum nec poſſe nec debere ita intelligi, vt cùm negat aliquid fieri poſſe, ſignificet tantùm faciendi difficultatem, Ianſenius nec probat vnquam, nec probare poteſt, quod tamen erat neceſſarium. Quomodo enim probaret Auguſtinum num-

quam eſſe loquutum eo ſenſu, quo ſolent homines loqui, dum iiſdem vtuntur verbis?

Secundò poſitiuè monſtratur eo ſenſu loquutum Auguſtinum, nec aliter intelligi poſſe, niſi ab iis qui non tam volunt ipſi conſentire Auguſtino, quàm Auguſtinum cogere vt ipſis conſentiat. Hoc autem monſtratur imprimis, quia principium Auguſtini eſt, non peccari niſi conſentiendo concupiſcentiæ, vel ad aliquod malum impellenti, vel à neceſſario quodam bono retrahenti, vbi enim nulla eſt conſenſio, nullum eſſe peccatum propriè dictum, & ad damnationem imputabile, id intelligendo de peccato actuali & perſonali, vt jam ſuprà monſtratum eſt. Eſt verò non minùs certum ex eodem Auguſtino cap. 15. loco jam citato, ex primo Retractationum, conſenſionem hanc, quâ tentanti concupiſcentiæ malè conſentitur, non niſi *voluntate* fieri, prout voluntas diſtinguitur ab eo affectu, qui exprimitur *cogente cupiditate*, hoc eſt neceſſariò trahente ad malum; nec vocari propriè *voluntatem, niſi in quantum libera eſt* à cogente illa cupiditate, alioqui rectiùs vocari cupiditatem, quàm voluntatem. Igitur apud Auguſtinum non eſt peccatum, niſi vbi voluntas conſentit, & voluntas non conſentit, niſi vbi non cogit, hoc eſt, *neceſſitat* cupiditas. Non eſt igitur peccatum, niſi vbi non neceſſitat cupiditas: vbi autem non neceſſitat, non eſt impoſſibile, ſed poſſibile aliter facere, eſto difficile ſit.

Item, voluntas non dicitur *voluntas* propriâ illâ ſignificatione, quâ definitur, *motus animi, cogente nullo*, & ſecundùm quam ponitur in definitione peccati, cùm dicitur, *peccatum eſt voluntas, &c.* niſi in quantum libera & liberata eſt à cogente cupiditate, alioqui *rectius dicitur cupiditas, quàm voluntas;* ſed eſſe liberam, aut liberatam à cogente cupiditate, eſt non pati ab illa neceſſitatem peccandi: Ergo non eſt voluntas illâ propriâ & ſtrictâ ſignificatione, quæ ponitur in definitione peccati, & ſine qua nemo cenſetur concupiſcentiæ conſentire, niſi ſit in tali diſpoſitione, in qua non patiatur neceſsitatem peccandi; ac proinde in qua poſsit non peccare; eſto difficulter id poſsit. Item, idem eſt eſſe voluntatem, quæ dicitur *motus animi, cogente nullo*, & eſſe voluntatem

quæ *poſſit abſtinere ab eo quod facit*, vt conſtat ex Auguſtino, qui poſtquam voluntatem, vt jam dixi, definiuit, & ſic de- *Lib. de duab. animabus c.11.* finitam poſuit in definitione peccati, dicendo, *peccatum eſſe voluntatem retinendi vel conſequendi quod juſtitia vetat, & vnde liberum eſt abſtinere*, ſubdit, eſſe ſuperfluum, addere particulam illam, *vnde liberum eſt abſtinere*, quod ſcilicet ſatis inuoluatur in ipſa ſignificatione *voluntatis*, provt jam definita eſt *motus animi, cogente nullo*: Ergo juxta mentem Auguſtini, voluntas, provt ibi definitur *motus animi cogente nullo*, & ſine qua nemo cenſetur *concupiſcentiæ conſentire*; inuoluit poteſtatem abſtinendi à malo, cujus dicitur voluntas. Neque hoc retractat Auguſtinus, ſed potiùs confirmat cap. illo 15. lib. primi Retractationum, dum recognoſcit librum de duabus animabus, vbi quod etiam dixerat, Eſſe ſummæ inſaniæ pec- " cati reum teneri quemquam, qui non fecit quod facere non " potuit: &, voluntate aliquid facere, idem eſſe ac libero vti " ad faciendum & non faciendum animi motu, & habere po- " teſtatem abſtinendi, putat interpretatione tantùm indigere " in paruulis, qui originali peccato tenentur; quaſi nulla eſſet difficultas, quin in adultis, qui peccatorum actualium rei ſunt, ſine alia interpretatione hæc omnia vera eſſent.

Confirmatur ex doctrina, quam tradit Auguſtinus in lib. *Cap. 31.* de ſpiritu & littera, de iis qui coguntur aliquid facere. Statuamus enim Hæreticum pertinacem, qui tormentorum vi cogitur, nec tamen inducitur vt fidem confiteatur: tali cuidam homini, juxta ea quæ tradit Auguſtinus, *dicere ſolemus*, dum gemit & queritur de ſuis cruciatibus, *quod habes in poteſtate quare non facis, vt hoc malo careas?* Ergo ſupponimus habere illum in poteſtate fidei confeſſionem, quam facere non vult. Rurſus alium ſtatuamus, qui cogatur à Tyranno fidem abjurare vi tormentorum, & vincatur; huic ſimiliter cur non dicamus, *quod habes in poteſtate quare non facis, vt majoribus æternìſque cruciatibus careas?* An eſt ratio, propter quam putemus eum, qui non vult confiteri, fidem habere in poteſtate, vt illam confiteatur, & eum qui negat, non habere in poteſtate vt non neget? Atqui S. Auguſtinus ſupponit hunc quoque qui vincitur, habere in poteſtate vt non vincatur. Nam cùm dixiſſet: Neque enim dici ſolet quiſquam pote- "

» ſtate feciſſe, ſi quid fecit inuitus, *ſubdit*, Quamquam ſi ſub-
» tiliùs aduertamus, etiam quæ quiſque inuitus facere cogitur,
» SI FACIT, VOLVNTATE FACIT, ſed quia mallet aliud,
» ideo inuitus, hoc eſt nolens facere dicitur: malo quippe ali-
» quo facere compellitur, quod volens euitare vel à ſe remo-
» uere, facit quod cogitur. Nam ſi tanta voluntas ſit, vt ma-
» lit hoc non facere, quàm illud non pati, cogenti procul du-
» bio reſiſtit, nec facit; AC PER HOC SI FACIT; NON
» QVIDEM PLENA ET LIBERA VOLVNTATE, SED TA-
» MEN NON FACIT NISI VOLVNTATE, quam volunta-
» tem quia effectus ſequitur, non poſſumus dicere poteſtatem
» defuiſſe. Vides quare is qui cogitur aliquid facere & fa-
cit, voluntate & poteſtate facit. Quia, inquit, ſi tanta vo-
luntas ſit vt malit hoc non facere, quàm liberari à tormen-
tis, cogenti reſiſtit, nec facit. Quod cùm dicit Auguſtinus,
perſpicuum eſt non loqui de re impoſſibili, ſed de poſſibili,
& contingenti. Eſſet enim ratiocinatio ridicula, cùm dice-
retur, ideo illum, qui cogitur aliquid facere, *ſi facit*, *volun-
tate facere*, quia ſi malit quod eſt impoſſibile illum malle,
non facit: ſed ſenſus planus eſt, quia ſi malit, vt poteſt, hoc
pati, quàm illud facere, non facit. Ac proinde ſicut in priore
caſu, de illo qui mauult pati, quàm facere quod jubetur, ideo
dicitur voluntate pati, quia habet in poteſtate vt non patia-
tur; ita & in poſteriori de illo, qui facit quod jubetur, di-
cendum eſt, ideo voluntate facere, quia habet in poteſtate
vt patiatur & non faciat. Et ita ſiue committendo, ſiue
omittendo, non aliter peccatur, quàm quia in poteſtàte pec-
catoris eſt, vel omittere quod malè committit, vel commit-
tere quod malè omittit. Eſto non ſit *plena & libera voluntas*,
propter repugnantiam & difficultatem, & inefficax odium ejus
quod efficaciter vult.

Cap. 3. Iterum confirmatur ex loco quem citat ex lib. 2. de pecca-
torum meritis, & quo abutitur Ianſenius, nempe vbi Augu-
ſtinus dicentibus Pelagianis, quod *Deus non præciperet homini,
quod ſciret eſſe impoſſibile humanæ voluntati*, poſtquam confeſſus
» eſt neminem Catholicorum hoc ignorare, ſic reſpondet; Sed
» hoc non vident, quod ad nonnulla ſuperanda, vel quæ malè
» cupiuntur, vel quæ malè metuuntur, MAGNIS ALIQVANDO

ET TOTIS VIRIBVS OPVS EST VOLVNTATIS: QVAS NOS NON PERFECTE IN OMNIBVS ADHIBITVROS PRÆVIDIT, qui per Prophetam veridicè dici voluit, Non juſtificabitur in conſpe-ctu tuo omnis viuens. Tales itaque nos Dominus futuros præuidens, quædam ſalutaria remedia, &c. Hîc quæritur quid intelligat Auguſtinus per *magnas illas & totas vires voluntatis*, quas aliquando *non perfectè in omnibus adhibemus?* Ianſenius loco jam ſæpè citato, *Iſtæ magnæ, totæque vires voluntatis, ſunt effectus magnæ & non paſſim vſitatæ gratiæ.* Et non videt quomodo ſuam ipſe doctrinam implicet? Quando enim contigit juxta ipſius doctrinam, qua cenſet omnem gratiam habere ſemper effectum cujus eſt capax; quando, inquam, contigit, vt præuideret Deus voluntatem noſtram non adhibituram perfectè vires acceptas per effectus *magnæ* & non paſſim *vſitatæ gratiæ?* Et dum dicit præuidiſſe Deum nos non perfectè in omnibus adhibituros, nonne ſignificat nos aliquando adhibituros, & in aliquibus? Quæ eſt autem apud Ianſenium *magna illa & inuſitata gratia*, cujus virtutem Deus præuidet aliquando nos adhibituros, aliquando non? Non habet quid reſpondeat, niſi mutando Auguſtini orationem, & loco ejus quod dicit, præuidere Deum nos *non adhibituros* totas illas & magnas vires, ſubſtituendo, nos *non habituros*. Nempè jus habent nouæ Theologiæ architecti, vt ſi quod cupiunt, apud Auguſtinum inuenire non poſſint, inferant. Sed hoc loco poſſunt conuinci. Nam cùm Auguſtinus hæc addat, vt oſtendat quomodo id quod docet, ſtet cum eo quod ſciunt omnes Catholici, Deum non præcipere impoſſibilia; ſi quod dicit, nos non adhibituros magnas & totas vires, quæ neceſſariæ ſunt ad implenda mandata, idem ſit, ac nos non habituros, fit iſte ſenſus ridiculus, Nemo noſtrûm ignorat Deum non præcipere quod ſcit eſſe impoſſibile noſtræ voluntati, ſed idem Deus præuidet nos non habituros in omnibus magnas & totas vires voluntatis, quæ neceſſariæ ſunt. Dico ſenſum eſſe ridiculum ob eam quam inuoluit contradictionem. Quia ſi præuidet nos in aliquibus non habituros vires neceſſarias, quomodo in iiſdem caſibus non præcipit quod ſcit eſſe impoſſibile humanæ voluntati? An volunt Auguſtinum, Pelagianis exprobrantibus quòd diceret

Tom. 3. lib. 3. de grat. Sal. c. 13.

Deum præcipere impoſſibilia, concedere in aliquibus *ſi*, in aliquibus *non?* Atqui Pelagiani non intelligebant præcipere impoſſibilia in omnibus, ſed in iis tantùm, in quibus præcepta violantur. Eſt autem Auguſtini ſententia planiſſima, totáque ſibi conſtat, juxta interpretationem hanc; Neminem eſſe Catholicorum qui non fateatur, Deum non præcipere id quod ſcit eſſe impoſſibile humanæ voluntati, quòd nempe vbi vires naturæ non ſufficiunt, addat ipſe neceſſarium auxilium ad faciendum quod præcipitur. Sed eſſe tamen occaſiones, in quibus ob ſpeciales difficultates opus ſit conatu voluntatis ſolito majore, poſſe enim illam modò lentiùs, modò feruentiùs diuinæ gratiæ cooperari: ergo Deum præuidentem non ſemper cooperaturam vt deberet, itáque lapſuram, inſtituiſſe remedia delendis, quæ tunc contrahit, peccatis. Hoc autem eſt difficultatem fateri ſeruandi mandata, cum ordinariis & quæ nemini deſunt auxiliis, ſed non impoſſibilitatem.

Addo juxta eamdem Ianſenii doctrinam, non fuiſſe tantùm dicendum, Deum præuidiſſe nos non habituros vires neceſſarias, ſed Deum decreuiſſe non dare illas. Quo facto fiet iſte ſenſus magis adhuc ridiculus, Deum non præcipere quod ſcit eſſe impoſſibile humanæ voluntati; ſed quia decreuit negare id, quo fiat poſſibile, ideo quod præcipit eſſe impoſſibile. Quid autem eſt, Deus non præcipit quod eſt nobis impoſsibile, ſed decreuit negare auxilium, quo ſolo quod præcipit fieri poteſt poſsibile? Videat Lector & judicet.

cap. 17. Iterum confirmatur ex eodem libro, & ex illis verbis, quibus Auguſtinus interrogantibus, *Cùm voluntate humana, gratia adjuuante diuina, ſine peccato in hac vita poſſit homo eſſe, cur non ſit?* Dicit reſponderi poſſe *faciliimè ac veraciſsimè, quia non vult.* Quam reſponſionem dico in doctrina Ianſenii, nec facillimam eſſe nec veraciſsimam, quin potiùs eſſe fallaciſsimam. Nam cùm ratio dubitandi, cur homo non ſit ſine peccato, in eo fundetur, quòd eſſe poſsit, tum per ſuam voluntatem, tum per adjuuantem gratiam; in ſententia Ianſenii veraciſſima reſponſio cur non ſit, eſt iſta, quia duorum illorum, quæ ſupponuntur, voluntas & adjuuans gratia, alterum deeſt, ſcilicet adjuuans gratia: voluntas enim non aliter deeſt, quàm

quia deeſt gratia adjuuans. Quare ſecundùm hanc doctrinam fallaciſſimè reſpondet Auguſtinus, cùm reſpondet, *quia non vult* : debet enim potiùs reſpondere, quia non juuatur; quandoquidem non ob aliam cauſam non vult, quàm quia non juuatur.

Et magis adhuc pateſcit ejus reſponſionis iniquitas, ex eo quòd Ianſenius dicit, impoſſibilia eſſe Dei præcepta *volentibus & conantibus*. In illa enim hypotheſi, quomodo poteſt Auguſtinus reſpondere hominem ideo non eſſe ſine peccato, quia eſſe non vult? vult, inquit Ianſenius, & conatur. Ergo tota ratio eſt, non quia non vult, ſed quia non juuatur, quod Auguſtinus negat.

Quo in loco eſt etiam reuocandum in memoriam, ab Auguſtino poni oppoſitionem inter id quod eſt, hominem aliquid non poſſe, & aliquid nolle; neque dici ſolere quòd nolit, quando non poteſt: neque quòd non poſſit, quando non vult, vt conſtat ex eo quod docet lib. 2. de Actis cum Felice Manichæo, c. 5. Vide id genus multa in lib. de Incoacta libertate, p. 1. c. 2.

Denique hoc ipſum confirmatur ex eo quòd Auguſtinus promiſcuè vtatur voce *difficilis* aut *difficultatis*, dum ſignificat impedimentum quod præſtat concupiſcentia volenti ſeruare mandatum, numquam autem nomine impoſſibilis, aut impoſſibilitatis. Poteſt hoc probari ex innumeris locis. In 3. de lib. arbitr. concupiſcentiam deſignat nomine *difficultatis*. Omni peccanti animæ iſta pœnalia ſunt, ignoran- *cap. 18.*
tia & DIFFICVLTAS. *Et deinde*. Vt autem de illo primo con- *cap. 20.*
jugio & cum ignorantia & cum DIFFICVLTATE & cum mor-
talitate naſcamur. *Et iterum*. Nam cùm ad ignorantiam DIF-
FICVLTATEMQVE peruenerit illa peccatrix, &c. *Iterum*. Non
enim mediocria bona ſunt quòd anima facultatem habet, vt
adjuuante Creatore à DIFFICVLTATE cruciante, & ab igno-
rantia cæcante liberetur. Quod ſi ita eſt, non erit naſcenti-
bus animis ignorantia & DIFFICVLTAS ſupplicium peccati,
ſed proficiendi admonitio. *Iterum*. Quamquam enim in igno-
rantia & DIFFICVLTATE nata ſit, non tamen ad permanen-
dum in eo quòd nata eſt, aliqua neceſſitate comprimitur.
Iterum. Subeant neceſſe eſt vitæ præſentis laborem, vnde

» illa ignorantia & DIFFICVLTAS conſequitur. *Iterum.* Venientibus ad ſe animis hanc ignorantiam & DIFFICVLTATEM facit. *Iterum.* Omnis anima intelligit enitendum ad euincendam rectè faciendi DIFFICVLTATEM. *Iterum*, Quidquid ignorantiæ DIFFICVLTATISQVE ſequutum fuerit, culpandam propriam voluntatem, ſi animæ ſponte veniant ad corpora, non ipſum creatorem. *Iterum.* Etiam in ipſa ignorantia & DIFFICVLTATE liberam petendi, & quærendi, & conandi facultatem non abſtulit. *Iterum.* Hanc ignorantiam & DIFFICVLTATEM ſtudioſis & beneuolis euincendam ad coronam gloriæ valere præſtaret. *Iterum.* Non ipſam ignorantiam, DIFFICVLTATEMQVE pro crimine objicere. En vt in vno eodémque capite, cùm eadem res ſæpe nominanda recurreret, quàm conſtanter vſus ſit Auguſtinus ad eam exprimendam ſolo nomine difficultatis, duodecies repetito. Eodem etiam vtitur & contra Pelagianos lib. 1. de pecc. meritis, dum amiſſis jam viribus negat eam eſſe *facilitatem*, agendi ad recuperandam ſanitatem, quæ priùs fuerit. In libro de nat. & gratia,
cap. 4. Chriſtianos debere agere gratias *quòd aliquid ſine difficultate fecerint: & vbi difficultatem ad quam ſentiunt, fideliſſimis & perſe-*
cap. 68. *uerantiſſimis precibus & miſericordiæ promptis operibus facilitatem à Domino impetrare perſiſtere.* Item. *Præceptis Dei nos admoneri in facilibus, quid agamus, in difficilibus, quid petamus.* Et in Pſalm. 106. vbi diſtinguit quatuor tentationes; ſecundam, quam excitat concupiſcentia, perpetuò appellat nomine *difficultatis*. Omitto id genus alia quamplurima.

Quibus poſitis, cùm conſtet numquam Auguſtinum dixiſſe Deum præcipere aliquid, quod ſit nobis impoſſibile, ſæpe autem id formaliſſimè atque expreſſiſſimè negaſſe: neque tantùm ex ſuo ſenſu, ſed ex ſenſu minimè dubio Catholicorum; jam quæritur quando Auguſtinus dicit aliquando quempiam non potuiſſe, vel non poſſe facere quod illi præcipitur, quomodo ſit interpretandum illud *non poſſe*; an ita vt ſonet ſtrictam *impoſſibilitatem* tum faciendi, tum obtinendi vires ad faciendum, quam Auguſtinus tam diſertè ac toties rejicit: an vt ſignificet tantùm *difficultatem*, quam toties exprimit? hujuſmodi autem quæſtionem propoſuiſſe, ſoluiſſe eſt, præſertim cùm tot locis aliunde conſtet, ex Auguſtino nul-

lùm eſſe peccatum proprium, ſeu propriæ voluntatis, *à quo non ſit liberum abſtinere.* Itaque inuito quidem Ianſenio, ſed non inuito Auguſtino affirmamus, quotieſcumque dicit Auguſtinus quempiam aliquid non poſſe, & agitur de occaſione, in qua vel peccandum ſit, vel obſeruandum præceptum, illud *non poſſe* ſignificare difficultatem, non verò ſtrictam impoſſibilitatem. Et ita illud *non poſſe*, S. Petri, de quo multa Ianſenius, ſi referatur ad actum confitendi Chriſtum, nihil aliud ſignificare quàm difficultatem. Id quod etiam per ſe ſatis apparet. Quis enim ſibi perſuadeat, ita fuiſſe tunc voluntati Petri impoſſibile, nolle negare Chriſtum, quemadmodum erat impoſſibile ejus potentiæ motiuæ volare? An etiam volunt, conſequenter iis qui viui comburuntur, quòd Chriſtum negent, ita eſſe impoſſibile non negare, vel è contrario confiteri, quemadmodum eſt illis impoſſibile ambulare ſupra mare, vel facere, vt inter ignes illos illæſi maneant, ſicuti pueri Babylonici? Hæc quidem conſentanea ſunt doctrinæ Ianſenii, ſed ſunt alieniſſima vel à ſomniis Auguſtini.

Dixi, *Et agitur de occaſione in qua vel peccandum ſit, vel ſeruandum præceptum.* Quia Ianſenius, vt ſuprà monui, multa colligit ad probandam præceptorum impoſſibilitatem, quæ ſpectant ad totum Chriſtianæ perfectionis negotium, & vniuerſum virtutis ſtudium, complectiturque occaſiones, in quibus non peccatur, vt Auguſtinus euidenter ſignificat lib. 2. de peccat. meritis. *cap. 19.* Vbi de illis, quibus Deus feruoris gratiam ſubtrahit ad tempus, ſinitque cum difficultatibus imbecilles luctari, vt ſuas vires experiantur, ſic loquitur. Nec in eo ipſo vult nos damnabiles eſſe, ſed humiles, commendans nobis eamdem gratiam ſuam, ne FACILITATEM in omnibus aſſecuti, noſtrum putemus eſſe, quod ejus eſt. Vides facilitatem tantùm ſubtrahi, & relinqui quod ſatis eſt, ne ſint *damnabiles*, qui dicuntur non poſſe *juſtitiam implere ex omni parte*, vt paulò antè dixi, quique ideo *tardiùs ſanantur.* Et eodem modo intelligendum eſt quod ſuprà notauimus ex ſermone ſecundo in appendice, de iis, quibus Deus differt adjutorium ſuum.

Exigendum igitur à Ianſenianis eſt, vt quod ex Auguſti-

no referunt de defectu virium voluntatis noſtræ, ad eas occaſiones applicent, in quibus præceptum vrget; & ſtatim apparebit afferri multa ex Auguſtino, quæ hoc non probant, ſed hoc pertinet ad quartam & ſextam fallaciam, ſuprà notatam.

Lib. 1. ad Bonif. c. 8. Ad hanc autem, in qua *difficile* pro *impoſſibili* malè ponitur, referri etiam poteſt quod dicitur de D. Paulo poſtquam adoleuit, & cognitionem legis accepit, *fuiſſe præcepti capacem, ſed non efficacem*, ideóque fuiſſe *præuaricatorem*, quod ſine fundamento affertur ad probandam impoſſibilitatem.

„ Idem & ad illud in Pſalm. 106. de eo, Qui ſe ligatum in-
„ uenit difficultatibus cupiditatum, & non poſſe viam propter
„ compedes ambulare, incluſum eſſe difficultate vitiorum, &
„ tanquam muro impoſſibilitatis erecto, quò euadat vt rectè vi-
„ uat, non inuenire. Ex quibus verbis Ianſenius ſatis apertè legere poterat, hîc eſſe tantùm imitationem aliquam & apparentem impoſſibilitatis ſpeciem, re autem vera tantùm difficultatem: ac proinde, ſi quæ interueniat præcepti tranſgreſſio, non tam eſſe imputandam defectui virtutis, quàm defectui voluntatis.

Idem & ad illud ex tract. 34. in Ioan. *Fortè conaris ambulare, & non potes, quia dolent pedes, &c.* Neque enim cuicumque dolent pedes, facultas ambulandi deeſt, ſed facilitas. Similia occurrunt apud Auguſtinum multa, quæ in hunc modum interpretanda ſunt.

FALLACIA DECIMA.

DECIMA Fallacia latiſſimè patet & comperta juuat ad ſoluenda ferè omnia, quæ affert Ianſenius ex Auguſtino, vt probet Deum impoſſibilia præcipere. In eo verò conſiſtit, quod id quod docet Auguſtinus, dum contra Pelagianos falſum eſſe contendit, nos poſſe implere diuina præcepta eo modo quo expedit ad vitam æternam, per ſolas vires liberi arbitrii, ſic interpretatur, vt non ſolùm dicat nos non poſſe implere *ſine gratia*, ſed addat etiam, omnem hujuſmodi gra-

tiam deeſſe tranſgreſſori, in occaſione, in qua vrget ſeruandi præcepti neceſsitas.

Nam quòd ita ſentiat Ianſenius, apertè conſtat vel ex ipſo titulo capitis illius 13. ſæpè citati. Vbi theſis proponitur, *Eſſe quamdam voluntatis infirmitatem, quâ non poteſt certas tentationes ſuperare: nec adeſt gratia, quâ ſuperentur, nec ſpiritus orationis, quo vires impetrentur.* Atque hoc deinde copioſiùs exponit in decurſu capitis illius, ſéque id concludere putat ex allatis à ſe Auguſtini teſtimoniis. *Lib. 3. de grat. Salu. tom. 5.*

Verùm Auguſtinus vnum quidem ex duobus vrget, nimirum non poſſe præcepta ſeruari, prout conducit ad vitam æternam, *ſine Dei gratia*, ſed gratiam omnem iis qui labuntur neceſſariam vt poſsint non labi, in occaſionibus deeſſe numquam dicit. Quin imò apertè teſtatur ſe de eo nolle cum Pelagianis contendere, dummodo illi agnoſcant, id quod ſe poſſe putant in hoc genere, non niſi per gratiam poſſe. Nempe in eo tota erat Auguſtinum inter & Pelagianos controuerſia, circa poſsibilitatem mandatorum.

Patet hoc ex cap. 67. lib. de nat. & gr. vbi objicienti Pelagio, quod ipſe Auguſtinus ſcripſerat de lib. arbit. « Quæcumque iſta cauſa eſt voluntatis, ſi non poteſt ei reſiſti, ſine peccato ei ceditur. Et, Quis peccat in eo quod caueri nullo modo poteſt, peccatur autem, caueri igitur poteſt. *Reſpondet Auguſtinus.* Agnoſco, verba mea ſunt, ſed etiam ipſe dignetur agnoſcere ſuperiùs cuncta, quæ dicta ſunt; De gratia quippe Dei agitur, quæ nobis per mediatorem medicina opitulatur, non de impoſsibilitate juſtitiæ. » Quid eſt, *de gratia agitur, non de impoſſibilitate juſtitiæ*, niſi, fatere gratiam eſſe neceſſariam, & dic quantum voles peccati fugam & exercitium juſtitiæ poſsibile eſſe? Et paulò antè objicienti ſimiliter Pelagio Hilarium dicentem, hominem poſſe eſſe mundo corde; *Quis negat*, inquit Auguſtinus, *ſed gratiâ Dei per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum, non ſolâ arbitrii libertate.* Et antea Pelagium arguit, *Quia noluit aliquid dicere de eo, quòd ipſa natura gratiâ Dei per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum, vel ſanatur, quia vitiata eſt, vel, quia non ſibi ſufficit, adjuuatur.* Nec aliud vrget, tum hoc toto libro, tum aliis, quotieſcumque controuerſia hæc recurrit, quàm vt Pelagius hujuſmodi gra-

Lib. 3. c. 18. *cap. 61.* *cap. 59.*

tiæ neceſsitatem admittat, eâ enim admiſſâ, ne illud quidem diſputare vult, quod ipſe aliàs fortiter negat, eſſe aliquem in
» hac vita vel fuiſſe ſine vllo omnino peccato. Vide quid dicat:
» Vtrùm in hoc ſæculo fuerit, vel ſit, vel poſsit eſſe aliquis
Ibid. 60. » ita juſtè viuens, vt nullum habeat omnino peccatum, poteſt
» eſſe aliqua quæſtio inter veros, piósque Chriſtianos. Poſſe
» tamen eſſe certè poſt hanc vitam quiſquis ambigit, deſipit.
» Sed ego, nec de vita iſta volo contendere. Quamquam enim
» mihi non videatur aliter intelligendum quod ſcriptum eſt,
» Non juſtificabitur in conſpectu tuo omnis viuens, vt tamen
» poſsit oſtendi vel hæc teſtimonia meliùs aliter intelligi poſ-
» ſe; NVLLO TAMEN MODO, NISI ADIVVANTE GRATIA SALVA-
cap. 42. » TORIS CHRISTI CRVCIFIXI, ET DONO SPIRITVS EIVS, vel quoſ-
» libet ad pleniſsimam perfectionem, vel quemquam ad qua-
» lemcumque prouectum veræ piæque juſtitiæ peruenire, qui
» negauerit, neſcio vtrùm rectè poſſit in quantumcumque Chri-
» ſtianorum numero deputari. Idem anteà præmiſerat cùm di-
» xit. Nam neque illud nimis curo, vtrùm fuerint hîc aliqui, vel
» ſint, vel eſſe poſſint, qui perfectam, cui nihil addendum eſſet, ha-
» buerint, vel habeant, vel habituri ſint caritatem Dei. Quoniam
» id, quod voluntate hominis ADIVTA PER DEI GRATIAM fieri
» poſſe confiteor & defendo, quando, vel vbi, vel in quo fiat ni-
» mium certare nolo. Hoc ſcilicet vno contentus eſt Auguſtinus,

Idem in lib. de Perf. juſt. cap. vlt.

vt quod eſſe, vel eſſe poſſe dicitur boni ſalutaris, non niſi à voluntate, per Dei gratiam adjuta eſſe poſſe dicatur. Inde eſt quòd deinde dexteram Pelagio porrigit ad ineundam pacem; *dummodo poſſibilitatem non peccandi quantumcumque eſt in homine*, NON NISI
cap. 44. DEO VELIT REPVTARI. Hoc enim ſi velit Pelagius, *jungamus*, inquit Auguſtinus *dexteras*. & iterum: *Rectè quidem diſputat* Pelagius, dum probat homines poſſe eſſe ſine
cap. 59. peccato, *hoc ipſo eos confiteri non eſſe impoſsibile; quia hoc vel multi, vel omnes volunt, ſed hoc* VNDE SIT POSSIBILE, FATEATVR, ET PAX EST. *Ipſa eſt enim gratia Dei per Ieſum Chriſtum, quâ nimirum iſte nos orantes adjuuari vt non peccemus numquam dicere voluit*, ſi hoc quippe diceret, finitum eſſet bellum, & inita pax. Quò pertinet etiam illud ex lib. 4. ad Bonif. vbi Pelagianos argumentantes ex verbis illis Iſaiæ, *ſi volueritis & audieritis me, bona terra comedetis*, vt pro-

bent liberum arbitrium, ſic redarguit, Quid eis hoc prodeſt? ſic enim volunt intelligi quod dictum eſt, ſi volueritis & audieritis me, tanquam in ipſa præcedente voluntate ſit conſequentis meritum gratiæ, ac ſic gratia jam non ſit gratia. Si autem ſic intelligerent quod dictum eſt, ſi volueritis, VT ETIAM IPSAM BONAM VOLVNTATEM ILLVM PRÆPARARE CONFITERENTVR, de quo ſcriptum eſt, Præparatur voluntas à Domino, tanquam Catholici vterentur hoc teſtimonio, & non ſolùm hæreſim veterem Manichæorum (*negantium liberum arbitrium*) vincerent, ſed nouam Pelagianorum contererent. Et addit hoc *ſine ſcrupulo tanquam Catholicè* dictum accipiendum in eo ſenſu: nempe vt ſupponatur gratia voluntati non deeſſe. Ex his atque aliis quamplurimis locis conſtat hoc vnum ab Auguſtino poſtulatum à Pelagianis, vt quidquid dicebant liberum arbitrium poſſe, quod pertineret ad ſalubrem præceptorum obſeruationem, non niſi per Dei gratiam poſſe faterentur. Hoc enim ſi ſemel confiteantur, & *Catholicos eſſe*, & *Catholicè*, *ſine ſcrupulo* de libero arbitrio philoſophari. De alia verò quæſtione, vtrùm adſit, vel non adſit gratia, vrgente præcepto ad vitandum peccatum neceſſaria, nunquam inuenietur Auguſtinus cum Pelagianis contendiſſe, aut negauiſſe alterutram adeſſe, nempe vel ad exequendum immediatè quod præcipitur, vel ad orandum vt obtineatur: quin potiùs id ſemper ſuppoſuiſſe, vt mox probabitur.

Cap. 6.

Interea conſtat ex jam dictis innumera quæ Ianſenius voluere ſolet Auguſtini teſtimonia, vt probet nos non poſſe implere præcepta, hoc vno verbo ſolui, non poſſe implere *ſine gratia. Non poteſt homo*, inquit Auguſtinus, *cùm vult eſſe ſine peccato*, ſed addit ipſe, fore vt poſſit, cùm fuerit adhibitâ medicinâ ſanatus, hoc eſt *non poteſt* ſine gratia. Sub pœnis peccati originalis poſiti, vel *non poſſumus quod volumus intelligere, vel quod intellexerimus volumus, nec poſſumus implere*, ſine gratia. *Conaris ambulare, nec potes* ſine gratia. *Volumus, ô Domine, volumus, & non poſſumus*, ſine gratia. *Sufficit tibi gratia mea, non ſufficit tibi voluntas tua*, ſine gratia mea. *Volo vt velis ſed non ſufficit vt velis*, ſine gratia: & ideo ſequitur, adjuuandus es vt plenè velis. *Sunt neceſſitate facta improbanda, vbi vult homo rectè facere,*

De perfect. Iuſt. cap. 3.
Ibid. cap. 4.
Tract. 33. in Ioan.
Serm. 39. de Diu.
ad Boniſ. l. 1.
Ser. 3. de verb. Apoſt.

& non poteſt, ſine gratia. *Non habet homo in poteſtate vt bonus ſit*, ſine gratia. *Eſt qui cogenti cupiditati reſiſtere non poteſt, & ideo facit contra præcepta juſtitiæ*, reſiſtere non poteſt ſine gratia. *Homo quaſi quodam muro impoſſibilitatis incluſus ligatum ſe ſentit, conatur & non poteſt* ſine gratia. Non poterant filii Zebedæi bibere calicem, ſine gratia. S. Petrus *plus promittebat, quàm poſſet*, cùm ſe ad mortem pro Chriſto paratum diceret, *pluſquam poſſet*, ſine gratia. *Homo, reſiſtente atque torquente dolore carnalis vinculi, non poteſt à libidinoſis operibus temperare*, ſine gratia. *Homines coguntur agnoſcere vitia, quæ vitare non poſſunt*, ſine gratia. Accidere poteſt *vt tentemur ſuprà quàm poſſimus*, ſine gratia. *Tentationes ad hoc proſunt, vt intelligatur quid poſſimus*, ſine gratia. *Homines non cognoſcerent ſe laborare, niſi datam legem implere non poſſent*, ſine gratia. *Ventum eſt ad neceſſitatem habendi peccatum* quam ſola hominis voluntas *ſuperare non poteſt*, ſine gratia. *Quibuſdam peccatis Iudæos excæcari meruiſſe; qua tamen excæcatione non potuerunt credere* ſine gratia. His ſcilicet omnibus & ſimilibus locis, quamquam pleraque alias etiam interpretationes recipiant, vno verbo reſpondetur, & Auguſtino ſatisfit, confitendo liberum arbitrium nihil poſſe quod pertineat ad pietatem *ſine gratia*. Sed hoc nihil ad rem. Erat enim vlteriùs oſtendendum deeſſe gratiam omnem, vt hoc defectu ſuppoſito, reſtaret abſoluta concluſio, qua dicitur Deus reipſa præcipere aliquid, quod eſt nobis impoſſibile: nóſque etiam reipſa ex tranſgreſſione impoſſibilis hujus præcepti, fieri reos ac damnabiles. Hoc ergo quod non erat controuerſum congeſtis vndique magno labore teſtimoniis Ianſenius abundè probauit, quod vnum erat probandum ex Auguſtini verbis, omiſit: negari ſcilicet à Deo gratiam omnem vrgente præcepto ad non peccandum neceſſariam.

3. de lib. arbit. c. 18. — *Retract. 1. cap. 15.* — *Pſal. 106.* — *Pſal. 53. conc 3.* — *Serm. 106. de diuer.* — *3. de lib. arbit. c. 18.* — *Lib. de Magiſtro cap. 9.* — *Lib. de Catecheſ. c. 25. & alibi.* — *Pſal. 36. & alibi.* — *De perfect. Iuſtit. cap. 6.*

FALLACIA VNDECIMA.

NOTANDA tamen eſt, quæ ad illud probandum interuenit vndecima Fallacia. Nam quia conſtat iis qui peccant ex juſta & ſemper adoranda Dei Prouidentia, deeſſe gratiam efficacem; & quia S. Auguſtinus etiam docet, Dominum

minum Deum bonum, ideo etiam ſanctis ſuis alicuius operis juſtitiam aliquando non tribuere, vel certam ſcientiam, vel victricem delectationem, vt cognoſcant non à ſeipſis, ſed ab illo ſibi eſſe lucem, quâ illuminentur tenebræ eorum & ſuauitatem, qua det fructum ſuum terra, &c. Ianſenius cum vero falſum conjungens ait, nullam eſſe gratiam actualem apud Auguſtinum, qua fiat poſſibile id quod præcipitur, præter efficacem & victricem illam; ac proinde quibus illa deeſt omnem deeſſe, fierique mandatum, non aliquod, neque aliquando tantùm, ſed omne omni tranſgreſſori, pro ſtatu in quo eſt, quando tranſgreditur, impoſſibile.

Hoc autem eſſe falſum & Auguſtino contrarium conſtabit ex iis quæ dicentur ad quatuor alias propoſitiones, nunc verò probari etiam poteſt ex iis quæ Ianſenius citat, dum probare vult diuinorum mandatorum impoſſibilitatem. Citat enim id quod dicit Auguſtinus. *Fortè conaris ambulare & non potes, quia dolent pedes? An jubente auaritia per aſpera cucurrerunt?* Hæc refert Ianſenius, & quod ſequitur omittit; *ſed Dei verbum ſanauit & claudos. Ecce inquis ſanos habeo pedes, ſed ipſam viam non video. Illuminauit & cæcos.* Dolorem pedum obtendenti ne ambulet, medicum oſtendere, qui certò & infallibiliter ſanat quem ſanare vult, & eſt infinitæ ad benefaciendum propenſionis; quid eſt aliud, quàm ſignificare factam illi eſſe medicinæ copiam, & ſtare per ipſum, quominus ſanetur? Cæcitatem excuſanti, dum intueri jubetur, dicere eum adeſſe, qui cæcos quærit, vt illuminet; quid eſt aliud quàm dicere, poſſe illum recuperare viſum, ſi velit, & imputandum ejus ſocordiæ, ſi cæcus maneat? Vide quomodo Auguſtinus exprimat huic cæco, huic podagroſo fieri ſanitatis recuperandæ facultatem, præcedentibus immediatè verbis, quæ Ianſenius omiſit. Non tibi dicitur labora, quærendo viam vt peruenias ad veritatem & vitam. Non hoc tibi dicitur: Piger ſurge, via ipſa ad te venit, & te dormientem de ſomno excitauit, ſi tamen excitauit, ſurge & ambula. *Tum ſubdit.* Fortè conaris ambulare & non potes, quia dolent pedes. Verbum Dei ſanauit & claudos, &c. Hoc verò, niſi veritatem apertam diſſimulare volumus, idem eſt ac dicere, eadem voluntate, qua Dei verbum ad nos venit, vt

Tract. 34. in Ioan.

eſſet nobis via, etiam veniſſe vt dolentes ſanaret pedes, quo per eam ambularemus; & cæcos aperiret oculos, vt intuentibus fieret nobis ipſe veritas, & deinde vita. Pigros autem alloquitur Auguſtinus & cæcos, & qui non ſinunt ſe excitari, vt oſtendat hanc illis, ſi acceptare velint, oblatam eſſe gratiam. Quòd ſi oblata non eſſet, nonne jocaretur, qui medicum langùenti oſtenderet, certum negare medicinam? Quid minus faceret, quàm ſi eumdem objurgaret, quod non vteretur pro medicamento recentibus, quæ nuſquam ſunt? Eſt igitur ibi oblata gratia, vbi non eſt effectus.

Probatur 2. ex eo quòd refert Ianſenius ex Auguſtino, præceptum admonere nos, vt ſi facere non poſſumus quod præcipitur, oremus vt impetremus vires. Hoc enim oſtendit tunc orationem eſſe ſub præcepto. Et certè, ſi vlla vnquam eſt orandi neceſſitas, reperitur maximè in iis, qui inter tentationum diſcrimina periclitantur de ſalute. Nec contradicit Ianſenius, quando dicit, D. Petrum *orare debuiſſe*. Quod oſtendit hujus etiam præcepti, quo jubemur orare, tranſgreſſionem ad culpam imputari. Ergo ſtatuamus v. g. hominem, cui præceptum intimatur vt parcat inimico; dicit ſe non poſſe. Iubetur orando vires poſtulare, ſed neque hoc facit: ac proinde tranſgreditur vtrumque præceptum, nimirum non vindicandi ſe de inimico, & orandi. Accuſatus quòd iram non continuerit, reſpondet non potui. Statimque illi objicitur, quare non orabas, vt vires impetrares? Procedunt hæc juxta principia S. Auguſtini approbata à Ianſenio. Ego verò jam quæro, vel ille ſupponitur orare potuiſſe, vel non; ſi non ſupponitur potuiſſe orare, abſurdiſſima eſt objurgatio, dum obtendenti impotentiam continendi iracundiam exprobratur quòd non orauerit, ad quod conſtat fuiſſe pariter impotentem. Siquidem eo ipſo quòd ad conuincendum illum, qui allegat impotentiam continendi motus iræ, cenſemus illi objiciendum quòd non orauerit; ſequitur euidenter, ſi ſimilem impotentiam orandi allegare poſſit, quærendum eſſe aliquid aliud, quod illi opponatur. Quid autem dicemus reſpondenti ſe non poſſe orare? Num dicemus, vt humiliet ſe & agnoſcat Dei judicia & pœnam peccati originalis? Atqui hoc ipſum illi poterat dici, quando primùm reſpondit ſe non

potuiſſe iram continere. Quid opus erat recurrere ad defe-ctum orationis, eodem prorſus modo excuſabilem, quo ira-cundiæ incontinentiam? Illi qui cum aliqua rationis ſcintilla homines tractant, dum excuſantes increpant, non ſolent op-ponere niſi ea, in quibus putent excuſationem non valere. Atqui hoc fieri nequit in præſenti occaſione, eadem enim excuſatio ad vtrumque valet. Supponendum ergo eſt po-tuiſſe orare. Et tamen non orauit; & non orando, peccauit. Ergo gratiam habuit, ſine qua orare non poſſet, & non habuit efficacem.

Probatur 3. ex eo quod citat Ianſenius ex lib. 8. Confeſ-ſionum S. Auguſtini, de illa pugna inter ſpiritum & carnem, *cap.* 5. quæ ibi deſcribitur. Nam ſi volumus conflictum illum vt par eſt concipere, facere non poſſumus, quin dicamus tunc Auguſtinum neque motioni gratiæ omnino paruiſſe, neque motioni concupiſcentiæ. Gratia enim, hoc eſt, Spiritus ſan-ctus intus mouens impellebat ad concludendum, ineundam vitam nouam: concupiſcentia verò, ad repetendam vitam ve-terem; Auguſtinus autem medius ſtabat; ideóque torque-batur, quia & diſcerpebatur animus antrorſum, retrorſumque ſimul tractus. Credibile autem eſt Spiritum ſanctum non mo-uere interiùs voluntatem ad aliquid, ad quod non dat illi vires: hoc eſt, non exigere à voluntate motione ſua, & in-terno impulſu aliquem actum, quem non ponat in ejus pote-ſtate, quem mouet. Poterat igitur Auguſtinus toto tempore interioris illius conflictus aliquid ampliùs facere, quàm facie-bat. Nec dubito, quin ſi quis ab eo peteret, an putaret ſe tunc plenè ſatisfeciſſe motioni gratiæ, & ſequutum eſ-ſe quo vſque illa ferebat, negaturus ſit. Ergo fuit hîc gra-tia ſufficiens ad effectum, ad quem non fuit efficax.

Quartò idipſum clariſſimè probat id quod citat Ianſe-nius ex lib. 3. de lib. arbitr. ſi conjungatur cum eo, quod omit-tit. Citat enim quæ dicit Auguſtinus, Non habere homi- "*cap.* 18. nem in poteſtate vt bonus ſit, ſiue non videndo qualis eſſe " debeat, ſiue videndo & non valendo eſſe qualem debere eſſe " ſe videt. *Et*, Illam eſſe pœnam juſtiſſimam, vt qui rectè fa- " cere cùm poſſet, noluit, amittat poſſe, cùm velit. *Et*, Errare " inuitum, & reſiſtente atque torquente dolore carnalis vincu- "

„ li, non poſſe à libidinoſis operibus temperare. *Et*, Inuitum „ facere contra præcepta juſtitiæ. Hæc omnia Ianſenius ſollicitè collegit, vt perſuaderet Auguſtinianam eſſe doctrinam ſuam de impoſſibilitate mandatorum. Sed omiſit quæ ſequuntur. Proponit enim objectionem, quæ ſtatim naſcitur ex illo modo loquendi in ſpeciem aſpero & malè intellecto. Hîc occur„ rit illa quæſtio, quam inter ſe murmurantes homines rodere „ conſueuerunt, qui quodlibet aliud in peccando, quàm ſe ac„ cuſare parati ſunt. Dicunt enim, ſi Adam & Eua peccaue„ runt, quid nos miſeri fecimus, vt cum ignorantiæ cæcitate „ & difficultatis cruciatibus naſceremur, & primò erraremus „ neſcientes, quid nobis eſſet faciendum, deinde vbi nobis in„ ciperent aperiri præcepta juſtitiæ, vellemus ea facere, & reni„ tente carnalis concupiſcentiæ neſcio qua neceſſitate, non valeremus. Hæc eſt objectio, vide quid reſpondeat. Quibus breui„ ter reſpondetur vt quieſcant, & aduerſus Deum murmurare „ deſiſtant. Rectè enim fortaſſe quererentur, ſi erroris & libidinis „ nullus hominum victor exiſteret. Quid eſt hoc, *rectè quererentur*, ſi nullus hominum ignorantiæ & libidinis victor exiſteret? Et quare non rectè queruntur modò quando conſtat tales aliquos eſſe victores? Quid, inquam, eſt fugienti militi oſtentare victorem, niſi dicere in alterius exemplo monſtrari quid ipſe poſſit? Hoc omnino vult Auguſtinus, vt qui vincuntur, ſibi perſuadeant, ſibi etiam factam eſſe vincendi facultatem; ideòque imputandum ignauiæ, non autem neceſsitati, quòd vincantur; alioqui eſſet abſurda comparatio, eſſétque idem atque illi quem fames & extrema neceſsitas mori cogit, dicere: rectè quereretur, ſi nulli vſquam eſſent ſaturi. Et quòd Auguſtinus quemadmodum dixi, ſit intelligendus, oſtendunt manifeſtè quæ ſequuntur immediatè.

Cùm verò vbique ſit præſens, qui multis modis per crea„ turam ſibi Domino ſeruientem auerſum vocet, doceat cre„ dentem, conſoletur ſperantem, diligentem exhortetur, co„ nantem adjuuet, exaudiat deprecantem; non tibi ad culpam „ imputatur quòd inuitus ignoras, SED QVÒD NEGLIGIS QVÆ„ RERE quod ignoras: neque illud quod vulnerata membra „ non colligis; ſed quod volentem ſanare CONTEMNIS. Alloquitur Auguſtinus diuinorum præceptorum tranſgreſſores,

qui peccandi neceſſitatem excuſant, & quiduis aliud accuſare malunt, quàm ſe. Vide autem quid illis reſpondeat, & quomodo prætextum illum neceſſitatis diſſoluat propoſitione præſentis auxilii, quo fit vt non ampliùs debeant neceſſitatem illam cauſari, ſed confiteri ſocordiam: nec opponere defectum medicinæ, ſed dolere de contemptu medici.

Vnde perſpicuè liquet, ex Auguſtino vera eſſe iſta duo, nempe, ad id quod dicit, & quod à Pelagianis extorquere vult, non poſſe nos obſeruare præcepta, vtiliter ad ſalutem, ſine Dei gratia; ipſum adjungere deinde, *ſed gratia non deeſt:* & eſſe Auguſtinianam propoſitionem illam abſolutam Concilii Tridentini *& adjuuat, vt poſſis* præceptum ſcilicet implere. Deinde conſtat verum etiam eſſe, quòd Auguſtinus agnoſcat gratiam ſufficientem, & non efficacem, qualis eſt hæc, quæ peccatoribus adeſt, & quæ tamen effectu caret. Nec Ianſenius debebat hæc abſcondere, vel diſſimulare, cùm ea propoſuit, quæ ſunt in præcedenti capite, ſi candidè & ex officio antiquæ ſimplicitatis procedebat. Seſſ. 6. c. 11.

Sed eſt adhuc magis aperienda mens Auguſtini. Tam multa enim dicit ad probandam gratiam ſufficientem, vt videatur hoc in loco ſepulcrum poſuiſſe Ianſeniſmo. Vide quid addat ad illa verba, quæ proximè allata ſunt.

Iſta tua propria peccata ſunt, nempe negligentia quærendi quod ignoras, & contemptus illius, qui te ſanare vult, in quibus non habes quod accuſes Adamum, ſed te. Quidni verò? Nulli enim " homini ablatum eſt ſcire vtiliter quærere, quod inutiliter igno- " rat; & humiliter confitendam eſſe imbecillitatem, vt quærenti " & confitenti ille ſubueniat, qui nec errat dum ſubuenit, nec la- " borat. Hoccine non eſt confiteri gratiam ſufficientem omnibus datam, vel proximam ad bene viuendum, vel remotam, quæ tamen ſufficiat ad acquirendam proximam? Sed pergit, & percurrendo modos omnes propagationis & multiplicationis animorum, quemcumque quiſque eligat, gratiam ſufficientem ſemper confirmat. Et primò ſi *ſupponantur animæ fieri ex traduce*, ſubdit,

Iam verò vt meliores gigneret Adamus, quàm ipſe eſ- Cap. 10. " ſet, non erat æquitatis, ſed ex conuerſione ad Deum vt vin- "

„ ceret quiſque ſupplicium quod origo ejus ex auerſione me-
„ ruerat, NON SOLVM VOLENTEM NON PROHIBERI, SED ETIAM ADIVVARI OPORTEBAT. Oportuiſſe vt quiſque juuaretur ad vincendam concupiſcentiam, eſt-ne Dei gratiam deeſſe *volentibus & conantibus*, quod dicit Ianſenius? Pergit & ex ſuppoſitio-
„ ne quòd ſingulæ in ſingulis hominibus animæ creentur, Quam-
„ quam in ignorantia & difficultate nata ſit, NON TAMEN AD PER-
„ MANENDVM IN EA IN QVA NATA EST ALIQVA NECESSITATE, COMPRIMITVR, præſentia ſcilicet auxiliorum ad emergendum id impediente. Iam ſi animæ priùs creatæ dicantur à Deo mitti ex aliquo ſecreto ad inſpiranda & regenda corpora. DEDIT ILLIS DEVS FACVLTATEM BENE OPERANDI IN LABORIOSIS OFFICIIS, ET VIAM FIDEI IN OBLIVIONIS CÆCITATE. *Indicium illud vel maximè, quòd anima omnis & quærendum eſſe concedit quod inutiliter neſcit, & perſeueranter in officioſis laboribus enitendum ad euincendam rectè faciendi difficultatem, & opem à Creatore implorandam, vt conantem adjuuet, qui vel extrinſecus lege,* VEL IN INTIMIS CORDIS ALLOCVTIONE CONANDVM ESSE PRÆCEPIT. En iterum Deum adjuuantem ad ea præſtanda quæ præcipit. *Quiſquis autem hoc iſtius vitæ captus amore* NEGLEXERIT, *nullo pacto juſtè flagitium deſertionis ſuæ Regis imperio deputabit.* Quare autem non deputabit hoc Deo? Quia nimirum *negligentia* eſt non impotentia, accepta enim erat bene operandi facultas. Et vt addit paulò pòſt, *libera voluntas petendi, quærendi, conandi non eſt ablata.* Et ideo *deſertio* eſt, non qua deſeratur animus à Deo, ſed qua Deum adjuuantem ipſe deſerat. Denique ſi animæ priùs creatæ ſponte ſua venire dicantur ad informanda corpora; ne ſic quidem excuſare poſſent difficultatem bene agendi & ignorantiam, quia & ipſa ex illa hypotheſi ſtatum hunc eligunt, itaque ſibi voluntaria faciunt hæc impedimenta; & quia ſemper ſtat quod dixit, Deum *non auferre liberam voluntatem petendi, quærendi, pulſandi.*

Hæc iterum confirmat poſtea; cùm ait, NON NEGATAM
cap. 22. negligentibus animis IN STVDIIS OPTIMIS ET PIETATE PROFICIENDI FACVLTATEM. Item, *Quod ergo ignorat quid ſibi agendum ſit, ex eo eſt quod non accepit: ſed hoc quoque accipiet, ſi hoc quod accepit bene vſa fuerit,* ACCEPIT AVTEM ET VT PIE DI-

LIGENTER QVÆRAT SI VOLET, *&c.* En tibi apertiſſimam illius gratiæ remotæ deſcriptionem, quæ ſufficit ad acquirendam proximam. Nempe quòd ipſa quoque proxima ſit, ad tollenda impedimenta, vel ponenda media vlterioris & vltimo-proximæ.

Neque intelligere poſſum quid habeant Ianſeniani quod reſpondeant, niſi fortè Auguſtinum in illo cap. 18. quod citatur à Ianſenio, Catholicum fuiſſe & Antipelagianum, ſed in tranſitu à 18. ad 19. & ſequentia ſententiam mutaſſe, factúmque Pelagianum. Quibus reſponderi poſſet id quod Auguſtinus ipſe reſpondet Manichæis, partem ſcripturæ, quæ illis fauet acceptantibus, partem quæ nocet, rejicientibus: *Tu es ergo regula veritatis*, non Auguſtinus, quem te ſequi ſimulas.

Ad tollendam autem omnem difficultatem & occupandas omnes euadendi vias, addenda ſunt iſta duo. Primum à Ianſenio jam eſſe pronunciatum quidquid Auguſtinus ſcripſerat in prioribus opuſculis, quæ dum ea recognoſceret non retractauit, cenſendum approbaſſe. Atqui hæc quæ retulimus, non retractauit. Approbauit igitur.

Secundum non eſſe interpretatiuam hanc approbationem, ſed expreſſiſſimam. Nam cùm Pelagius objeciſſet non videri quæ dixerat in illo 3. lib. de libero arbit. conuenire cum iis quæ poſtremis temporibus contra ipſum docebat Auguſtinus; in primis edicit, ſi velit Pelagius amplecti doctrinam inibi traditam, nullam *fore inter ipſos controuerſiam*. Auguſtini verba ſunt: Sed vt non tam illi, (Pelagio,) verùm etiam iis « qui eoſdem libros meos, quos iſte legit de libero arbit. non « legerunt, atque illis non lectis hunc forſitan legunt, de hac « re ſententia mea ſatis appareat; ex ipſis libris commemorare « me oportet, QVÒD ISTE SI SENTIRET, ATQVE IN SVIS « LITERIS PONERET, NVLLA INTER NOS DE HAC « RE CONTROVERSIA REMANERET. Deo ſint laudes: Quæ ſunt igitur quæ veram ſancti Auguſtini mentem jam contra Pelagium diſputantis continent, quibúſque admiſſis perempta lis eſt, & tota cum Pelagianis compoſita controuerſia? Quod felix fauſtúmque fiet, Auguſtinus ſuam deciſionem explicat; & primùm affert ea, quæ Ianſenius accipit

Cap. 67. de nat. & grat.

de quibuſdam, quæ quamuis ſint neceſſitate facta, improbanda ſunt; deinde etiam affert ea quæ Ianſenius relinquit, & ex quibus conſtat voluntariam eſſe illam neceſſitatem, eo quòd aliqui eam vincant: quod vt alij pariter facere poſſint, Deum vbique præſentem eſſe, qui vocet, qui doceat, qui conſoletur, qui adhortetur, qui adjuuet, qui exaudiat, ac proinde neceſſitatem peccandi non imputari; ſed negligentiam vtendi occurrentibus mediis & oblata facultate ac voluntate medici ſanare cupientis; quibus in hunc modum expoſitis ſubjicit Auguſtinus. *Ita & exhortatus ſum, &* GRATIAM DEI NON EVACVAVI, SINE QVA NATVRA HVMANA IAM CONTENEBRATA ET VITIATA ILLVMINARI NON POTEST ET SANARI. *De qua re cum iſtis tota vertitur quæſtio.* Eſt igitur Auguſtini definitio, non euacuari Dei gratiam, quando dicitur ita hominibus adeſſe, vt per eos qui vincuntur à concupiſcentia ſtet, quominus ejus fructum percipiant, & hac vna ratione ſatisfit tum Pelagianis, negantibus eſſe locum exhortationi, ſi eſt peccandi neceſſitas, & impotentia reſurgendi: tum Catholicis, negantibus eſſe locum gratiæ, ſi ſurgendi facultas & perſeuerandi certitudo in natura ipſa fundetur. Auguſtinus vtrumque conjunxit, & exhortatus eſt & gratiam Dei non euacuauit. Itaque totam cum Pelagianis *quæſtionem* diſſoluit. Quis autem non jure miretur, Ianſenium totum hoc myſterium celauiſſe; & cùm librum de nat. & gratia ſæpè citaret in cap. illo 13. lib. 3. de Grat. Salu. vt probaret Dei præcepta nobis eſſe impoſſibilia, hæc quibus Auguſtinus ſub finem oſtendit, quomodo eſſent intelligenda cætera, vel legere noluiſſe, vel ſubtraxiſſe, ne alij legerent. Hoc non eſt quærere veritatem, ſed timere. Et vt hoc magis pateat, addendum quod eſt in libro de gr. & lib. arb. cap. 4. *Homo gratia juuatur, ne ſine cauſa voluntati eius jubeatur.* An jubet ſine cauſa Deus, vt præcepta ſeruent qui non ſeruant? Iuuat igitur. Item illud ex cap. 15. *Quare jubet ſi ipſe daturus eſt? Quare dat ſi homo facturus eſt? niſi quia dat quod jubet & adjuuat cui jubet.*

Tom. 3. de grat. Salu. cap. 14. Atque hinc liquet quàm ſit verum quod ait Ianſenius: Quandocumque Auguſtinus iſtius querimoniæ, qua de malè viuen-

viuentibus conqueritur Deus, æquitatem nititur aſſerere; & *Tom. 3. de gr. Salu. 14.*
excuſationem iſtam delinquentium retundere, quod frequen- «
ter facit, NVMQVAM ILLI IN MENTEM VENISSE, VT ISTO TAM «
EXPEDITO ET FACILI ET PEREMPTORIO SCHOLÆ RECENTIO- «
RIS REMEDIO, HOC EST GRATIA SVFFICIENTE CVNCTAS QVERE- «
LAS EORVM SVFFOCARET. Sed ſemper ad duas negatæ gratiæ «
cauſas recurrere, nempe ad illam ipſam gratiam Dei, quæ «
quia gratis omnino datur, ſine iniquitate ſubtrahitur, & ad «
culpam eorum, ſiue originalem ſiue propriam, quâ juſtiſſi- «
mam Dei ſeueritatem, hoc eſt ſubtractionem gratuitæ gratiæ, «
quâ bene viuerent, prouocarunt. Hæc ille, quibus conten- «
dit Auguſtino numquam veniſſe in mentem id, quod tam «
fusè, tam perſpicuè, támque disertè in citato lib. de libero «
arbitrio expreſſit. Quod in lib. de Natura & Gratia repetiit & approbauit; & quo vno cenſuit totam cum Pelagianis controuerſiam perimi. Qui ſunt enim illi, quos ibi *retundit*, & quorum querelas *ſuffocat*? Nonne illi ſunt, qui *murmurabant aduerſus Deum*, *& querebantur* de neceſſitate peccandi, ex Adamo deriuata? Et quomodo ſuffocat querelas ipſas, niſi docendo non eſſe illis ſubtractam gratiam, qua vincere poſſint difficultates ejuſmodi, ſed ipſorum vitio factum, vt effectu caruerit? Et hoc non eſt recurrere ad gratiam ſufficientem? Poſſem addere illam quoque reſponſionem Auguſtini, ad eos qui queruntur quòd non acceperint perſeuerantiam, quibus dicit reſponderi poſſe *in eo quod audieras & tenueras, in eo perſeuerares ſi velles*.

Ex quibus intelligitur Ianſenium non repræſentare fideliter querelam illam, cui tum Apoſtolus ad Romanos, tum Auguſtinus ſæpe reſpondent, quando dicunt, *ô homo tu quis es qui reſpondeas Deo?* Non enim fundatur illa querela in ſola ſubtractione gratiæ, ſed in ejus diſtributione inæquali, qua fiat, vt cùm par ſit omnino cauſa duorum; hunc faciat vas in honorem, ſua prædeſtinatione, illum ſinat eſſe vas contumeliæ, cùm poſſet æquare illos, vel inuerſâ diſpoſitione, inæquales reddere: quòd ex duobus juſtificatis huic viuendi tempus præcidat, antequam cadat, illum ſinat viuere, peccare & damnari: quòd cùm non deſint auxilia, quæ dari poterant illi, qui tentatione vincitur, ad victoriam infallibilia, *Rom. c. 9.*

minus adjuuet : quòd duorum infantium vni de Baptiſmo efficaciter prouideat, non alteri. Et hoc eſt quod dicunt, ſi Deus vult oſtendere in illo ſuam miſericordiam, & in me ſuam juſtitiam, *voluntati ejus quis reſiſtit?* His & ſimilibus querelis conſtanter reſpondent Apoſtolus & Auguſtinus, *ô homo tu quis es, qui reſpondeas Deo?* non verò vnquàm ad præciſam querelam de impoſſibilitate ſeruandi aliquod mandatum. Sed Ianſenius more ſuo vtriuſque ſenſum interuertit, & Apoſtoli & Auguſtini.

FALLACIA DVODECIMA.

VLTIMA & duodecima Fallacia notanda eſt circa ſingularem citationem ejus, quod eſt in Epiſtola ad Bonifacium Comitem. *Serua ſaltem pudicitiam conjugalem, & roga Deum vt quod non potes modò, poſſis aliquando.* Truncat Ianſenius verba immediatè præcedentia, *ſed ſi cum illa*, hoc eſt cum vxore, *agere non potes, ſerua ſaltem pudicitiam conjugalem, &c.* Nimirum hæc erat hujus Comitis cauſa, in qua ſuum ad illum Auguſtinus conſilium ſcripſit. Bonifacius olim amiſſa priore vxore, tædio rerum præſentium, vt fieri ſolet, ſtatuerat mundo nuntium dicere, vitámque inire religioſam, ſed inſtinctu illo, vti etiam fieri ſolet, ſenſim frigeſcente, mitigatóque vxoris amiſſæ dolore, de alia quærenda cogitare cœpit. Inuenit illam & duxit, ſéque totum iterum immerſit hujus vitæ negotiis. Auguſtinus captatâ occaſione reuocare illum conatur ad Deum, atque ad ipſam religioſæ vitæ profeſſionem, ſi tamen vxor ipſius conſentire velit. Quòd ſi non poteſt agere cum illâ, vt ejuſmodi conſenſum obtineat, monet vt interea *ſeruet pudicitiam conjugalem, & Deum roget vt quod non poteſt modò*, impetratâ coniugis veniâ, *poſſit aliquando*, illa ſcilicet voluntatem mutante, vel Deo res aliter diſponente. Hic eſt planiſſimus Auguſtini ſenſus. Ianſenius qui vndequaque colligebat Auguſtini teſtimonia, vt probaret impoſſibilia nobis eſſe Dei præcepta: & ad hoc referebat id omne, in quo ille dicit *hominem aliquid non poſſe*; quod hîc di-

xerat de impedimento vxoris, nolentis conſentire in ſeparationem mariti, truncatâ ſententiâ refert ad impoſſibilitatem ſeruandi præcepti de pudicitia conjugali. Et non animaduertit quàm mollis & effeminati conſilii Auguſtinum authorem faciat; dum ſuadet Bonifacio, vt Deum roget, vt ſi modò non poteſt ſeruare pudicitiam conjugalem, aliquando poſſit. Quid enim eſt, vt aliquando poſſit? Et quare non roget vt modò poſſit? cùm vrgente periculo à Deo vires petimus, num conſentimus vt poſtulata differat? Petimus ſcilicet vt modò quidem ſinat nos peccare, ſed juuet deinde in futuris periculis? Et vult Ianſenius vt Bonifacio perſuaſerit Auguſtinus puerilem illam orationis formam, quam ipſe damnat, & quam inter peccata ſua confitetur, cùm olim in exordio adoleſcentiæ precando Deo diceret, *Da mihi caſtitatem & continentiam, ſed noli modò?* Ianſeniani Belgæ, qui jactant ſe Romæ paciſci voluiſſe, ſi poſſet vnicus locus oſtendi in toto Ianſenio, vbi ille à mente Auguſtini aberraſſet, ſe propriis manibus ejus Auguſtinum in acie Campi Floræ flammis daturos, videant tum ex hoc vltimo jam notato, tum ex omnibus aliis quæ ſunt notata ſuperiùs, an ſit tempus implendi promiſſa. *Lib. 8. Conf. cap. 7.*

Atque hoc quod in hac prima propoſitione factum eſt, fieri ſimiliter poterat in quatuor ſequentibus, atque in cæteris controuerſiis Theologiæ Ianſenianæ. Sed facilè poterit Lector ex dictis intelligere, quid ſit ſentiendum in aliis, & quam fidem mereantur qui putant ipſiſſimam Auguſtini mentem à Ianſenio & diſtinctè comprehenſam eſſe, & fideliter explanatam.

SECVNDA PROPOSITIO.

Interiori gratiæ numquam reſiſtitur in ſtatu naturæ lapſæ.

Quid ſentiat Ianſenius.

Tom.3.l.2. de gr.Sal.c.14.

IANSENIVS aliquid ampliùs dicit, quia non ſolùm dicit numquam reſiſti internæ gratiæ, ſed nec reſiſti poſſe: atque hoc ſe colligere putat ex Auguſtino: *Quamobrem ſextò*, inquit, *gratiam Dei victricem ſtatuit ſupra voluntatis arbitrium, vt non rarò dicat hominem operanti Deo per gratiam*, NON POSSE RESISTERE. Et quia ſtatim occurrebat reſponſio, id Auguſtinum dixiſſe non de omni gratiâ, ſed de gratiâ electorum, & quæ dicitur ſecundùm propoſitum; Ianſenius id tanquam vniuerſaliter dictum de omni gratia per Chriſtum interpre- » tatur, vt conſtat ex iis, quæ ſubjicit, cùm dicit; Ex quibus » jam non eſt difficile perſpicere, quàm procul ab Auguſtini » doctrina & ſenſibus aberrauerint, qui nobis talem gratiam » procuderunt, quæ ſemper explorat, expectàtque voluntatem » hominis, ne ſi fortè præuaricator fuerit, caſſa & inanis gra- » tia, & effectus diuinæ miſericordiæ irritus humanâ poteſta- » te reddatur; nempe vt ſit quædam potentialis gratia, cum » qua homo credat, conuertatur, operetur SI VELIT, SIN » AVTEM NOLIT, nullus ſequatur voluntatis aut operationis » effectus, quales de gratia medicinali cogitationes, QVIBVS » EFFECTVS AB EA PONENDVS DICATVR SI VELI- » MVS, jam olim conuellit Auguſtinus. Et cùm deinde iterum objectum eſſet, ea quæ retulit ex Auguſtino intelligenda de gratia efficaci, præter quam agnoſcenda eſſet alia:

Ibid.c.27. » Reſpondeo, inquit, nihil verius dici poſſe, quàm quòd om-

nia quæ hactenus protulimus, de gratia efficaci Auguſtinus " dixerit atque intellexerit. Cujus rei cauſa eſt, quòd NVLLAM " AGNOVIT ALIAM ACTVALEM CHRISTI GRATIAM, NEC AG- " NOSCERE POTVERIT, niſi regulas omnes fundamentales, qui- " bus innixus naturam gratiæ medicinalis tradidit & explicuit, " vellet interimere. Itaque Auguſtinus nullam agnoſcere po- " tuit Chriſti gratiam niſi efficacem, hoc eſt illam *cui voluntas humana non poteſt reſiſtere.* Et iterum vbi agit de gratia congrua, concludit. Si nomen congrui vel incongrui " adhibendum eſſet ad ſignificandam internam gratiam, OM- " cap. 32. NEM FORE CONGRVAM, quòd omnis omnino efficiat vt vo- " luntas ſiue tenuiter ſiue fortiter velit, provt nimirum efficax ipſa eſt: eſſe enim aliquam, quæ non habeat virtutem, niſi ad excitandos affectus inefficaces, ſeu velleitates; aliam quæ abſolutè conuertit voluntatem, vtramque autem habere ſempet ſuum *effectum adæquatum*, atque ita numquam illi reſiſti, quia numquam reſiſtitur ei, cujus adæquatus effectus non impeditur. Cap. 25. ejuſdem libri, Auguſtinum dicit *prædicaſſe* SOLAM GRATIAM, quæ dat ſimul effectum ſuum, & Semipelagianos licèt admitterent gratiam quæ *adjuuaret intus hominem ad credendum ſi vellet, non potuiſſe tamen hæreſis notam effugere.* Item *medicinalem Chriſti gratiam* SEMPER EFFECTVM SVVM INFERRE VOLVNTATI. Et cap. 27. Quamobrem qui- " cumque animaduertit omnia, quæ de adjutorio gratiæ medi- " cinalis ex Auguſtino diximus, de gratia quadam potentiſſi- " ma, quam efficacem recentiores ſuo ſenſu vocant, eſſe in- " telligenda; conſequenter hoc etiam animaduertere debet, " NON ALIAM CHRISTI GRATIAM MEDICINALEM IN SCRIPTIS " EIVS REPERIRI. *Item*: Si gratia non auferat duritiam cordis, " cap. 29. hoc eſt, ſi non faciat de nolente volentem, non eſſe gra- " tiam, quam quærimus, hoc eſt non eſſe Chriſti gratiam. Item, cap. 31. *veram Chriſti gratiam* SEMPER AGERE ET PERAGERE EFFECTVM SVVM, ET QVÆ HOC NON FACIT AB AVGVSTINO RELEGARI AD LEGEM ATQVE DOCTRINAM.

Adde quæ docet toto ferè lib. 3. contra gratiam ſufficientem, quam vult eſſe *monſtrum in Theologia*, & pertinere ad errorem Pelagianorum. Sufficere poſſunt vel ſolæ capitum

inſcriptiones, & libri ſecundi de gratia Saluatoris cap. 27. pag. 82.

Quid ſentiant Hæretici.

EANDEM doctrinam amplectitur Caluinus, dum dicit in antidoto Concilii Tridentini, capite ſexto ſeſſ. 6. motum Spiritus ſancti ſic eſſe *efficacem, vt fidem ſemper gignat*; & 2. Inſt. cap. tertio, numero 5. agnoſcit *perpetuum effectum gratiæ.*

Idem Petrus Molinæus Caluiniſta rigidiſſimus in *Anatome Arminianiſmi* cap. 36. dum agit de interna gratia. Quamuis enim agnoſcat aliquos eſſe, qui internæ ſuggeſtioni Spiritus ſancti reluctantur, & gratiam cum indignatione expuunt, negat tamen hæc dona quæ reſpuunt *eſſe dona regenerationis, aut Spiritum adoptionis.* Itaque ſupponit veram Chriſti Redemptoris gratiam, eſſe ſemper efficacem, &, quod idem eſt, numquam illi reſiſti: & ideo deinde cap. 45. num. 3. ait, *Auguſtinum vſum vocibus, quæ non minus habent virium ad deſignandum vim gratiæ, quàm vox* IRRESISTIBILIS, *quam Ieſuitæ*, inquit, *nondum procuderant.*

Adde quæ nuper ſcripſit Samuel Mareſius in ſuis ad Catechiſmum Ianſenianum additionibus, vbi pag. 25. ex eiuſdem Catechiſmi doctrina infert, Sic corruit INEPTA ET IMPORTVNA Ieſuitarum, & aliorum gratiæ DISTINCTIO IN SVFFICIENTEM ET EFFICACEM, circa quam hærent mille difficultatibus impliciti: *& mox*: Nec gratia Chriſti dici debebit, niſi victrix & liberatrix fuerit. Et antea pag. 1. Synodum Dodracenam meritò annumerare erroribus ex Eccleſia rejiciendis ſententiam de conuerſione per *talem dumtaxat gratiæ operationem, cui homo & reſiſtere poſſit & actu ſæpe reſiſtat: Eſſe enim* INSVPERABILEM ET SVO SENSV IRRESISTIBILEM *hanc gratiæ operationem.*

Quid ſentiat Eccleſia.

EST tamen verum quod & Caluinus ſupponit, ſe in eo Tridentinis Patribus aduerſari, & Molinæus Pontificiis Doctoribus. Quamuis enim illa ſententia per ſe ac ſeorſim

non videretur eſſe damnata, quia tamen inſeparabilem habet connexionem cum damnatis, in eamdem & ipſa damnationem venit.

Et primò quidem pertinet ad ſuperiorem propoſitionem, quam probatum eſt jam eſſe damnatam in Concilio Tridentino. Cùm enim conſtet inter omnes, juſtificatos ſæpe peccare, omittendo neceſſarium exercitium virtutum ſupernaturalium, Fidei, Spei, & Caritatis, vel conſentiendo tentationibus contra eaſdem virtutes inſurgentibus; interrogo, vel poſſunt exercere virtutes illas, quas culpabiliter omittunt, vel non; ſi non poſſunt, obligantur ad impoſſibile, quod Tridentinum damnauit: ſi poſſunt, ergo habent internum auxilium, ſine quo non poſſent; & conſequenter manet illud auxilium ſine effectu, quod eſt illi reſiſti. Similiter dum conſentiunt tentationibus contra eaſdem virtutes; vel habent præſidia neceſſaria ad illas vincendas, vel non; ſi non habent, ergo tenentur ad impoſſibile; ſi habent, ergo tunc interna gratia caret effectu, eique reſiſtitur, quia ſine interna gratia non ſunt præſidia ſufficientia & neceſſaria ad vincendas tentationes, præſertim graues.

Præterea plus nimio certum eſt, juſtificatos omnes non facere id ad quod ideo obligantur, *quia per Chriſtum id poſſunt*, vt Concilium loquitur ſeſſ. 6. cap. 11. hoc eſt, *non ambulare in via juſtitiæ, nec proficere ſobriè, piè, & juſtè viuentes.* Et pariter certum eſt non poſſe illud per Chriſtum, niſi ratione actualis & internæ gratiæ. Ergo iterum ſupponit Concilium reipſa ſæpè reſiſti internæ gratiæ, fruſtrando illam effectu ſuo.

Deinde cùm Concilium ibidem dicat, propterea juſtificatos poſſe per Chriſtum proficere, *quia Deus non deſerit, niſi priùs deſeratur*, ſignificat Deum non deſerere ſubtrahendo gratiam, quæ neceſſaria eſt ad illud, *poſſe per Chriſtum*: ſed illa gratia eſt interna & actualis; ergo Deus illam non ſubtrahit: & tamen juſtificati plerique illa non vtuntur, & cadunt. Igitur illi reſiſtunt.

Tandem quod Concil. eadem ſeſſ. cap. 13. dum agitur de perſeuerantia, dicit: *debere juſtificatos collocare firmiſſimam ſpem in Dei auxilio*, pertinet ad omnes, etiam ad eos qui cadunt. Impoſſibile autem eſt, vt concipiatur firma ſpes in aliqua re,

niſi ex perſuaſione æquè firma, quòd illa res non deerit; ergo jubentur etiam illi, qui cadunt, ſibi firmiſſimè perſuadere non defuturum diuinum auxilium, & timere tantùm ne deſit ipſorum cooperatio: nec tamen jubentur perſuadere ſibi rem falſam; ergo re vera non deeſt illud auxilium, & tamen defectu cooperationis cadunt plerique; igitur illi & habent diuinum auxilium, quo ſtare poſſent, & tamen cadunt, itaque diuino auxilio reſiſtunt, quod internum eſſe debet; nam in ſolo externo nemo poteſt firmam ponere ſpem. Eadem ratione, quiuis facilè monſtrare poterit hanc eamdem ſecundam propoſitionem eſſe connexam cum ſequentibus, ſine dubio damnatis.

Secundò. Idem eſt in ſtatu naturæ lapſæ, numquam reſiſti interiori gratiæ, & nullam eſſe gratiam ſufficientem, vt dictum eſt, annuente etiam Ianſenio: negare autem gratiam ſufficientem, ipſi Thomiſtæ, quorum maximè intererat, errori contra fidem attribuunt. Didacus Aluarez, qui dedit initium diſputationibus de Auxiliis, coram Clemente VIII. diſp. 71. probat admittendam eſſe gratiam ſufficientem, diſtinctam ab efficaci *ex Scriptura, Conciliis, Patribus, Doctoribus, Scholaſticis*, præſertim D. Thom. *nec vllum Catholicum ea de re dubitare.* Idem diſp. 76. num. 3. *conuenire omnes Catholicos* quòd gratia excitans exterior non ſit eadem cum gratia ſufficiente: ſufficientem enim tribuere ſufficientes vires libero arbitrio; quod non facit gratia excitans exterior: interior igitur debet eſſe illa gratia ſufficiens, ex omnibus Catholicis, & tamen effectu caret. Petrus de Ledeſma in tractatu de Auxiliis ar. 16. qu. vnica, dicit eſſe doctrinam *omnium diſcipulorum B. Thomæ.* & art. 13. diuiſionem diuini auxilii in efficax & ſufficiens eſſe *tenendam ſecundùm fidem.* Ioannes à S. Thoma diſp. 20. in primam part. pag. 693. editionis 1. inter errores quibus doctrina Caluini diſtinguitur à doctrina Thomiſtarum ponit hunc, quòd *Caluinus negauerit gratiam ſufficientem;* & hoc ait dixiſſe Patrem Lemos coram Summo Pontifice in diſp. de Auxiliis. Igitur errori attribuendum quòd quis ſentiat, nullam eſſe interiorem gratiam, cui voluntas reſiſtat.

Tertiò. Eadem propoſitio videtur habere manifeſtam cum

ſacris

ſacris Scripturis oppoſitionem : ſequitur enim inde *neminem eſſe qui reſiſtat Spiritui ſancto dum peccat*, vel dum non ſequitur inſpirationem: neminem eſſe, qui *ſpiritum extinguat*: neminem *lumini rebellem*: neminem *ſurdum* ad Dei vocem ; neminem, qui *cor ſuum obduret*; neminem, qui *vocatus renuat, &c.* Nam ſi is qui peccat vel nullam habet inſpirationem ad non peccandum; vel ſi quam habet, non impedit quominus illa totum effectum habeat cujus eſt capax, quomodo dici poteſt reſiſtere Spiritui ſancto, vel contumeliam facere Spiritui gratiæ, vel Spiritum extinguere, qui in eo non eſt accenſus, aut ſi eſt, tandiu luxit, quamdiu aptus fuit? Quomodo dicitur rebellis lumini, quem nullus radius attingit, hoc eſt nulla interior illuſtratio? Quomodo ſurdus ad quem non peruenit ſonus? Eſt enim hic defectus interiorum aurium ; qarum objectum eſt ſonus pariter interior & inſenſibilis. Ob eandem cauſam quomodo poterit cuipiam exprobrari illud; *vocaui & renuiſtis*, ſi qui vocat, voce vtitur tam tenui, vt non perueniat ad auditum interiorem, quo ſolo excitari poteſt is qui vocatur? Obdurare autem cor ille tantùm dici poteſt, qui tangenti & impellenti non cedit: nec vllam ejus impreſſionem admittit; quòd ſi nullus ſit interior tactus, quæ poteſt eſſe obdurato? Homo, inquies, ſe impedit ne gratias illas recipiat: ſed contrà; nam ſi ſe impedit, peccato aliquo ſe impedit, & ante illud peccatum non erat impedimentum, & tamen ſubtractæ erant eædem gratiæ; ergo non eſt cur dicatur per illud peccatum ſe impedire. Impeditur, inquit, peccato originali: ſed contrà, reſiſtere enim, renuere, obdurare ſic exprobrantur, tanquam peccata perſonalia, *& propriæ voluntatis.* Etiam ſurditas, obduratio, & cæcitas dici non poteſt, ſi non fuit præſentia vocis, tactus, & lucis. Iam illa olim exprobratio, *quid potui facere vineæ meæ & non feci*, quid habebit rationis & æquitatis? Nonne erit in promptu cuilibet legitima reſponſio, poteras dare internum auxilium, ſine quo ſciebas me nullum fructum afferre poſſe. Et illa alia, *Væ tibi Capharnaum*; *væ tibi Coroſaïm*, erit-ne vera? Si Capharnaïtæ & Coroſaïnitæ nullum habuerunt internum auxilium, erit-ne verum; ea quæ illis collata ſunt beneficia effectum fuiſſe habitura in Tyriis & Sidoniis? An erant con-

uertendi Tyrii & Sidonii ſine vllo auxilio interno? Illud igitur habuerunt Capharnaïtæ & Coroſaïnitæ, & tamen ſine effectu, ergo illi reſtiterunt. Et illud Chriſti, *quoties volui congregare filios tuos ſub alas & noluiſti*, quid, quæſo, ſignificabit? Quid fecit Chriſtus vt congregaret? Miſit, inquis, Prophetas. Sed Prophetarum vox valet-ne aliquid niſi animetur diuino Spiritu, quo penetrare poſſit vſque ad aures cordis? Et poteſt-ne dici peccator noluiſſe congregari ſub alas Dei vocantis & inuitantis, ſi nulla facta fuerit humanæ voluntati, cui hoc exprobratur, intimatio diuinæ voluntatis, & interior monitio à quâ ſolâ moueri poteſt? Quòd ſi facta eſt aliqua, nonne igitur fuit ſine effectu? Tandem quid ſibi voluit D. Paulus, cùm diceret ad eos, qui erant duro & impœnitenti corde, Rom. 20. *An diuitias bonitatis ejus & patientiæ, & longanimitatis contemnis, ignorans quoniam benignitas Dei* AD POENITENTIAM TE ADDVCIT? Quis contemnere poteſt diuinæ bonitatis diuitias, niſi oblatas? Vllum-ne impœnitentes illi, juxta ſententiam Ianſenii auxilium acceperunt, quo non ſint bene vſi? Quomodo igitur adduxit eos Deus ad pœnitentiam? Quid contulit vt progredi poſſent? An veram habuit de illis juuandis cogitationem? An non habuit potiùs abſolutam non juuandi voluntatem? Qui ſunt igitur, & vbi ſunt illius benignitatis effectus? Nonne hinc liquet, animis Ianſeniſmo occupatis, nonniſi illuſoriam eſſe poſſe Apoſtoli hanc objurgationem? Et in ea doctrina nonne ſimilis eſt Deus illi, qui promittit auditum ſurdo dummodo audiat alloquentem medicum, & viſum cæco, dummodo aſpiciat ſanare volentem? Aptiſſimè igitur nouem illi Doctores Sorbonici, quibus hæ quinque propoſitiones traditæ fuerant examinandæ, huic ſecundæ ſic ſubſcripſerunt, *hæc propoſitio eſt contraria ſacris ſcripturis.*

Quid reſpondeant Ianſeniani.

IANSENIANI ſic reſpondent, vt videantur velle diſtinguere duplicem gratiam, internam, alteram cui reſiſtatur, alteram, cui non reſiſtatur. Eſſe nimirum aliquam, quæ eſt ſuperior cupiditate, aliquam quæ eſt inferior; inferiorem

gignere deſiderium tantùm inefficax, nec natam eſſe peragere aliud, nec ad alium effectum à Deo dari ſaltem immediatè, ſuperiorem gignere deſiderium perpetuò efficax, in quem finem etiam à Deo datur, quippe quæ apta eſt ad producendum talem effectum. Ergo dici poſſe inferiori illi reſiſti, quatenus non ſequitur vltimus & remotus effectus. Huic diſtinctioni ſic expoſitæ Commentator quidam anonymus iſtarum quinque propoſitionum ſubjicit, hinc certò conficimus poſitionem hanc, interiori gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ numquam reſiſtitur, ſi ſubaudieris quoad effectum, vel actum, ob quem datur directè, & proximè, veram, Catholicam, ſanctiſſimam eſſe: nec niſi cum maximo Auguſtini, vetuſtatiſque totius diſpendio atque contemptu in dubium reuocari poſſe. Quam collectionem dico eſſe abſurdiſſimam: nec aliud continere quàm firmiſſimam aſſertionem propoſitionis *vt veræ, vt catholicæ, vt ſanctiſſimæ,* in eo ſenſu, in quo illa damnabilis eſt.

Quid enim eſt quod dicit, ſi ſubaudieris quoad effectum, ob quem datur directè & proximè? poteſt-nè aliud ſubaudiri, dum dicitur gratiæ reſiſti, quàm quod impediatur effectus, ob quem datur? Ergo ſi ſubaudieris effectum, ob quem gratia non datur, quem Deus non intendit, & cujus ea non eſt capax, dicere poteris illi reſiſti, quatenus effectus ille non ſequitur; fecit gratia quidquid apta nata erat facere, fecit quidquid intendebat Deus per illam fieri, & ſi ſubaudieris, aliquid aliud, quod non fecit, & quod Deus non intendit, vt faceret, dicere poteris illi reſtitum eſſe? Quis ſenſus adeò inſulſos ſubaudire poſſit, dum rationabiliter loquitur? Eſt ſeruus, cui redimendo talentum omnino neceſſarium eſt, ego illum redimere non intendo, ſed do illi tantùm tres quadrinos in ſubſidium; accuſabo illum, quod reſtiterit ſuæ redemptioni? Incendendæ ſtupæ neceſſarium eſt calidum vt octo, admoueo calidum vt duo, dicam reſtitiſſe ſtupam, atque impediuiſſe ne inflammaretur? Nimirum ab hoc agente inflammari poterat, ſi non reſtitiſſet? Moribundo propino potum aquæ frigidæ, quo ille ſanari non poteſt, nec ego etiam intendo vt ſanetur, reſiſtentiæ illius tribuam, quòd non conualuerit, adjutus medicamento tam efficaci? Erit etiam

exprobrandum mortuo, quòd non reuiuiſcat, adhibito cataplaſmate, quod fortè profuiſſet viuo? Et non pudet doctores iſtos in conuentu hominum ſapientum, atque in ipſo Eccleſiæ conſpectu ad cogitationes adeò abſurdas trahere, quæ Scriptura ſacra, quæ Concilia, quæ SS. Patrum conſenſus tradit? Scilicet nihil aliud intendebat S. Stephanus, cùm dixit, Vos ſemper Spiritui ſancto reſiſtitis, quàm ſemper vos impediuiſtis effectum gratiæ, quem illa non poterat producere, & quem Deus nolebat vt produceret? Nihil aliud Concilium Tridentinum, cùm ſignificauit juſtificatis qui tentationibus ſuccumbunt, non deeſſe gratiam, quâ perſeuerent, ſed ipſos gratiæ deeſſe? Quomodo deſunt illi gratiæ, ſi illa habet totum effectum, quem habere poteſt & quem vult Deus vt habeat? Et hoc tantùm cogitant SS. Patres dum inuehuntur in illos, qui diuinis inſpirationibus reſiſtunt? Quis reſiſtit inſpirationibus, quæ habent totum ſuum effectum, ſeu vt dicit Ianſenius *effectum adæquatum*, & præter quem Deus nihil aliud intendebat?

Nam quod dicunt de effectu, ob quem datur directè & proximè, quaſi eſſet alius effectus, ob quem datur indirectè & remotè; verba ſunt & voces, quæ in doctrina Ianſenii nihil ſignificant, vel ſignificant aliquid inexplicabile. Dicant enim, an velit Deus præter effectum proximum hujus gratiæ, qui eſt, vt dicunt, inefficax illud deſiderium, vlteriorem effectum & remotum, qui debet eſſe deſiderium efficax? Si non vult, quare dari dicunt ob illum effectum? Si vult, cùm jam habeatur proximus effectus, quare non adhibet media ad remotum idonea? Hinc ergo patet nullo bono & vero ſenſu dici poſſe in doctrina Ianſenii, vlli gratiæ internæ reſiſti in ſtatu naturæ lapſæ: ac proinde non habere Ianſenianos quo ſe tueantur contra Scripturas, Concilia, & Patres, qui contrarium, vt dictum eſt, prædicant.

Quæ ſit doctrina S. Auguſtini.

SVPEREST exquirenda S. Auguſtini ſententia: qua in re probandum eſt Aduerſariis, quod nondum probare potuerunt, præter gratiam illam ſemper inuictam, ſempérque

victricem, & quæ aliquo ſenſu voluntatem indeclinabiliter impellit ad conſenſum, nullam aliam à S. Auguſtino cognitam interiorem gratiam, vel omnem aliam fuiſſe ab illo rejectam. Iam enim contrarium prolatum eſt, quando probatum eſt Auguſtini eſſe doctrinam illam de poſſibilitate mandatorum Dei, vnde neceſſariò ſequitur auxilium internum, ſine quo poſſibilia mandata eſſe non poſſunt, effectu carere. Probatum etiam eſt ex Auguſtino acceptam eſſe abſolutam illam Concilii propoſitionem: cum eo quod adjungitur, *adjuuat vt poſſis.* Ex eodem Auguſtino de nat. & grat. cap. 26. ſumptum eſt illud; *juſtificatum à Deo non deſeri, niſi Deum priùs ipſe deſerat.*

Cui ſententiæ conjungit hanc aliam, vt Deum ſanantem diſtinguat à medicis corporum. *Sanat ergo*, inquit, *Deus; non ſolùm vt deleat quod peccauimus*, SED ETIAM VT PRÆSTET NE PECCEMVS. Et illud ex eodem lib. cap. 67. quomodo interpretabuntur Ianſeniani, cùm dicit hominibus confractis non imputari; *quòd vulnerata membra non colligant, ſed quòd* SANARE VOLENTEM CONTEMNANT? Vult ſanare Deus quibus nullum remedium applicat: aut applicat tantùm illud quod nullam habet ad ſanandum virtutem? Quam enim habent exteriora omnia ſi deſit Spiritus gratiæ? An volunt Deum, quem dicunt ſanare velle, circulatoribus æquiparare, qui ex quolibet oleo & inutilibus herbis vnguenta conficientes promittunt omnium dolorum ſanitatem? Si non ludificat Deus languentes homines, dum ſe velle ſanare dicit, quis negare poteſt ab illo prodire internum aliquod, vbi vulnus dolet, medicamentum; quod tamen ægrotantis vitio fiat irritum?

Occurrunt alia innumera apud S. Auguſtinum, quibus expreſſiſſimè ſignificat non deeſſe peccatoribus internum auxilium, ad reſiſtendum peccato. Illud è multis omitti non poteſt, quod continetur homilia 12. ex 50. cùm dicit; Et ideo PER DEI ADIVTORIVM cùm ſit in poteſtate tua, vtrum conſentias Diabolo, quare non magis Deo, quàm ipſi obtemperare deſideras? *Et infrà.* Rogo ergo vos fratres, quare Sathanas ſeducit ad peccandum, CVM DEVS POSVERIT IN HOMINIS POTESTATE non conſentire Diabolo, eſt enim quodammodo à dextris præcipiens Deus, à ſiniſtris ſeducens Satha-

„ nas homo in medio conſtitutus, cor quod inclinatur ad dia-
„ bolum, quare non magis erigitur ad Deum? Similia habet in Pſal. 91. cùm dicit, *Sathanas non cogit inuitum*, IN TVA POTESTATE EST CONSENTIRE AVT NON CONSENTIRE. Alloquitur peccatores qui reipſa diabolo conſentiunt. Et Ianſenius docet vt in ſuperiori propoſitione monſtratum eſt, in poteſtate noſtra poni conſenſum illum, aut non conſenſum per internam gratiam; habent igitur conſentientes diabolo, poſtquam eſt in eorum poteſtate non conſentire, vt docet Auguſtinus, internam gratiam, cui reſiſtunt.

TERTIA PROPOSITIO.

Ad merendum & demerendum in ſtatu naturæ lapſæ non requiritur in homine libertas à neceſſitate, ſed ſufficit libertas à coactione.

Quid ſentiat Ianſenius.

EST etiam hæc Ianſenii ſententia, atque vnicum ferè totius Ianſeniſmi fundamentum, quo cætera, quæ docet de gratia & de libero arbitrio nituntur. Eam verò potiſſimum explicat lib. ſexto de gratia Salu. vbi cap. 6. præfigit hunc titulum: *Duplex neceſſitas Auguſtino, coactionis, & ſimplex ſeu voluntaria; illa, non hæc repugnat libertati.* Voluntariam autem vocat neceſſitatem, non illam, quæ pendeat à voluntate, vt ſit vel non ſit, vel vt habeat effectum, aut non habeat: ſed illam, quæ facit voluntatem voluntariè operari, etiamſi ad vnum ita determinet, vt alterum non poſſit: & ideo libertatem eſſe dicit in amore, quo ſe Deus amat, ſufficientem ad merendum, ſi Deus eſſet capax meriti: quin & in productione Spiritus ſancti, quam Ianſeniani ſat libertatis habere dicunt ad meritum; ſi Deus aliquid mereri poſſet. Coactionem autem, ſi quæſtio eſt de actibus imperatis à voluntate, quos exequi debeant potentiæ ſubordinatæ, nihil vetat propriè & ſtrictè ſumi, quando dicitur impedire libertatem, & ita qui ligatus eſt, licèt velit, non eſt tamen liber vt ambulet, quia cogitur ab externo impedimento contra internam inclinationem; ſed ſi quæſtio ſit de actibus elicitis ab ipſa voluntate, quia reſpectu illorum non eſt capax propriæ & ſtrictæ coactionis, nulla eſt alia coactio, quæ libertatem illo-

Vincentius Lenis in ep. Prod. pag. 11.12.13.

Lib. 6. de grat. Salu. cap. 5. & 6.

rum impediat ex Ianſenio, quàm naturalis quædam neceſſitas: qualis eſt in brutis; & in motibus indeliberatis, qui rationis aduertentiam & plenam cognitionem antevertunt. Nam ſi non ſit defectus cognitionis, implicare putat, vt actus voluntatis non ſint liberi, quacumque tandem vi neceſſitatis exprimantur: & ideo vocat volitionem omnem, quæ ſupponit ejuſmodi cognitionem, *eſſentialiter liberam*, quòd nihil impedire poſſit ejus libertatem; eſto impediatur indifferentia & facultas volendi & non volendi.

Poſſunt hæc omnia facilè colligi ex toto illo libro 6. & „ præterea ex illuſtri loco lib. 7. vbi ſic habet: Quæ ſi vera „ ſunt, ſicut juxta ſanctiſſimi Doctoris principia veriſſima ſunt, „ non poterit ampliùs de ejus mente dubitari, quâ eum ſen„ tire & conſtanter docere diximus, libertati arbitrii SOLAM „ NECESSITATEM COACTIONIS, ſeu quæ etſi nolumus, efficit „ id quod poteſt, eſſe contrariam; omnémque actum volun„ tarium ſeu ſpontaneum, hoc ipſo eſſe liberum. *Idem lib. 6. cap.* „ 38. Veteres, *inquit*, NONOBSTANTE IMMVTABILI NECESSITA„ TE, omnem omnino rationalem voluntatem, hoc eſt volun„ tatis motum & liberam, & electiuam objecti ſui poſuerunt, „ SOLA EXCLVSA VIOLENTIÆ COACTIONISQVE NECESSITATE: „ *Iterum*, Habes Lector, conſenſum admirabilem tot ſanctiſſi„ morum & eruditiſſimorum virorum, de quibus nulla vnquam „ erroris in hoc argumento ſuſpicio fuit, vnanimiter, conſtan„ tiſſiméque docentium, voluntatem, hoc ipſo quod voluntas „ rationalis eſt, eſſe liberam, NVLLAM IMMVTABILITATIS, INE„ VITABILITATIS, VEL QVOCVMQVE VOCES NOMINE, SED SO„ LAM COACTIONIS NECESSITATEM EI REPVGNARE. Iterùm S. „ Bernardum docere, repetere, inculcare, impoſſibile eſſe vt „ omnis omnino voluntas hoc eſt volitio, non ſit libera, so„ LAMQVE coactionis neceſſitatem inimicam eſſe libertati. Ianſenius hîc de more ſuos errores Auguſtino attribuit, aliiſque Patribus: vides autem quæ ſit neceſſitas, quam *ſolam* putat eſſe contrariam libertati, nempe illa, quæ *etſi nolumus, efficit*. Et quia Manichæi non admittebant in actibus elicitis à voluntate neceſſitatem, quæ etſi nollemus efficeret, nec Stoïci illi, qui fato ſubeſſe voluntates noſtras dicebant, nec Aſtrologi, qui Planetas putarunt dominari noſtris voluntatibus, nec Cal-

Vide lib. 5. c. 18.

Caluinus, qui hactenus creditus eſt ab omnibus Catholicis arbitrii libertatem peremiſſe, ſequitur, nec Manichæos, nec fatidicos, nec Aſtrologos, nec Caluiniſtas magis deſtruxiſſe libertatem, quàm ipſum Ianſenium: & vice verſa, Ianſenium nihilo magis fuiſſe libertatis arbitrii aſſertorem, quàm fuerint Manichæi, Stoici, Planetarii, & noſtrates hæretici. Huc refer quod dicit tom. 2. lib. 4. de ſtatu nat. lapſæ, cap. 24. Sic ergo ET HIC ETIAM, ſi ille peruerſus amor ſui, in quem " ex Dei dilectione rationalis creatura lapſa eſt, & in quo ex " juſta Dei damnatione perſeuerat, & ex quo omnis actus vel " omiſſio creatæ voluntatis fluit, firmiſſimè adhæreat voluntati: Imò etiam ſi non ſolùm ſpecificatione; vt nunc eſt, ſed " etiam EXERCITIO QVEMADMODVM AMOR BEATIFICVS ESSET " NECESSARIVS, NON TAMEN EX AVGVSTINI MENTE DESINERET ESSE LIBER. Vbi vides ex illius ſententia liberè peccari, tametſi neceſſariò peccetur, non ſolùm quoad ſpecificationem, ſed etiam quoad exercitium.

Quid ſentiant Hæretici.

Et verò Caluinus diſertis verbis ſignificat ſe non alio ſenſu negare liberum arbitrium, quàm ex hypotheſi quòd eo nomine ſignificetur expedita in vtramque partem, hoc eſt ad agendum vel non agendum, facultas. Nam ſi quis libertatem ſtare putet cum neceſſitate ad vnam partem determinante, ſublatâ vel impeditâ diſſentiendi potentiâ, edicit palam ſe illi non repugnaturum.

En vt loquitur in Antidoto ad can. 5. Concilii Trid. De verbo, *inquit*, ne moueamus rixam, ſed quia per liberum arbitrium intelligunt eligendi facultatem QVÆ SIT IN VTRAMQVE PARTEM LIBERA ET SOLVTA, titulum ſine re eſſe qui affirmant, Chriſtum habent authorem, &c. Ianſenius ergo, qui admittit ſtare libertatem arbitrii cum neceſſitate ad vnum determinante, & voluntatem ligante, ne tendat in oppoſitum, non poteſt, niſi de verbo rixari cum Caluino: conueniunt enim in ipſa re, quòd non detur *facultas in vtranque partem ſoluta & libera.*

En iterum, quid dicat lib. 2. Inſtit. cap. 3. ſeſſ. 5. Hæc igitur diſtinctionis ſumma obſeruetur, Hominem vt eſt vitia-

,, tus ex lapſu, volentem quidem peccare, NON INVITVM NEC ,, COACTVM, affectione animi PROPENSISSIMA, NON VIOLENTA ,, COACTIONE, propriæ libidinis motu, non extraria coactione, ,, quâ tamen eſt naturæ prauitate, non poſſe niſi ad malum agi. Et antea cap. 2. §. 5. Scholaſticos corripit quòd coactionem cum neceſſitate confundant, dum liberum arbitrium debere eſſe dicunt à neceſſitate liberum, quia ipſe putat dicendum tantùm eſſe *liberum à coactione*. Molinæus cap. 32. ,, Anat. Manſit, *inquit*, voluntati poſt peccatum originale, LI- ,, BERTAS A COACTIONE, ET A PHYSICA NECESSITATE. *Item*, Li- ,, bertas à coactione & à neceſſitate phyſica ESSENTIALIS EST ,, VOLVNTATI ET INSEPARABILIS. Phyſicam neceſſitatem vocat qualis eſt grauium, quæ pondere ſuo feruntur ad centrum. Supponit autem agere hominem ex plena cognitione. Vnde ,, cap. 35. num. 21. ejuſdem Anat. dicit, Hominem irregeni- ,, tum præditum eſſe intelligentia, & habere voluntatem, quæ ,, ſuopte impulſu & ſponte mouetur, & poſt præuiam cogni- ,, tionem & judicium practicum. Et paulò antè, num. 3. dixerat. *Non ſatis eſt dicere talem neceſſitatem eſſe ſpontaneam, cùm etiam pecudes ductæ inſtinctu agantur, & ſine cognitione; at qui neceſſariò malus eſt, non modò ſponte malus eſt, ſed* ET VOLVNTATE, QVIA CVM COGNITIONE ET IVDICIO. Si prior ſcripſiſſet Ianſenius, dicerem ex illo accepiſſe Molinæum, tanta eſt vtriuſque ſententiæ ſimilitudo atque identitas, nunc cùm prior ſcripſerit Molinæus, fatendum eſt, vel ex illo ſumpſiſſe Ianſenium, vel eumdem vtrique ſpiritum ſuggeſſiſſe.

Pag. 30. Hanc eamdem conſenſionem Ianſenii & Caluini fatetur Samuel Mareſius in ſua Synopſi jam citata, cùm ex doctrina Catechiſmi Ianſeniani colligit, non quamlibet neceſſitatem, repugnare intrinſecæ libertati voluntatis, ſed propriè & maximè coactionem: & *hic etiam*, hoc eſt in Catechiſmo Ianſenii, *agnoſci meritò ſeruitutem illam arbitrii*, quam Bellarminus in hære- ,, ticis damnat. Vnde concludit: Ita nempe hic noſter Auctor intel- ,, ligit Auctorem Catechiſmi (Ianſeniani) IISDEM QVIBVS NOSTRI ,, NIXVS PRINCIPIIS, longè expeditiorem & faciliorem rationem ,, proponit concordiæ gratiæ & liberi arbitrii, quam ſcientiæ me- ,, diæ Aſſertores. Omnino. Quid enim expeditius quàm ejuratâ omni antiquitate, omnique authoritate calcatâ, ſeu ſacrâ ſeu

Pag. 71. (margin, beside "mè coactionem")

Pag. 91. (margin, beside "diæ Aſſertores")

profanâ, aſſerere liberum eſſe libertate arbitrii, quidquid voluntarium eſt, quantacumque neceſſitate ſit expreſſum? Hinc illud quod addit poſtea: *Qui peccant, licèt neceſſariò peccent, tamen non peccant coacti, ſed volentes.* Et cap. 6. ex Auguſtino. *Voluntarium & liberum non ita eſſe de eſſentia peccati, quin etiam peccatum poſſit omnino neceſſarium ſtatui,* LICET ID IN GRATIAM PELAGIANO-IESVITARVM DVO PONTIFICES ROMANI CONDEMNAVERINT. Bene habet. Ergo erramus cum Eccleſia Romana. O nos beatos! atque ô beatos quoque Pelagianos ſi cum Romanis tantùm Pontificibus errarent.

Quid ſentiat Eccleſia.

VERVM hanc ſententiam iampridem hæreticam pronunciauit S. Thomas qu. 6. de malo, artic. vnico, his verbis: *Quidam poſuerunt quòd voluntas hominis ex neceſſitate mouetur ad aliquid eligendum: nec tamen ponebant quòd voluntas cogeretur.....* *hæc autem opinio eſt* HÆRETICA; *tollit enim rationem meriti ac demeriti in humanis actibus; non enim videtur eſſe meritorium vel demeritorium, quòd aliquis* SIC EX NECESSITATE AGIT QVOD VITARE NON POSSIT.

Notanda eſt autem connexio illa quam ponit S. Thom. cùm dicit *hæreticam* eſſe opinionem, *quòd tollat rationem meriti ac demeriti:* & ideo tollere rationem meriti & demeriti, *quòd ea ſtare non poſſit in eo quòd aliquis ſic ex neceſſitate agit, quod vitare non poſſit.* Inde enim ſequitur, quamcumque neceſſitatem quæ antecedenter ita determinat voluntatem ad agendûm, vt vitare non poſſit; tollere etiam rationem meriti & demeriti, & eſſe hæreticam judicio D. Thomæ. Atqui Ianſeniana neceſſitas talis eſt, fatetur enim Ianſenius lib. 7. de gratia Chriſti, cap. 2. & 3. per illam neceſſitatem determinari voluntatem ad vnam partem, & tanquam *vinculo ligari* ne tendat in alteram.

Eòdem pertinet anathema Trid. ſeſſ. 6. cap. 4. contra eos, qui negant *liberum arbitrium poſſe diſſentire diuinæ motioni:* neque enim aliud intendit ſuâ illâ definitione, quàm ſaluare veram & propriam arbitrii libertatem ad merendum neceſſariam. Quòd ſi illa ſtare poſſet, dum voluntas ita præuenitur neceſſitate ad vnam partem determinante, vt ſit impedita reſpectu alterius, nihil erat opus hac deciſione. Adde anathema Canonis 6. contra

eos, qui dicunt, *non eſſe in poteſtate hominis vias ſuas malas facere, ſed Deum in nobis mala opera ſicut & bona operari, propriè & per ſe, & non permiſſiuè tantùm, &c.* Vbi cùm ſit ſermo de peccatis & peccatoribus, expendendum eſt quid velit Concilium, cùm definit eſſe in poteſtate eorum, qui peccant, peccare. Si enim nihil aliud ſignificare vellet, quàm eos, qui peccant, peccare poſſe; videretur ridicula definitio, quis enim hoc vnquam negauit, aut negare potuit; an oportet anathemate cogere homines, vt dicant eum, qui currit, poſſe currere, & eum, qui loquitur, non eſſe mutum? Voluit ergo Concilium ſignificare aliud eſſe, aliquem effectum eſſe in poteſtate alicuius cauſæ, & cauſam poſſe illum producere: neque dici de cauſis neceſſariis, quòd habeant ſuos effectus in poteſtate, quamuis dicantur poſſe illos producere. Cujus rei non eſt alia ratio, quàm quia cauſæ neceſſariæ ſic producunt ſuos effectus, vt non poſſint non producere; & talem eſſe putabant hæretici voluntatem, dum peccat. Concilium autem intellexit cauſam aliquam tunc tantùm cenſendam habere ſuum effectum in poteſtate, quando illum ita producit, vt poſſit ſupprimere; ideo definit, voluntatem, dum peccat non tantùm poſſe peccare, ſed habere peccatum in poteſtate, quod eſſe non poteſt, vbi eſt peccandi neceſſitas.

Huic cenſuræ Tridentini adjungi etiam poteſt ea, quæ lata eſt à Concilio Conſtantienſi, & à Martino V. approbata & confirmata contra 27. propoſitionem Wicleffi, qui dicebat *omnia de neceſſitate abſoluta euenire.* Quod quo modo intelligeretur, diſcere poſſumus ex Thoma Valdenſi Ordinis Carmelitarum, circa illa tempora per Angliam Prouinciali, viro eruditiſſimo & Catholicæ fidei contra Wicleſiſtas acerrimo propugnatore, qui lib. 1. doctrinalis fidei ar. 1. c. 23. ſic loquitur, *Reſpondent communiter Vvicleſiſtæ Trutinantes gloſſam euaſoriam, quòd Deus non neceſſitat neceſſitate coactionis ad bonum vel malum futurum, quia* ILLA SOLA TOLLIT ARBITRII DIGNITATEM, *non autem alia neceſſitas præueniens abſolutè futuritionem effectus.* Statera Ianſenii quid aliud *trutinat*, aut in quo differt à trutina Wicleffi qui declaratus eſt mendax in ſtatera ſua, à Concilio Conſtantienſi?

Ejuſmodi cenſuras Conciliorum ſecuta eſt cenſura Romanorum Pontificum Pii V. & Gregorii XIII. quas innouauit Vrbanus VIII. & confirmauit Innocentius X. in Bul-

la contra Baium & contra Ianſenium, vbi hæ propoſitiones leguntur damnatæ : *Quod voluntariè fit, etiamſi neceſſariò fiat, liberè tamen fit : Is libertatis modus, qui eſt à neceſſitate, ſub libertatis nomine non reperitur in ſcripturis, ſed ſolum nomen libertatis à peccato : Sola violentia repugnat libertati hominis naturali : Homo peccat etiam damnabiliter in eo quod neceſſariò facit.*

Sorbona prælu ſerat his definitionibus ante ducentos annos, cenſurámque ſuam renouarat contra Baium anno 1560. die 27. Iunij. Vnde qui nuper cenſuram appoſuerunt huic tertiæ propoſitioni, dicentes ; *Hæc doctrina deſtruit rationem meriti & demeriti, & eſt hæretica*, niti poſſunt exemplo ſuorum prædeceſſorum & traditione antiquæ doctrinæ.

Quid reſpondeant Janſeniani.

AD has Pontificum definitiones Ianſenius duo reſpondet lib. 6. de Grat. Salu. cap. 36. Vnum eſt, Ideo damnatas eſſe Baii propoſitiones, quia comprehendunt etiam motus indeliberatos, qui voluntarii ſunt & ſine violentia : & tamen non ſunt liberi. Sed 1. falſum eſt Baium non excepiſſe motus indeliberatos. Conſtat enim ex propoſitione 75. in qua fatetur non imputari, quando eis non conſentitur, cenſere ipſum non habere motus illos ſufficientem libertatem ad imputabilitatem culpæ. Deinde ſi violentia ita ſumatur latè, ſicut Ianſenius latè ſumit coactionem, vt comprehendat etiam ea, quæ fiunt impetu naturali ; cujuſmodi ſunt motus grauium, & appetitiones brutorum, quæ S. Bernardus ſerm. 81. in Cantica dicit vim pati à propria inclinatione, Baius nihilo magis minus-ve comprehenderit motus indeliberatos, quando dixit ſolam violentiam repugnare libertati, quàm Ianſenius, dum dicit ſolam coactionem ; ac proinde aut vtraque propoſitio damnata eſt, aut nulla.

Secunda Reſponſio Ianſenii, loco cit. eſt, Summos Pontifices reſpexiſſe *Ad ſignificationem hujus temporis & ad ſenſum vulgatiſſimum Scholaſticorum, qui nihil liberum vocant, niſi quod fit cum indifferentia, ſaltem contradictionis ; illam autem ſignificationem non ita fuiſſe à Patribus veteribus vſurpatam :* maluerunt igitur Pontifices juxta Ianſenii mentem, accommodare definitionem ſuam ad ſenſum Scholaſticorum, quàm ad ſenſum Patrum antiquorum.

Quòd ſi quæramus à Ianſenio, vtri veriùs philoſophentur Scholaſtici an Patres antiqui, minimè ambigua extat innu meris locis ejus ſententia pro Patribus contra Scholaſticos.

Ac proinde juxta mentem Ianſenii, maluerunt Roman Pontifices in decidendis fidei articulis, conformare ſe Scholaſticis errantibus, quàm antiquis Patribus rectè ſentientibus. Reus ſim temerarii judicii & damnabilis impoſturæ, niſi quod dico, aliis quoque exemplis à Ianſenio confirmetur. Cujuſmodi eſt illud quod habetur tom. 2. l. 3. cap. 22. de ſtatu puræ naturæ. Vbi cùm inter *veritates fundamentales & baſes fidei* numeraſſet illam ſententiam quæ negat poſſibilem eſſe ſtatum puræ naturæ, poſtquam ſe torſit in omnem partem; vt eriperet illam propoſitionem eorumdem Pontificum cenſuræ, tandem concedit fuiſſe reuera prohibitam, ſed ad tempus tantùm; idque *prudentia directrice* Eccleſiæ, propterea quòd contraria ſententia ita præualuiſſet, vt illa ſcandalum pareret. Vide qualem Eccleſiam agnoſcat Ianſenius, in qua ſcilicet veritates fundamentales aliàs definitæ, baſéſque fidei ſcandalum pariunt: Vide quales Romanos Pontifices, qui baſes fidei ne ſcandalum pariant, prohibitione ſua ſepeliunt. Et non eſt mirabilis directrix iſta Eccleſiæ prudentia?

Ianſeniani ad eaſdem cenſuras *trutinant* etiam ipſi *gloſſam euaſoriam*, vt cum Valdenſi loquar. Dicunt enim ad merendum & demerendum ſufficere libertatem actionis, non à neceſſitate, ſed à coactione; cum indifferentia potentiæ, hoc eſt mutabilitate & flexibilitate humanæ voluntatis, annexa ſtatui præſentis vitæ. Ergo, inquam, & Manichæi, & fati aſſertores & Aſtrologi, & Wicleſiſtæ, & Caluiniſtæ admiſerunt totum, quod ſufficit ad libertatem *requiſitam ad merendum & demerendum.*

Illi enim & coactionem excludunt illam, quam excludit Ianſenius ab actione voluntatis, & mutabilitatem ſeu flexibilitatem potentiæ pro ſtatu vitæ hujus non rejiciunt; igitur non tenentur ſuperioribus cenſuris. Sed & indifferentia quæ conſiſtit in illa mutabilitate & flexibilitate nihil facit ad meritum ex Ianſenio, nec impeditur ex eo capite, quominus poſſit eſſe meritum in ſtatu felicitatis & damnationis, vbi ſunt immutabiles voluntates; ſed impeditur ex ratione ſtatus.

Nec ſi voluntas viatorum eſſet pariter immutabilis, ideo minùs eſſet apta ad merendum, vt idem author expreſſè docet.

Captioſum etiam eſt quòd mutabilitatem illam, indifferentiam vocant. Indifferentia enim, quam omnes requirunt ad liberum arbitrium, actiua eſt & ad agendum, vel non agendum: hæc paſſiua eſt ad recipienda hæc vel illa vincula. Nimirum tota illa mutatio, quæ reperitur in hac vita, eſt mutatio neceſſitatum; catenam ſemper trahit liberum arbitrium, ſed non eamdem ſemper: modò aureâ ligatur, modò ferreâ; ſed ſemper alterutrâ. Optio autem vtrâ ſit ligandum; non ipſius eſt, ſed prouidentiæ gubernantis; cui ſi placuerit delectationem juſtitiæ injicere, tenebitur voluntas aureâ catenâ; ſin illam ſubtraxerit, concupiſcentia ſtatim ferream ſubſtituet. Egregiam verò indifferentiam & pretioſam libertatem.

Lib.6. de gr.Sal.c.34. & l.7.c.10. & 8.c.15.& 17.

Ejuſdem ſaporis eſt quod dicunt, indifferentem eſſe voluntatem, quia proximè poteſt facere vnum oppoſitorum, & remotè alterum: dum ligatur delectatione juſtitiæ, proximè poteſt amare bonum, remotè autem non amare; quia cùm ſoluta fuerit illa catena, & aduenerit alia, tunc non amabit bonum, ſed potiùs malum. Quis autem eorum, qui liberum arbitrium deſtruxerunt talem vnquam indifferentiam negauit? Non reperitur etiam illa in cane? non amat canis quod oderat? non odit quod amauerat, mutatis ſpeciebus?

S. Thomas 1. part. qu. 63. art. 2. ad 2. *expeditam* eſſe vult liberi arbitrii facultatem illam, quâ dicitur poſſe aliquid facere vel non facere, & Gonçales de Albelda in 1. p. diſp. 53. num. 48. id eſſe *conſtantiſſimè* tuendum putat contra Hæreticos Caluiniſtas. Didacus Aluarez, *veram, expeditam proximam* requirit ad vtrumlibet in libera voluntate facultatem, diſp. 23. de Auxiliis n. 1. & 28. 2. diſp. 92. num. 8. diſp. 115. num. 13. diſp. 117. num. 11. lib. 4. Reſp. cap. 1. num. 10. 11. 12. & in eo conſtitutam putant voluntatis libertatem.

Ex quibus omnibus jam ſatis conſtat quàm nihili facienda ſit diſtinctio quam nuper inuenerunt Ianſeniani; cùm dicunt ſe admittere in voluntate *indifferentiam potentiæ, ſed non indifferentiam actionis*; quia præter inanem verborum ſonum nihil continet, niſi ſenſum, iis qui ita

loquuntur inexplicabilem. Quam enim quæſo potentiam intelligunt, cùm dicunt ſe admittere indifferentiam potentiæ? actiuam, an paſſiuam? ſi paſſiuam; ſalui ſint. Quid enim illa facit ad libertatem? Si actiuam, quænam eſſe poteſt indifferentia potentiæ actiuæ, ſi non eſt indifferentia ad agendum vel non agendum? Quòd ſi admittunt indifferentiam ad agendum vel non agendum, an ſciunt quid loquantur, dum negant indifferentiam actionis? Ego verò nihil aliud exigo, quàm vt cum S. Auguſtino & S. Thoma neceſſariam eſſe fateantur libero arbitrio facultatem agendi & non agendi: quomodo deinde negari poſſit indifferentia actionis viderint ipſi.

Quæ ſit doctrina S. Auguſtini.

HIc Ianſeniani Auguſtinum, Auguſtinum clamitant, ſed malè intellectum, nempe hic quoque perpetuus eſt Caluini prætextus. Ipſi Auguſtinum interpretentur ad ſenſum Eccleſiæ, qui proprius etiam fuit Auguſtini ſenſus, non autem ad ſenſum hæreticorum, quos ſemper odio habuit; & tunc errorem deponent. Quòd ſi neceſſe ſit S. Doctoris mentem in hac controuerſia minutiùs exquirere, ſpero confectum iri vt pro contraria ſententia nullum reperiatur teſtimonium clarum & liquidum, pro communi verò & Orthodoxâ occurrant expreſſiſſima, & nonniſi per decadas numeranda, vt opuſculo alio monſtratum eſt, & intelligi poteſt ex iis quæ dicuntur ad alias quatuor Propoſitiones: quarum arctiſſima connexio cum iſta, pati non poteſt, vt hæc Auguſtiniana videatur, cùm aliæ Auguſtino contrariæ ſint.

Interea hæc ſufficient. Primum eſt, ab Auguſtino liberum definiri, *id quod eſt in noſtra poteſtate*, vt Ianſenius docet lib. 6. cap. 3. 4. 5. Secundum, id cenſeri eſſe in noſtra poteſtate apud Auguſtinum, *quòd ſi volumus, eſt, ſi nolumus, non eſt*, vt tradit idem Ianſenius citatis locis præſertim cap. 4. & 5. Tertium, hoc ipſum ex Auguſtino præcipuè conuenire actibus elicitis à voluntate, nempe vt ſi velimus, ſint, ſi nolimus, non ſint; ita Ianſenius locis cit. Quartum, apud Auguſtinum eſſe oppoſitionem inter iſta duo, *nos aliquid nolle,*

&

& nos aliquid non poſſe: ita vt ſi verè dicimur aliquid non potuiſſe, non debeat nobis objici quòd noluerimus: & ſi verè dicimur aliquid noluiſſe, conſequens ſit quòd potuerimus. Eſſe hanc Auguſtini mentem conuincitur ex his locis. 1. ex Commentario in Pſalm. 35. vbi dicit, iniquos non intelligere vt bene agant, NON QVIA NON POSSVNT, SED QVIA NOLVNT. Aliud eſt enim, *inquit*, quando « quis conatur aliquid intelligere, & per infirmitatem carnis « non poteſt: aliud autem, quando perniciosiùs agit aduerſus « ſeipſum cor humanum, vt quod poſſet intelligere, ſi bona « voluntas accideret, non intelligat, non quia difficile eſt, « ſed quia voluntas aduerſa eſt. Ex lib. 2. de actis cum Felice Manichæo cap. 5. vbi cùm retuliſſet verba Manichæi de iis, qui legem ſibi datam à Deo ſeruare noluerint, ſubdit Auguſtinus: Vides in his verbis confirmatum eſſe, etiam à « neſciente quid loqueretur, liberum arbitrium. NON ENIM « DIXIT, NON POTVERINT, SED NOLVERINT. Hoc « certè quod nolunt ſeruare legem, non à gente tenebrarum « coguntur, ſi enim coguntur, non nolunt, ſed non poſſunt: « SI AVTEM NOLVNT, NON VTIQVE COGVNTVR VT « NON FACIANT, SED VOLVNTATE SVA NOLVNT. « Hoc ergo quod in eorum voluntate eſt vt nolint, peccatum « eſt certè, SINE ALIQVA NECESSITATE. Totus hic locus adeò eſt expreſſus, vt nullo indigeat commentario. Confirmatur 3. ex eodem lib. cap. 19. vbi Auguſtinus negat *aliquid fieri voluntate, quando non eſt in poteſtate aliter facere, quòd eſt* cauſam ejus quod facimus, aut quod non facimus, non debere in voluntatem noſtram refundi, nobiſque imputari ad præmium aut pœnam, niſi quando potuimus aliter facere: & conſequenter non poſſe de nobis reſponderi, dum quæritur, cur aliquid non faciamus, nos noſtra voluntate illud non facere, quod eſt nos nolle facere, niſi facere poſſimus.. Idipſum eodem modo confirmatur 4. ex lib. de duabus Animabus cap. 11. vbi dicit Auguſtinus, *neminem vituperatione aut ſupplicio dignum, ſi non faciat quod facere non poteſt*, nempe quia non cenſet volentem non facere, hoc eſt, volentem omittere id quod omittit, niſi quando adeſt faciendi poteſtas.

Confirmatur 5. ex eodem lib. de duabus Animabus cap. 12. vbi ait: *Dicere reum teneri quempiam*, QVIA NON FECIT QVOD FACERE NON POTVIT, ESSE SVMMÆ INIQVITATIS ET INSANIÆ, quia ſcilicet, vt ſit reus, debet illi dici quòd noluerit facere, & hoc non poteſt dici, ſi non potuit. Et ab hac regula ita generali Auguſtinus excipit Retract. lib. 1. cap. 15. ſolum peccatum originale, quia illud non eſt peccatum *propriæ voluntatis*. Huc pertinent ea loca, in quibus Auguſtinus opponit iſta duo, *aliquid fieri voluntate*, *& fieri neceſſitate*, vt in lib. 3. de lib. arbit. cap. 3. & 4. & quod dicit ibi, cap. 1. motum deorſum ideo non imputari lapidi, quòd non habeat in poteſtate illud cohibere.

Ex quibus omnibus ſatis conſtat, in doctrina Sancti Auguſtini non poſſe nobis imputari, quòd ideo aliquid non faciamus, quia nolumus, niſi quando facere poſſumus; & vice verſa, non poſſe nobis imputari quòd ideo aliquid faciamus, quia volumus, niſi quando poſſumus omittere. Iam ita reſumi poſſunt ſuperiùs poſita S. Auguſtini principia: Non eſt liberum niſi quod eſt in noſtra poteſtate: non eſt in noſtra poteſtate niſi, quòd ſi volumus, eſt; ſi nolumus, non eſt; hoc eſt, quòd ideo eſt, quia volumus, ideo non eſt, quia nolumus: & hoc ipſum maximè, atque vt dicit Auguſtinus *primitùs* conuenit actibus elicitis liberè à voluntate noſtra. Ergo de illis maximè verum eſſe debet hoc quod eſt, *eſſe quia volumus, non eſſe quia nolumus.* Sed conſtat ex eodem Auguſtino, vt jam oſtenſum eſt, non poſſe dici de aliqua re, ideo non eſſe, quia nolumus, niſi ſit in nobis poteſtas efficiendi vt ſit: nec ideo eſſe quia volumus, niſi ſit in nobis poteſtas efficiendi vt non ſit. Ergo ex Auguſtino, de actibus qui liberè eliciuntur à voluntate, non debet dici, ideo non eſſe, quia nolumus, niſi ſit poteſtas illos eliciendi; vel ideo eſſe, quia volumus, niſi ſit poteſtas non eliciendi. Ac proinde nemini poterit exprobrari, ideo non amare Deum, quia non vult, niſi quando poteſt amare; nec pariter exprobrari cuiquam poterit, ideo ſuccumbere tentationi, & conſentire concupiſcentiæ, quia vult, niſi ſit poreſtas non ſuccumbendi & non conſentiendi. Hoc autem ſignificat, nihil eſſe liberum libertate arbitrii, aut

imputabile ad pœnam aut præmium, etiam in actibus elicitis à voluntate, niſi quod fit cum poteſtate ad vtrumlibet, quæ eſt ipſa indifferentia, excludens neceſſitatem ad vnum determinantem. Ergo hujus indifferentiæ neceſſitas ad conſtituendam libertatem arbitrii Auguſtiniana eſt; & Ianſeniani, qui eam oppugnant, in eo ſunt Anti-Auguſtiniani.

QVARTA PROPOSITIO.

Semipelagiani admittebant præuenientis gratiæ interioris neceſſitatem ad ſingulos actus, etiam ad initium fidei : & in hoc erant hæretici, quòd vellent eam gratiam talem eſſe cui poſſet humana voluntas reſiſtere vel obtemperare.

Quid ſentiat Ianſenius.

PRIMAM partem hujus propoſitionis tradit Ianſenius tum aliàs ſæpè, tum præcipuè lib. 8. de hæreſi Pelagiana, qui eſt ſecundus de Semipelag. vbi cap. 6. hoc argumentum inſcribit: *Tertia gratia generalis Maſſilienſium eſt actualis interna, & ſufficiens ad credendum, non ad operandum : latè ex principiis Auguſtini & Maſſilienſium aſtruitur : aliqua de natura ejus.*

Secunda pars ejuſdem propoſitionis infertur ex priore, traditque illam Ianſenius expreſſiſſimè multis in locis. Nam lib. 2. de gratia Salu. cap. 4. vbi diſcrimen inueſtigat inter gratiam Chriſti, & gratiam primo homini atque Angelis collatam, ſic loquitur. Quod clariùs fortaſſe dici poteſt : quòd gratia ſanæ voluntatis in ejus libero arbitrio relinqueretur, vt eam ſi vellet, deſereret, aut ſi vellet, vteretur : gratia verò lapſæ, ægrotæque voluntatis NVLLO MODO IN EIVS RELINQVATVR ARBITRIO, VT EAM DESERAT AVT ARRIPIAT, SI VOLVERIT, ſed illa ſit potiùs illa poſtrema gratia, quæ inuictiſſimè facit vt velit, & à voluntate non deſeratur. Quod diſcrimen tam luculentè tradit Auguſtinus in lucubrationibus, quas aduerſus HOSTES GRATIÆ exarauit, vt impoſſibile ſit legenti

non aduertere. Erant igitur hoſtes gratiæ qui repugnabant & paulò pòſt Semipelagianos nominar, & hanc fuiſſe ſignificat *baſim immobilem* totius doctrinæ Catholicæ de gratia & prædeſtinatione. Pergit ſequenti cap. hoc diſcrimen inter vtramque gratiam inculcare, & hoc principium ponit, Nullum adjutorium gratiæ, cujus vſus ita ponitur in arbitrio voluntatis, vt illo vtatur, aut non vtatur, vt illud amplectatur, aut deſerat, vt illi conſentiat aut non conſentiat, ſi voluerit, quantumuis ſine illo non velit, aut velle non poſſit, eſſe adjutorium quo fit, vt velit; ſed tantùm, ſine quo non: & proinde ad medicinale adjutorium Chriſti NVLLO MODO poſſe pertinere. *Et cap.* 24. Et iſta quidem D. Auguſtini diuinæ gratiæ patrocinantis, & HÆRETICORVM ADVERSANTIVM principia, quæ hactenus hoc libro explicuimus, vel tetigimus, manifeſtè oſtendunt, nihil capitalius medicinali Chriſti adjutorio fingi poſſe aduerſum, quàm illud gratiæ genus, cujus actio vel ceſſatio, vt vtilis vel inutilis homini ſit, in libero relinquitur voluntatis arbitrio.

Et cap. 27. Quiſquis jam alia diuinæ gratiæ adjutoria infirmis hominibus aſſerere nititur, quæ deſerant, ſi velint, & in quibus permaneant, ſi velint; cum quibus tanquam ſufficientibus operentur ſi velint, nihil aliud imprudens facit, niſi vt originalis peccati virus euacuet, illæſas liberi arbitrii vires eſſe, Chriſtum fruſtra veniſſe, & gratis mortuum eſſe perſuadeat. Addit nec Auguſtinum, nec vllum Patrum Latinorum, nec Eccleſiam in Generalibus & Prouincialibus Conciliis à Sede Apoſtolica approbatis, illud genus gratiæ agnouiſſe, vel agnoſcere potuiſſe. Et cap. 28. cùm retuliſſet ſententiam Leſſii, agnoſcentis etiam nunc internam aliquam gratiam, cum qua poſſit homo perſeuerare, ſi vellet, inuſitato quodam zelo percitus, & ſolitò altiùs intonans: Quanta, *inquit*, audacia! poſt condemnatos jam à tot ſæculis MASSILIENSES, aſſerere, quòd quia in ſtatu innocentiæ ſufficiebat homini ad ſalutem gratia, qua poterat perſeuerare, ſi vellet, etiam nunc ſufficiat? Quin & Maſſilienſes minùs exorbitaſſe putat, quòd ejuſmodi tantùm gratiam ad initium fidei ſufficere putarent: majorem enim eſſe neceſſariam ad opera, quæ fidem conſequuntur, illos cenſuiſſe. Adde quod dicit lib. 2.

de grat. Salu. cap. 25. col. 1. §. 3. Semipelagianos quamuis admitterent gratiam quandam potentialem, cum libero arbitrio intus concurrentem, *non potuiſſe effugere notam hæreſis:* propterea quòd putarent illam adjuuare hominem ad credendum, ſi vellet.

Ex his ergo perſpicuum eſt, & Ianſenium repudiare gratiam, quæ talis ſit, vt humana voluntas poſſit ei reſiſtere, vel obtemperare: & hæreticos putare Maſſilienſes, ſæpiúſque damnatos, quòd talem gratiam ſufficere dicerent ad primam credendi voluntatem.

Hujus autem propoſitionis pars prior, quæ continet quæſtionem facti, pertinétque ad memoriam antiquitatis, & hiſtoriam hæreſis Pelagianæ, manifeſtæ falſitatis conuincitur ex iis quæ ſcribunt Auguſtinus, Proſper, & Hilarius de illa hæreſi. Nam cùm gratiam non eſſe neceſſariam ad initium fidei, & naturam ſufficere, idem ſint; Auguſtinus lib. de Prædeſt. Sanctorum cap. 2. illis tribuit, quòd dicerent *naturam ſufficere*. Idem & Hilarius in epiſt. ad Auguſtinum. Item, Non requiri gratiam ad fidem; &, *fidem eſſe tantummodo noſtram*, excludendo Deum, idem ſunt: iſtud verò dixiſſe Maſſilienſes, conſtat ex lib. 1. Retract. cap. 23. & lib. 2. de natura & gratia cap. 48. Item, Idem ſunt *gratiam Dei dari ſecundùm merita fidei*, & gratiam non præcedere fidem, ſed ſubſequi. At omnibus paginis Auguſtini, Proſperi, Hilarii conſtat Maſſilienſes crediſſe Dei gratiam dari ſecundùm merita fidei. Eòdem pertinet quod dicebant ex Proſpero, in negotio juſtificationis, *priorem eſſe hominis obedientiam, poſteriorem verò Dei gratiam.* Adde quod refert Auguſtinus lib. de Prædeſt. cap. 2. 3. 5. 21. cenſuiſſe illos, *initium fidei ex nobis eſſe, tanquam fides non ab ipſo donetur nobis.* Item, *Fidem, non eſſe donum Dei.* Item agnouiſſe quædam merita ſua, *tanquam ipſi ſibi ea feciſſent, non gratia Dei.* Item, *Nos non accipere à Deo cogitationes pias*, per quas habemus fidem, vt vult Ambroſius. Item, *Et credere & perſeuerare ita noſtrum eſſe, tanquam non à Domino nos accipiamus.* Item, *Nolle vt prædicetur, Dei donum eſſe quòd veniatur ad fidem, & non dari nobis vt petamus, vt quæramus, vt pulſemus, eſſe hoc noſtrum, & non diuini muneris.* Item, *Originaliter malum receptionem boni inchoare à ſemetipſo, non à*

ſummo Deo. Habet id genus alia quamplurima Proſper contra Collatorem, omnibus ferè capitibus, præſertim 4. 6. 10. 13. 14. 16. 22. 23. 24. 25. 28. 29. 36. dum exprobrat illi quòd diceret, hominem *ſine gratia*, *non incitatum à Deo*, *ante gratiam*, *ſine adjutorio Dei*, *per vires humanæ voluntatis* TANTVMMODO, GRATIA NIL SVÆ VIRTVTIS CONFERENTE, SOLIVS VOLVNTATIS MOTIBVS, MERITÒ GRATIAM PRÆVENIENTE, SINE DEI DONIS, EX DONIS NATVRÆ, EX SOLO HOMINIS ARBITRIO, NON EX DEI INSPIRATIONE, *ſine gratiæ largitate*, *ſine vllo opere gratiæ*, bene agere poſſe. Hæccine omnia pati poſſunt, vt putentur Maſſilienſes agnouiſſe neceſſitatem internæ gratiæ, naturalibus donis ſuperadditæ? Potuit-ne pluribus & clarioribus vocibus exprimi naturalis ſufficientia & excluſio neceſſitatis illius gratiæ? Non eſt quæſtio vtrum illi fateantur quibuſdam aliquando adeſſe gratiam ad initium fidei, quia ne ipſi quidem Pelagiani hoc negarunt. Sed quæſtio eſt, an confeſſi fuerint eſſe neceſſariam, ita vt ſi non adeſſet, nemo poſſet habere ſaltem initium credendi, quod ſuperioribus teſtimoniis conuincitur numquam eos crediidiſſe.

Quid ſentiant Hæretici de poſteriori parte propoſitionis.

POSTERIOREM partem propoſitionis, quòd ille fuerit error Maſſilienſium, Caluinus quoque amplectitur, eámque ſicut Ianſenius affingit Auguſtino, putátque contrariam eſſe doctrinæ Concilii Tridentini. Ita enim loquitur in Antid. cap. 6. ſeſſ. 6. Concilii Trident. Porro ne longiùs hîc immoremur, dico apertè repugnare quod hîc pronuntiant Tridentini Patres, cum illa Chriſti ſententia, Quiſquis audiuit à Patre, &c. Nam vt prudenter aduertit Auguſtinus, inde ſequitur nullum à Deo audire & diſcere, quin ſimul in Chriſtum credat, motúmque Spiritus ſancti ſic eſſe efficacem, vt fidem ſemper gignat, CONSTITVERE AVTEM HOC IN HOMINIS OPTIONE, VT DEI INSPIRATIONI, SI VELIT, AVSCVLTET, hoc nullo modo conciliari poſſe. " " " " " " " " "

Et ad can. 6. ait, De verbo ne moueamus rixam, ſed quia " per liberum arbitrium intelligunt eligendi facultatem, quæ "

» in vtramque partem libera & ſoluta, titulum ſine re eſſe qui
» affirmant, Chriſtum habent authorem? *Et lib. 2. Inſtit. cap.*
» 5. §. 10. Voluntatem ſic moueri, non qualiter multis ſæ-
» culis creditum eſt, vt noſtræ electionis ſit, motioni aut ob-
» temperare, aut refragari, & Sophiſtas imaginari medium eſ-
» ſe motum, cui obſequi, vel quem repellere liberum eſt. *Idem*
» *ibidem* §. 11. Errorem eſſe Scholaſticorum, QVOD PVTARENT
» IN MANV NOSTRA ESSE reſpuere, vel recipere oblatam Dei
» gratiam.

Ex quibus perſpicuè liquet, errorem eſſe Caluini, quòd quis putet talem eſſe internam Dei gratiam, cui poſſit humana voluntas reſiſtere, vel obtemperare. Fuiſſe autem hunc errorem Pelagianorum, quibus ea ex parte conſentiebant Semipelagiani & Maſſilienſes, ſtatim exprimit idem ibid. §. 23.
» dicens: Audiamus nunc Auguſtinum ſuis verbis loquentem,
» NE ÆTATIS NOSTRÆ PELAGIANI, HOC EST SORBONICI SOPHIS-
» TÆ totam vetuſtatem nobis aduerſari pro ſuo errore crimi-
» nentur, in quo ſcilicet PATREM SVVM PELAGIVM imitantur, à
» quo in eandem arenam ipſe Auguſtinus protractus eſt.

Accedit confeſſio Samuelis Mareſii, loco jam cit. qui colligit ex doctrina Catechiſmi Ianſeniani, *In hominis arbitrio non eſſe gratiam Dei victricem & medicinalem excutere.* Et antea dicentem audiuimus, non eſſe gratiam per Chriſtum *niſi ſit victrix & liberatrix*: & contrariam ſententiam annumerandam eſſe *inter errores ex Eccleſia rejiciendos.*

Quid ſentiat Eccleſia.

SED quàm verum eſt, eſſe hanc Caluini ſententiam, tam eſt verum eſſe contrariam doctrinæ Orthodoxæ. Neque verò ad hoc probandum opus eſt longo verborum amfractu. Opponendæ ſunt inuicem hæ propoſitiones & conferendæ. *Hæreticum eſt*, inquit Ianſenius, hoc eſt Semipelagianum, *admittere gratiam cui poſſit humana voluntas reſiſtere vel obtemperare.* Ex alia parte Tridentinum inquit: *Si quis dixerit liberum arbitrium à Deo motum & excitatum non poſſe diſſentire ſi velit, anathema ſit.* Vtrobique ſermo eſt de gratia Chriſti interna: & quod dicit Tridentinum, liberum arbitrium

trium poſſe diſſentire, facilè concedent aduerſarii eſſe idem ac poſſe reſiſtere. Iam quod liberum arbitrium à Deo motum & excitatum poſſit etiam conſentire, quod eſt idem atque obtemperare, nulla pariter controuerſia eſt: de eo enim inter nos omnes conuenit. Cenſet igitur Tridentinum, liberum arbitrium, hoc eſt humanam voluntatem à Deo motam, & excitatam per veram & internam Chriſti gratiam, poſſe diſſentire, quod eſt reſiſtere illi gratiæ; vel poſſe conſentire, ſi velit, quod eſt obtemperare; ſed admittere talem gratiam, inquit Ianſenius, eſt Semipelagianum. Eſt ergo Semipelagianum Tridentinum.

Eòdem ſpectant quæ contra tres priores propoſitiones allata ſunt ex ſenſu Eccleſiæ & Conciliorum, & Summorum Pontificum, quia concluditur inde neceſſariò juxta doctrinam Eccleſiæ, non eſſe admittendam gratiam, cui conſentire vel non conſentire non ſit in hominis poteſtate, ſi ſit gratia ad liberam in Deum conuerſionem & ad merendum data.

Quid reſpondeant Ianſeniani.

RESPONDENT Ianſeniani in hoc hæreticos fuiſſe Maſſilienſes, quòd negauerint neceſſariam eſſe gratiam, per ſeipſam efficacem ad initium fidei, hoc eſt gratiam, quæ ita determinet voluntatem, vt ſine indifferentia actionis, & ſine potentia proxima diſſentiendi infallibiliter obtemperet.

Sed primò gratiam ita per ſe efficacem, itáque determinantem, vt voluntas obtemperet & ſine indifferentia actionis, & ſine potentia proxima diſſentiendi, nemo hactenus Catholicorum admiſit. Thomiſtæ, quibus Ianſeniani adhærere ſe velle ſimulant, & indifferentiam voluntatis in agendo, & proximam diſſentiendi potentiam cum gratiâ efficaci retinere, omnibus modis conantur. Iam oſtenſum eſt S. Thomam velle expeditam eſſe liberi arbitrii facultatem ad agendum, & non agendum: Gonzalem quoque dicere expeditam eſſe debere, ne in partes eatur hæreticorum. Idem Didacus Aluarez.

Et hoc eſt quod Ianſenium fefellit, ejúſque ſequaces, quòd putent id quod dici ſolet, Deum dare nobis ipſum velle, & fa-

cere vt velimus, & conſentiamus, oppoſitionem habere cum eo quod eſt, dare nobis gratiam, cui poſſimus diſſentire, ſi velimus: atqui hæc non ſunt oppoſita, ſed debent conjungi, & conciliari ab omnibus Catholicis.

Quinimò in hoc eſt mirabilis Dei gratia, quòd *inuictè & indeclinabiliter*, vt loquitur Auguſtinus, faciat nos conſentire, relictâ plenâ proximáque diſſentiendi poteſtate. Vnde vlterius ſequitur, Ianſenium fruſtra præſidium quærere in illa ſenſus compoſiti, & ſenſus diuiſi diſtinctione. Illa enim poteſt quidem eſſe vſui Thomiſtis, qui cum determinatione ad conſentiendum ſtare putant proximam diſſentiendi potentiam; ſed Ianſeniani, qui hanc negant, quid habent commune cum Thomiſtis? S. Thomas qu. 6. de malo, art. 1. putat actus quidem oppoſitos non poſſe ſimul eſſe, ſed potentiam liberi arbitrii, quæ illos reſpicit, aſſerit eſſe ſimul, & non ſuccedere potentiam diſſentiendi potentiæ conſentiendi. Idem 1. p. qu. 42. art. 2. in corpore, dicit cauſam liberam eſſe poſſe antiquiorem ſuo effectu, etiamſi nihil illi deſit ad agendum: quod eſt, cauſam liberam cum expedita & completa ad agendum poteſtate, poſſe ſuſpendere ſuum effectum.

Secundò, Quis ergo erit ſenſus Concilii Tridentini? Conſentientem diuinæ gratiæ poſſe diſſentire, eſt-ne aliud quàm conſentire, cum indifferentia ad conſentiendum, vel diſſentiendum? quòd ſi hoc eſt Semipelagianum, Semipelagiana igitur eſt Tridentini doctrina.

Tertiò, Quòd dicunt de neganda potentiâ proxima diſſentiendi, nullo modo compatitur oratio Tridentini; niſi Ianſeniani nouam habent Grammaticam, nouáſque verborum ſignificationes. Quando enim dicimus aliquem aliquid poſſe, ſi velit, intelligimus nihil deeſſe præter voluntatem; aut ſi deſit aliquid aliud, eſſe proximam ad ipſum facultatem. v. g. de paupere non dicimus poſſe facere eleemoſynam, ſi velit: quia præter voluntatem, deeſt illi facultas; quòd ſi non deſit qui velit & poſſit ſuppeditare, dicemus pauperem poſſe facere eleemoſynam ſi velit: quia quamuis non habeat quod det, habet tamen proximam ad acquirendum potentiam. Eodem modo, de eo qui ligatus eſt, nemo dicet ipſum poſſe currere, ſi velit, quia præter voluntatem oportet adhuc tollere compedes: ſed ſi ipſe poſſit

ſe expedire vinculis, dicemus poſſe currere ſi velit, ob proximam quam habet potentiam ad tollendum impedimentum.

Et ita, illud *ſi velit*, ſemper ſignificat aut expeditam potentiam, hoc eſt proximam ad effectum, de quo eſt quæſtio, aut ſaltem expeditam & proximam ad habendum quod deeſt, tollendúmque impedimentum, ſi quod interponitur: alioquin numquam homines dicere ſolent, *poteſt ſi velit*.

Ergo ſimiliter, cùm Tridentinum dicit hominem poſſe diſſentire diuinæ gratiæ, *ſi velit*, intelligenda neceſſariò eſt proxima quædam & libera potentia, vel ad diſſentiendum, vel ad tollendum diſſentiendi impedimentum, vel ad acquirendam immediatam diſſentiendi facultatem. Ianſeniani quid tandem horum dicunt?

Confirmatur 4. Quia quotieſcumque dicimus hominem poſſe aliquid facere, *ſi velit*, ſignificamus maximè adeſſe volendi facultatem, & quidem proximam; & ideo nemo dicit lapidem poſſe cadere deorſum, *ſi velit*, quia velle nequit; de dormiente pariter nemo dicit poſſe orare Deum, *ſi velit*, quia quamuis habeat voluntatem, habet tamen ligatam & non expeditam ad volendum. Ergo quando Concilium ſignificat hominem poſſe diuinæ gratiæ diſſentire, *ſi velit*, ſupponit omnino habere proximam & non impeditam volendi poteſtatem; atqui velle diſſentire eſt ipſum-met diſſentire. Ergo ſi Concilium ſupponit eſſe proximam poteſtatem volendi diſſentire, ſupponit eſſe proximam potentiam diſſentiendi.

Quintò, Eſt incredibile Concilium Tridentinum abſolutè pronuntiare hominem à Deo motum poſſe facere id quod non eſt in ipſius poteſtate. Sed ex doctrina Ianſenii lib. 7. de gratia Salu. c. 2. & 3. quando eſt diuina motio, & quando non eſt delectatio præpollens concupiſcentiæ, diſſentire non eſt in poteſtate voluntatis. Igitur Concilium non potuit pronuntiare quòd voluntas in illa hypotheſi poſſit diſſentire, niſi contradicendo doctrinæ Ianſenii.

Sextò, Hoc quod eſt agere ſine indifferentia, & cum remotâ tantùm ad non agendum potentiâ, vel ſufficit vt abſolutè dicatur liberum arbitrium agere; vel non agere, ſi velit; conſentire, vel diſſentire, ſi velit; & refragari vel obtemperare, ſi velit & ſimilia; vel non ſufficit. Si non ſufficit: ergo, Concilium cùm di-

cit poſſe conſentire vel diſſentire ſi vult, malè loquitur in tradenda fidei doctrina, & exponit errori fideles, vſurpando loquutiones, quæ juxta communem & vſitatam acceptionem faciunt ſenſum Semipelagianum. Si ſufficit; quare Ianſenius omnes illos loquendi modos rejicit & damnat, quaſi contineant ſententiam Semipelagianam? Dicunt Scholaſtici, eſt in hominis libero arbitrio conſentire diuinæ gratiæ, vel non conſentire, ſi velit: & Ianſenius abſolutè pronuntiat, hoc eſt Semipelagianum. Dicit Concilium, liberum hominis arbitrium poteſt conſentire diuinæ gratiæ vel diſſentire, ſi velit. Ianſenius item abſolutè pronunciat, ſicut debet, hoc eſt orthodoxum. Atqui pondus & pondus, menſura & menſura, vtrumque abominabile eſt apud Deum, Prouerb.cap.2. Vnde tam diuerſa judicia circa eaſdem propoſitiones?

Denique, poſtquam ex Ianſenianis tota libertas arbitrii diuinæ gratiæ cooperantis eò reducitur, quòd voluntas ſequatur motionem gratiæ per ſe efficacis, ſine indifferentia, & ſine proxima diſſentiendi potentia; Interrogo quis ſit error Caluini? Negat-ne gratiam per ſe efficacem? Negat-ne voluntatem agere ſine indifferentia? Negat-ne remotam ad diſſentiendum potentiam? In quo igitur peccat? Coactionem rejicit, cognitionem plenam ad agendum humano modo neceſſariam ſupponit? Quid igitur magis minuſ-ve dicit quàm Ianſenius? Non eſt mirum, quòd Tridentinum putet ſe illum damnare, & quòd ille ſentiat ſe damnari à Tridentino; & quòd Ianſenius, ac Ianſeniani totam hanc cauſam ita interpretentur, vt neque Caluinus negare quidquam videatur eorum quæ Tridentinum aſſerit; neque Tridentinum aſſerere quidquam eorum quæ Caluinus negat? Nimis pacifici ſunt, qui lupos cum agnis conciliare nituntur.

Quæ ſit doctrina S. Auguſtini.

In libro de incoacta libertate c. 1. & 2. Et in Auguſtino vindicato lib.2.c.6.lib. 4.c.8.

DE ſententia S. Auguſtini poſſent innumera dici, quibus euidenter monſtraretur contraria eſſe Ianſenianæ, quod etiam alibi perfectum eſt. In præſentia tantùm vnum & alterum apponam.

Primum eſt, S. Auguſtinum ſemper retinere liberum arbirrium quod, Pelagiani ab eo deſtrui criminabantur; neque vnquam emendare notionem communem liberi arbi-

trii, quæ importat ſecum expeditam ad faciendum, vel non faciendum facultatem; ſed requirere tantùm vt facultas illa, quatenus bonum ſpectat, quod pertinet ad vitam æternam, intelligatur conſtitui per diuinam gratiam. Hoc poſito, dicant quàntum volent Pelagiani arbitrium cum gratia eſſe liberum ad faciendum vel non faciendum, idque proximè, D. Auguſtinus numquam repugnat; vt conſtat ex toto libro de gratia, & libero arbitrio.

Secundum eſt, S. Auguſtinum in eodem lib. cap. 2. probare liberum arbitrium, etiam in natura lapſa ex loco illo Eccleſiaſtici, cap. 15. *Ante hominem vita & mors, ad quodcumque voluerit extendit manum ſuam*, quæ ſignificant expeditam facultatem tam ad vnum, quàm ad aliud.

Tertium, Idipſum confirmare S. Auguſtinum in Pſal. 51. *Benignitas ante te, iniquitas ante te, compara & elige.* Vbi etiam exprimitur æquè proxima ad vtrumque poteſtas: & ridendus ſit, qui de duobus objectis, quorum vnum eſt præſens & aliud abſens, homini dicat, illud ante te, & illud etiam ante te, compara, & elige.

Quartum, Expreſſiſſimam eſſe hujus quæſtionis deciſionem in lib. de Bono Perſeuerantiæ cap. 5. cùm dicit: *Credere vel non credere, poſitum eſt in arbitrio voluntatis humanæ*; quod non poteſt eſſe verum, niſi ſuppoſitâ gratiâ voluntatem præparante; ergo illâ poſitâ, credere vel non credere in arbitrio humanæ voluntatis poſitum eſt.

Quintum, Eſſe id pariter expreſſum in cap. 34. de Spir. & Litt. vbi ſuppoſitâ pariter diuinâ gratiâ dicit, *ſed conſentire vel diſſentire propriæ voluntatis eſt.* Compara cum eo quod dicunt Ianſeniani, *voluntatem gratiæ Chriſti poſſe reſiſtere vel obtemperare Semipelagianum eſt.*

Sextum, Ex lib. de Spir. & Litt. cap. 31. conſtare apud Auguſtinum, cùm dicitur quiſpiam poſſe aliquid facere, *ſi velit*, ſupponi adeſſe poteſtatem non impeditam, nec ligatam. Idipſum conſtare ex lib. 2. de actis cum Felice Manich. cap. 3. 4. 5. vbi ſignificatur quando de aliquo dicitur, quòd *noluit; potuiſſe*, vt dictum eſt in ſuperiori propoſitione.

QVINTA PROPOSITIO.

Semipelagianum eſt dicere, Chriſtum pro omnibus omnino hominibus mortuum eſſe, aut ſanguinem fudiſſe.

Quid ſentiat Ianſenius.

HÆc eſt concluſio, quam Ianſenius rectè ſequi putat ex dictis à ſe toto libro 3. de gratia Salu. cap. 21. quod ſic claudit. Quæ ſanè cùm in „ Auguſtini doctrina perſpicua, certáque ſint, nul„lo modo principiis ejus conſentaneum eſt, vt „ Chriſtus Dominus, vel pro infidelium, in infidelitate morien„tium, vel pro juſtorum, non perſeuerantium æterna ſalute „ mortuus eſſe, ſanguinem fudiſſe, ſemetipſum redemptio„nem dediſſe, Patrem oraſſe, ſentiatur. Sciuit enim quò quiſ„que jam ab æterno prædeſtinatus erat, ſciuit hoc decretum, „ nec vllius pretii oblatione mutandum eſſe, nec ſeipſum vel„le mutare. ex quo factum eſt, vt juxta ſanctiſſimum Docto„rem non magis Patrem pro æterna liberatione ipſorum, „ QVAM PRO DIABOLI DEPRECATVS FVERIT: ſed ſi quid pro ip„ſis rogauit Patrem, pro temporalibus quidem juſtitiæ effecti„bus rogauit, fuditque ſanguinem ſuum, &c. Et paulò pòſt dicit contrariam ſententiam fuiſſe *machinam à Semipelagianis erectam, & ab antiqua Eccleſia repudiatam*. Et initio capitis hoc argumentum jam *ad nauſeam vſque à Pelagianis, præſertimque Maſſilienſibus inculcatum*. Vnde clarè conſtat ex ipſius ſententia & Chriſtum non eſſe pro omnibus omnino hominibus mortuum, & Semipelagianum eſſe ita ſentire & dicere.

Ratio autem, quâ vtitur vt probet Chriſtum non oraſſe pro reprobis, *quòd ſciret, quò quiſque prædeſtinatus eſſet*, nemo

eſt qui non videat quàm ſit abſurda, indignáque viro, ad ea quæ dicit attento : cùm inde ſequatur orare non potuiſſe in horto ad auertendum paſſionis calicem. Quid enim ? nonne ſciebat, quid jam olim Deus prædefiniſſet, & immutabilem eſſe diuinæ ſapientiæ ſententiam illam ?

Quid ſentiant Hæretici.

SED nec in eo videtur conſequenter loquutus initio cap. cit. cùm dicit, deterreri debuiſſe recentiores ab hoc argumento vſurpando, cùm non poſſent ignorare vſurpatum etiam eſſe à Pelagianis & Maſſilienſibus. Annon enim debuit ipſe quoque Ianſenius deterreri à proferenda tam immani ſententia, cùm non poſſet ignorare eſſe illam etiam celebratam à Caluino, & confirmatam velut vnum ex præcipuis Caluiniſmi fundamentis ? Nam Caluinus 3. Inſtitut. cap. 24. §. 15. negat illud Ezechielis, quo Deus dicit ſe *nolle* *Idem §. 16.* *mortem peccatoris, ſed magis vt conuertatur & viuat*, extendendum eſſe ad totum genus humanum. Et quòd Niniuitis & *Idem §. 17.* Sodomitis, qui paratiores erant ad recipiendam gratiam, janua pœnitentiæ aperta non ſit, argumento eſſe, *Deum nolle omnes ſaluos fieri*. Deum, qui delegit quos miſericordia proſequi debeat, eam non omnibus impertiri. Vniuerſales Dei promiſſiones ita metiendas eſſe ex effectu, vt cùm Deus ſalutem omnibus indiſcriminatim denùntiat, nihil aliud velit quàm omnibus expoſitam eſſe miſericordiam, qui modò eam expetunt atque implorant : quod non alij faciunt, niſi quos illuminauit ; illuminare autem quos prædeſtinauit ad ſalutem. Conſequenter ad hæc docet in cap. 17. Ioan. *Chriſtum proprii gregis ſolummodò ſollicitum fuiſſe, & pro electis ſuis dumtaxat oraſſe.*

Concinit Molinæus in ſua Anat. cap. 5. num. 19. Vbi illud Chriſti apud D. Matthæum, *Hieruſalem quoties volui, &c.* negat ſignificare voluntatem, ſed externam tantùm juſſionem : *Ibid. c. 36. n. 21.* finémque Dei vocantis reprobos *non eſſe vt conuertantur, ſed tantùm petere quod debent, nempe ſibi jubenti morem geri & credi promittenti :* nec alio ſenſu Deum ſeriò vocare, quàm quia *ſeriò declarat quid ſibi gratum ſit.* Deum *non deſiderare conuerſio-* *Ib. c. 49. n. 7* *Ib. c. 28. n. 13*

nem hominum, ſed innuere tantùm eam ſibi gratam eſſe: Chriſtum non oraſſe pro omnibus crucifigentibus, ſed pro iis, qui per ignorantiam hoc faciebant.

Hæc eſt Hæreticorum doctrina, quam Illuſtriſſimus Malderus Antuerpienſis Epiſcopus, *blaſphemam* vocat, & verè *Antichriſtianam.* Quod ille nequaquam dicit ex proprio tantùm ſenſu, ſed ex illa quam habebat communi experientia horroris Catholicorum omnium, à quibus Caluinus non diffitetur ſe diſſentire. Molinæus verò *Pontificios* vocat eos, qui reſiſtunt ſuæ doctrinæ, & Arminianos, qui defecerunt à Caluino in hac controuerſia, dicit *Papiſmum interpolaſſe.* Ianſenius noluit haberi *Pontificius*, & ne Papiſta diceretur hac in parte, maluit adhærere Caluino.

c.4.pag.60. Sequitur Samuël Mareſius, qui in ſua Synopſi laudat quod ſtatuit *doctiſſimus* Catechiſta Ianſenii, *Chriſtum non eſſe mortuum pro iis qui pereunt, quod & jam olim Goteſcalcus genuinus*
c.6.pag.100. *Auguſtini, imò ſcripturarum diſcipulus ſuſtinuit.* Item, *Cùm ſequenti erotemate dicturus ſit vir doctus*, Catechiſta Ianſenii, *Nolle Deum alios ſeruare, quàm ſuos electos, non erat cur ita ambiguè loqueretur, vt etiam quodam ſenſu Chriſtum pro quibuſdam non electis*
pag. 101. *mortuum confiteri videretur.* Item, NEQVE IN VERITATE, NEQVE EX VIRI DOCTI PRINCIPIIS POTEST STATVI CHRISTVS MORTVVS PRO VLLIS REPROBIS, *cùm certum ſit neminem ex illis ſeruatum velle dominum.* Item, *Ergo pro ſolis electis ex Chriſti intentione fuſus eſt ſanguis illius, &*
pag. 106. *per conſequens, pro illis* SOLIS *mortuus eſt.* Iterum, *Habens hîc in quo genuinum frangant vniuerſaliſtæ omnes*, qui ſcilicet dicunt Deum velle omnes homines ſaluos fieri, *qui in illis phraſibus vniuerſale quid ſonantibus præſidium quærunt* PELAGIANISMO SVO.

Quid ſentiat Eccleſia.

IAM quòd contraria ſit Eccleſiæ Romanæ doctrina ſatis intelligitur ex Conc. Trid. ſeſſ. 6. cap. 2. & 3. cùm dicit: „ Hunc propoſuit Deus propitiationem per fidem in ſanguine „ ipſius pro peccatis noſtris: NON SOLVM AVTEM PRO „ NOSTRIS, SED ETIAM PRO TOTIVS MVNDI. Ve- „ rùm & ſi ille PRO OMNIBVS mortuus eſt, non omnes tamen

men mortis ejus beneficium recipiunt, ſed ii dumtaxat, quibus meritum Paſſionis ejus communicatur, &c. Loquitur Concilium de redemptione generis humani : & cùm dicit, etiam ſi Chriſtus pro omnibus mortuus ſit, non omnes tamen mortis ejus beneficium recepiſſe, non potuit clariùs exprimere, intentionem redimendi per mortem ſuam latiùs patuiſſe, quàm illius fructum, interueniente nimirum impedimento ex parte redimendorum. Et confirmatur hæc interpretatio ex eo quod dicit Concilium cap. 17. ſeſſ. citatæ de Iuſtificatis: *Debere omnes firmiſſimam ſpem ponere in diuino auxilio*, agitur autem de auxilio ad perſeuerandum neceſſario. Impoſſibile enim eſt, vt omnes ſpem firmam habeant, nedum firmiſſimam, vt vult Concilium, ſi majori parti denegetur & ſubtrahatur ejuſmodi auxilium ; quod ſi ſit omnibus juſtificatis præparatum ; ergo jam eſt in Deo voluntas juuandi, quantum eſt ex ſe, juſtificatos ad ſalutem ; atqui inter illos ſunt multi reprobi; ergo ex mente Concilii, Deus habet voluntatem juuandi ad ſalutem multos reprobos, & Chriſtus propterea mortuus eſt. Confirmatur iterum ex ratione, quam affert Concilium, cur debeant juſtificati omnes concipere firmiſſimam ſpem illam, nimirum quia Deus, *ſicut cœpit opus bonum, ita perficiet operans in illis velle, & perficere, niſi ipſi illius gratiæ defuerint*. Hæc enim quid ſignificant, ſi non ſignificant Deum habere ex parte ſua voluntatem perficiendi quod cœpit, hoc eſt opus ſuum vſque ad finem perducendi, ſi non ſtet per ipſos? Quid autem eſt perficere, niſi efficere vt perſeuerent vſque in finem? Poteſt-ne Deus velle vt perſeuerent vſque in finem, & non velle vt ſaluentur? Vult igitur vt ſaluentur reprobi, quantum eſt ex ſe.

Eòdem ſpectat etiam illud quod paulò antè dixerat Concilium cap. 11. *Poſſe, ac debere juſtificatos per Chriſtum proficere. Propterea quòd Deus ſuâ gratiâ juſtificatos non deſerat, niſi priùs ab ipſis deſeratur*. Cùm enim hæc aſſiſtentia gratiæ afferatur à Concilio, tanquam ratio, quâ probatur poſſe juſtificatos proficere, euidens eſt intelligi debere de gratia actuali, ſine qua nemo juſtificatus hoc poteſt. Ergo juſtificatis adeſt gratia actualis in omnibus occaſionibus, in quibus eſt neceſſaria. Hoc autem eſt adeſſe medium ſufficiens omnibus juſtificatis ad finalem perſeuerantiam; & conſequenter ad æternam ſalutem. Ex eſ-

fectu verò cauſa infertur, nempe voluntas Dei & Chriſti de ponenda in manu juſtificati æterna ſalute. Atque ita ex hac ſaltem parte cenſeri debet damnata Ianſenii doctrina, quâ negat Chriſtum habuiſſe intentionem ſaluandi vllum ex juſtificatis, qui pereunt. Nititur hic Eccleſiæ ſenſus innumeris Scripturæ ſacræ teſtimoniis, quibus probatur & mandatorum poſſibilitas; & gratia ſufficiens in iis occaſionibus, in quibus eſt neceſſaria. Sequitur enim inde per homines ſtare quominùs credant, quominùs ſeruent mandata, & conſequenter quominùs in vitam æternam ingrediantur, Deo id volente & procurante, quantum eſt ex ſe. Sed illa potiſſimùm teſtimonia conuincunt, in qua expreſſiſſima continetur Dei voluntas de ſalute hominum, quæ juxta contrariam ſententiam illuſoria redduntur, & ad fallendos tantùm & irridendos homines compoſita. Quid enim eſt illud, *volui congregare filios tuos, quemadmodum, &c.* Hoccine vmquam voluit reuera Chriſtus in doctrina Ianſenii? Voluit igitur ſecundùm eamdem doctrinam dæmones congregare ſub alas, quemadmodum gallina pullos ſuos, poſtquam non magis ſollicitus fuit, aut orauit pro ſalute Iudæorum, qui noluerunt ei adhærere, *quàm pro ſalute diaboli.* Et illud: *Quòd ſi cognouiſſes & tu, & quidem in hac die tua quæ ad pacem tibi*, quid ſignificat? poterat-ne ad pacem Hieruſalem aliquid præparari præter voluntatem Dei? Intenderat ergo Deus pacem illam, hoc eſt reconciliationem cum Hieruſalem, & in eum finem media neceſſaria præparauit. Et illud, *non vult mortem peccatoris, ſed magis vt conuertatur & viuat.* Vult Deus vt conuertatur peccator cui ſtatuit denegare auxilium neceſſarium, quo poſſit conuerti? Num de diabolo etiam dicitur, non vult Deus damnationem diaboli, ſed magis vt conuertatur & beatus ſit? Atqui eodem modo ſe habet Deus erga reprobos, atque erga diabolos, vt dicunt Ianſeniani. Et illud de inuitatis ad nuptias, & venire nolentibus, aliud erit quàm joculare mendacium hominis vafri, qui ad conuiuium inuitat eos quibus januam clauſit immutabili decreto? Et illud, *Ante hominem vita & mors, ad quodcumque voluerit extendet manum ſuam*, quo Auguſtinus contra Pelagianos ſcribens fatetur contineri *expreſſiſſimam* liberi arbitrii definitionem, vllam-ne veritatem apud Ianſenianos habere po-

teſt? Loquitur Auguſtinus de libertate naturæ lapſæ, de illa enim cum Pelag. diſputat; neque probat tantùm ex hoc loco libertatem electorum, ſed etiam reproborum; ac proinde locus iſte ad omnes pertinet. Ante reprobos ergo dicendum eſt eſſe vitam, quibus Deus decreuit negare omnia viuendi media neceſſaria. Sunt ejuſmodi alia ſexcenta in ſacris paginis, quibus ſi non probatur velle Deum ſalutem eorum etiam qui non ſaluantur; nego quidquam probari poſſe ex Scriptura ſacra, ſed totam ipſius vim euacuatam eſſe, quòd nihil inueniri poſſit quod frequentiùs aut diſtinctiùs in ea ſignificetur, quàm quod modò à Ianſenianis verum eſſe negatur.

Atque ea fuit ratio, cur tam vnanimis fuerit in illam veritatem SS. Patrum conſenſus, vt compendio videri poteſt apud Coccium, & Bellarminum, qui jampridem eorum teſtimonia collegerunt: & apud Petauium, qui nuper toto lib.13. de Incarnatione idem argumentum proſequutus eſt.

Neque Ianſenius diffitetur. Audi quid dicat lib. 3. de grat. Salu. cap. 20. *Nam quod pro iſta recentiorum interpretatione multi veteres proferuntur, non multum ei conciliat authoritatis.* Itane verò? Multitudo SS. Patrum non multum conciliat authoritatis alicui ſententiæ? Quare igitur Auguſtinus eorum ſenſa de peccato originali tam ſollicitè toto lib. 1. & 2. contra Iulianum profert? Quare ſe illis adhærere velle, ac debere profitetur? Quod addit Ianſenius ibidem, nihil juuare quod dixit Chryſoſtomus, propterea quòd vixerit ante ſubortas de diuina gratia difficultates, non videt perinde retorqueri poſſe à Iuliano dicente hunc ipſum Chryſoſtomum, quem ei Auguſtinus objicit, ac cæteros Patres ſcripſiſſe ante ſubortas de peccato originali difficultates, atque ita nihil juuare? Numquid dicemus ob eamdem cauſam parum juuare quod idem Auguſtinus non ſolùm in quæſtione de peccato originali, ſed etiam in quæſt. de gratia & prædeſtinatione ſanctos Cyprianum, Ambroſium, Nazianzenum profert, quamuis ſcripſerint etiam ante ſubortas de diuina gratia controuerſias? Et non eſt abſurda cogitatio illa atque periculoſa, quòd ad dirimendas, quæ ſuccedentibus annis ſuboriuntur controuerſias, parum juuent quæ ſcripta priùs fuerant SS. Patrum monumenta? Vndenam certiùs intelligere poſſumus quis fuerit

Eccleſiæ ſenſus, quàm ex SS. Patribus? Sed ego fruſtra ſum, qui ſenſus Eccleſiæ commemoro apud eos authores, qui ſignificant aliquot ſæculis *ſenſum Eccleſiæ* fuiſſe pro doctrina *perfectè Semipelagiana*, eámque tradidiſſe SS. Patres *quotquot Auguſtini ætatem antegreſſi ſunt, à tempore Origenis*. Ita enim opinatur Ianſenius lib. 7. de hæreſi Pelagiana cap. 17. qui vt S. Chryſoſtomum paulò antè loco citato parum curat, ita S. Hieronymum excuſari poſſe negat.

Sed quia Ianſenius plus ſperat præſidii ex illis Patribus, qui ſancti Auguſtini ætatem ſunt conſequuti ad vſque tempora Scholaſticorum: & quia potiſſimum jactare ſolent Ianſeniani judicium Eccleſiæ Lugdunenſis, & quæ 9. ſæculo contigerunt in cauſa Goteſcalci, & quæ in Concilio Valentino III. definita ſunt; vt omittam judicium Cardinalis Baronii tom. 10. anno 848. qui damnatum refert Goteſcalcum, *quòd negaret Deum velle omnes homines ſaluos fieri, & Chriſtum pro redemptione totius mundi mortuum eſſe*: dico Ianſenii doctrinam perſpicuam habere condemnationem in monumentis illius temporis, & in judicio etiam illorum, qui contra Hincmarum, & Rabanum, & contra Rhemenſem & Moguntinenſem Eccleſiam, & Concilium Cariſiacum videntur Goteſcalco nonnihil fauiſſe. Et 1. quidem Concilium Valentinum can. 3. renouat canonem Concilii Arauſicani, *Quod cum omni deteſtatione anathema dicit iis, qui aliquos ad malum ita prædeſtinatos dicunt, quaſi aliud eſſe non poſſint.* Idem habetur in lib. Flori Magiſtri, & Eccleſiæ Lugdunenſis aduerſus Scotum Erigenam c. 4. vbi ad id quod dicebatur Goteſcalcum prædeſtinationibus neceſſitatem, & vim
„ inferre, ſubjicit: Si ita dicit, quaſi illa prædeſtinatio reprobo-
„ rum ad interitum, alicui eorum vim & neceſſitatem imponat ad
„ malum, id eſt, vt ineuitabiliter mali ſint, ET OMNINO ALIVD
„ ESSE NON POSSINT; hoc omnino alienum eſt à fide Catholica.
Idem S. Remigius Archiepiſcopus, & eadem Eccleſia Lugdu-
„ nenſis in libello de trib. Epiſtolis cap. 42. his verbis: Quod au-
„ tem diuina eadem prædeſtinatio hoc in improbis agat, vt ſe ad
„ Deum conuertendo & in melius commutando NEMO EORVM
„ POSSIT SE AD VITAM RECVPERARE, quaſi omnipotens Deus,
„ quod abſit, ſua prædeſtinatione eis impoſuerit neceſſitatem
„ malè agendi, & in ſuis malis perſeuerandi, HOC OMNINO NVLLVS

FIDELIVM DICIT. Idem in lib. de tenenda veritate Sacræ Scripturæ circa 4. Capitula Concilii apud Cariſiacum habiti ; vbi ad primum Capitulum, *Horribiliter blaſphemare dicit, qui putat diuina ſcientia vel prædeſtinatione aliquem compelli vt malus ſit,* ET ALIVD ESSE NON POSSIT. In doctrina Ianſeniana, numquid in omnibus reprobis hoc agit Deus *vt aliud eſſe non poſſint?* Poſſunt-ne eſſe boni ſine auxilio diuino? Poſſunt-ne ad Deum conuerti? Numquid Deus immutabili decreto denegat illis auxilium, vt hoc poſſint? Quòd ſi poſſunt aliud eſſe, hoc eſt ad Deum conuerti, & in bonitate perſeuerare, Deus dando illis vt hoc poſſint, numquid etiam dat vt poſſint ſaluari? Et hoc confirmat quod deinde ſubjicit idem Remigius. Ideo plenam & perfectam prædeſtinationem juſti judicii Dei tam in parte electorum, quàm in parte reproborum, ſicut omnino vera eſt, verum eſſe confiteamur, nemini miſericordiam negantes, NEMINI CONVERSIONIS GRATIAM DEROGANTES, NEMINI ADITVM INDVLGENTIÆ CLAVDENTES, ſed omnibus in iniquitate permanere volentibus vtilem & ſalutarem terrorem incutientes. Nemini ſcilicet miſericordiam Dei negat Ianſenius, qui illam negat omnibus reprobis? Non derogat illis gratiam conuerſionis? Non claudit indulgentiæ aditum? Paulo antè præmiſerat Remigius. Se igitur, vt jam dictum eſt, vnuſquiſque, DVM FACVLTAS DATVR DEO AVXILIANTE, mutet in melius. Hoc enim proculdubio vult, qui quotidie clamat & admonet dicens, declina à malo & fac bonum? Et iterum, *Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos.* Apud Ianſenium datúrne vnicuique facultas, vt ſe mutet in melius, quæ negatur infinitæ multitudini reproborum? Et hoc Deus *proculdubio vult*, qui nullum prodit ejuſmodi voluntatis effectum? Quod ſi datur vnicuique illa facultas, *Et Deus proculdubio vult*, vt quiſque mutet ſe, nonne & datur facultas, & Deus proculdubio vult vt quiſque ſaluetur? Et cùm hæc ita ſint, Pelagiana erit ad ſenſum Ianſenii cogitatio de gratia ſufficienti data, vel oblata reprobis?

Secundò, Idem Concilium Valentinum eodem can. 5. docet, Chriſtum mortuum eſſe pro his etiam juſtificatis qui non perſeuerant in accepta juſtitia, *eóſque damnari, qui no-*

luerint perſeuerare, ſed elegerint potiùs gratiam Redemptoris irritam facere, quàm ſeruare. Quod oſtendit perſpicuè id eos potuiſſe.

In eamdem ſententiam idem S. Remigius in libel. de tribus Epiſtolis cap. 16. propoſitis tribus hominum ordinibus, Electorum, Vocatorum jam ad fidem, ſed non perſeuerantium, „ & eorum qui ſuperſunt vocandi, ſic dicit: Pro illis itaque „ tribus ordinibus ad Chriſti gratiam & ſocietatem fidelium „ pertinentibus Dominum Ieſum Chriſtum, & veniſſe vt eos „ ſaluaret, & crucifixum eſſe vt eos redimeret: ET FIDELITER „ CREDENDVM TENEMVS, & hoc non ſolùm ex diuinis ſcripturis, „ ſed etiam ex SS. Patrum fide & doctrina EVIDENTER COGNOSCIMVS. Ecce, firmiter credit Eccleſia Lugdunenſis tanquam rem *euidenter* traditam à Scripturis, & à SS. Patribus, mortuum Chriſtum vt ſaluaret juſtificatos & juſtificandos, atque ad fidem vocandos omnes, quamuis reprobos. Ianſenius autem cap. 21. lib. 3. de gratia Salu. diſertiſſimè negat *mortuum eſſe Chriſtum, vt eos ſaluaret*, & *non eſſe mortuum pro ſalute juſtificatorum, non perſeuerantium.* An ſatis ſunt contraria, mortuum eſſe Chriſtum vt eos ſaluaret, & non eſſe mortuum pro eorum ſalute? Primum amplectitur Eccleſia Lugdunenſis cum Concilio Valentino, tanquam fide certum. Secundum tenet Ianſenius.

Tertiò, In voluntate ſaluandi omnes etiam barbaros, ad quos Dei Euangelium non peruenit, duæ occurrerunt difficultates iis, qui adhærebant Eccleſiæ Lugdunenſi. Prima, „ quòd videretur Deus expectare, vt homo inciperet, & hoc „ patet ex lib. de trib. Epiſtolis cap. 12. & 13. his verbis. Quarto „ autem modo ita à SS. Patribus intellectum inuenitur quod „ dictum eſt, Qui vult omnes homines ſaluos fieri, vt ſimpli„ citer accipiatur hoc de omnibus, quantum in ipſo eſt, Deum „ velle, eo quòd omnes ſaluare velit bonitate Creatoris, ſed „ quia liberi arbitrii eos condidit, EXPECTAT VT HOC ETIAM „ IPSI VELINT: *& deinde*. In quarto autem modo illud ſine du„ bio cauendum, quia & occaſionem Pelagianæ prauitati præ„ bet, quòd Deum, vt ſaluet homines HVMANAS ASSERIT EXPECTARE VOLVNTATES, facile eſt autem hoc cauere in illo quarto modo, nullam ag-

noſcendo bonam voluntatem, quam diuina gratia non præceſſerit.

Altera difficultas nata eſt ex vmbra quadam & ſuſpicione, quaſi id ita acciperetur, vt mortuus eſſet Chriſtus etiam pro liberandis à damnatione reprobis: duobus enim modis intelligi poteſt Chriſtus pro reprobis mortuus. Primò vt impediat ne reprobi fiant, hoc eſt ne moriantur in peccato & damnentur. Secundò, vt permiſſâ malâ morte, ac damnatione, illos inde eripiat. hunc fuiſſe multorum errorem manifeſtè colligitur ex S. Auguſtino de Ciuit. Dei lib. 21. cap. 18. 19. 20. 21. 22. & perſeuerare hodiéque apud Græcos probat Leo Allatius diſſert. 2. de libris Eccleſiaſt. Græcorum pag. 240. 308. 312. Suſpicatos autem eſſe Lugdunenſes ſubeſſe cogitationem hanc iis, qui dicebant & Deum velle omnes ſaluos fieri & Chriſtum pro omnibus mortuum eſſe, facilè intelligitur ex modo loquendi, tum Concilii Valentini, tum aliorum. Et ſufficere poſſunt ad hoc demonſtrandum hæc verba ex cap. 18. de trib. Epiſtolis. Quamuis igitur idem « Dominus noſter, & ad omnes ſaluandos, omnéſque redi- « mendos, etiam quos nec ſaluauit nec redemit, id eſt infi- « deles & impios in ſua infidelitate & impietate perditos, & « pereuntes, & perituros, veniſſe contendatur, vnum tamen eſt, « quod nos & fideliſſimè credimus & veriſſimè nouimus, quia « pro omni illa & innumerabili, & infinita multitudine im- « piorum, qui ab exordio mundi vſque ad Paſſionem Domini « per quatuor ferè annorum millia IN SVA IMPIETATE SVNT « MORTVI, ET APVD INFEROS ÆTERNA PERDITIONE DAMNA- « TI, numquam Dominus mortuus, numquam paſſus eſt, nec « ad eos ſaluandos vllatenus venit, nec pro eis ſanguinem fu- « dit, quoniam ſolos illos ex iis qui ab exordio mundi vſque « ad Paſſionem ejus extiterunt, eadem paſſione ſua redemiſſe « & ſaluaſſe, atque ab inferi clauſtris eduxiſſe credendus eſt, « qui & fideliter eum ſperauerunt venturum, & fideliter per « eum redemptionem & liberationem ad ſalutem ſe acceptu- « ros eſſe crediderunt. Et ſimilia habentur in lib. de tenenda « veritate Scripturæ cap. 14.

Vides permitti vt credamus mortuum eſſe Chriſtum vt redimeret & ſaluaret etiam infideles in ſua infidelitate &

impietate *perditos pereuntes*, *& perituros*, dummodo negemus veniſſe pro mortuis & damnatis apud inferos, quaſi eos educere voluerit ex inferis, poſt mortem ſuam, cum illis ſanctis qui piè mortui erant, ſicut putarunt Græci; & illius quidem ſuſpicionis veſtigia apparent multis aliis in locis, & in ipſo etiam Concilio Valentino can. 4. Quam ne quis cauilletur nullo nixam fuiſſe fundamento, præter id quod jam notatum eſt ex S. Auguſtino & Leone Allatio, diſcere poterit ex Epiſt. nona Zachariæ Pontificis ad Bonifacium, non ita diu ante hanc diſputationem Eccleſiæ Lugdunenſis fuiſſe qui diceret Chriſtum ab inferis reducem damnatos omnes liberaſſe, nullo inibi relicto.

His ergo purgatis vmbris, nihil eſt amplius quod Eccleſia Lugdunenſis reprehendat in ea ſententia, qua Chriſtus dicitur pro omnibus mortuus, quin imò cenſet vtramque opinionem conciliari poſſe, correctâ prauâ intelligentiâ. En quid dicat Lupus Seruatus illorum temporum Scriptor & propugnator doctrinæ Eccleſiæ Lugdunenſis in libello de tribus » quæſtionibus, ad quæſt. 3. Verùm nè me irridendum & re- » ſpuendum pronuncient, quibus placet omnes, ſiue bonos ſiue » malos indifferenter à Chriſto redemptos, ponam vnum quod » cum iis faciat teſtimonium, & eos omnes, vt opinor, in gra- » tiam reduxero. Et illud eſt quod Ioannes Conſtantinopoli- » tanus doctrina & ſanctitate juxtà inſignis Epiſcopus, *vt gratia* » *Dei pro omnibus guſtauerit mortem*, quod ſuprà poſui ſic expo- » nit, Qualiter gratia Dei pro omnibus guſtauerit mortem, non » pro fidelibus tantùm, ſed pro mundo vniuerſo. *Et ipſe qui-* » *dem pro omnibus mortuus eſt: quid autem ſi non omnes credant?* » ID QVOD SVVM ERAT IMPLEVIT. Eligat ſanè ſuperioribus a- » cutè conſideratis vnuſquiſque quod optimum ei Deus occulta miſeratione ſuggeſſerit aut magiſtra ſcriptura manifeſtâ ratione protulerit. S. Remigius in libel. de trib. Epiſt. cap. 20. » ſic loquitur: Si autem placet, ſicut & nobis multum pla- » cet, vt etiam iſtorum ſententia ex pietate veniens pro- » pter pacem & venerabilem pietatem Beatiſſimorum Pa- » trum non renuatur, nulla ergo contentione pro aliis aduer- » ſus alios litigetur, NON VNA SENTENTIA PRÆ ALTERA DAM- » NETVR.

Idem

Idem in libello de tenenda veritate Scripturæ, 3. cap. hæc habet. Ecce enim aliquis ſentiat, & dicat, ſicut etiam antiquitus & ſenſum & dictum eſt, non dixit Apoſtolus vniuerſaliter & generaliter vt iſti addiderunt, ſine exceptione, *qui vult omnes homines ſaluos fieri*, quid habet hæc intelligentia inconſequens, aut contrarium veritati? Item alius dicat & ſentiat, ſicut etiam à quibuſdam majoribus dictum & ſenſum reperitur, Apoſtolus cùm ſuperiùs orari juſſiſſet pro omnibus hominibus, pro Regibus, & his qui in ſublimitate ſunt, poſt illa omnia generaliter de vniuerſo genere humano ſubjunxit, *qui vult omnes homines ſaluos fieri*, QVID HABET MALI, AVT PERICVLI ISTA INTELLIGENTIA? Et ambo ſibi & iſte videlicet & ille licèt diuerſa ſentientes fideliter atque vnanimiter concordant. Et iterum idem Remigius in lib. de tribus Epiſtolis cap. 23. hæc habet: Vnde etſi inuenti ſunt alii æquè Patres, qui illud glorioſum pretium etiam pro numquam credituris, & in ſua impietate perituris datum eſſe non abnuunt, & illud manifeſtè diuina authoritate firmatum eſt, ET ISTVD SI PIE SENTITVR, NON EST ABNVENDVM. *Tum deinde cap. 27. ait*, Quod etſi aliqui Patrum pro omnibus omnino hominibus Chriſtum paſſum eſſe intellexerunt, HONORETVR ET ISTE SENSVS VT PIVS, dummodo ille prior, qui eſt certiſſimus & diuina veritate formatus, nulla præſumptione condemnetur. Denique idem cap. 28. oſtendit qua ratione conueniant ambæ ſententiæ, his verbis: Recogitent attentiùs, quia etſi verba illa Apoſtoli ſimpliciter intelligantur, quibus de Deo dicit, *qui vult omnes ſaluos fieri*, duobus modis hoc Deum agere certiſſimum eſt, VT ALIOS ITA VELIT SALVOS FIERI, VT EOS OMNINO NON SALVET, SED IN ÆTERNVM PERIRE PERMITTAT, ſicut vtique reprobos omnes, quos juxta hunc ſenſum, & vt benignus Creator ſaluari voluit, & vt judex æternæ perditioni tradidit. Ita, ETSI PRO OMNIBVS ETIAM IN SVA IMPIETATE PERITVRIS Chriſtus mortuus eſt, ſic eis exhibuit bonitatem Paſſionis ſuæ, vt tamen homines impios in ſua impietate permanſuros juſto ſuo judicio condemnauerit. Vbi patet ſatis expreſſum eſſe quod communiter dicitur in Scholis, nolle Deum vt omnes ſaluentur voluntate abſolutâ & effectum ſalutis infallibiliter habiturâ, vel-

le autem vt omnes ſaluentur voluntate conditionatâ ſalutis media ſubminiſtrante omnibus, vel ſubminiſtraturâ, ſi nullum ex parte hominum poneretur impedimentum.

Atque ita conſtat ex dictis minimè creditum eſſe ab Eccleſia Lugdunenſi quod dicit Ianſenius, *Pelagianam eſſe interpretationem illam*, quam rejicit, de Deo omnes ſaluare volente, & de Chriſto pro omnibus mortuo. Quin imò creditum fuiſſe illis diuina voluntate, & Chriſti intentione prouiſum de mediis ad ſalutem neceſſariis, & eſſe id potiſſimùm fide tenendum, ſi quæſtio ſit de reprobis, qui ad fidem & juſtitiam aliquando vocati ceciderunt.

Vt facilè intelligi poſſit Ianſenianos, qui hæc omnia monumenta ſæculi noni ſpectantia ad cauſam Goreſcalci & controuerſiam inter Lugdunenſem & Rhemenſem & Moguntinenſem Eccleſias nuper in publicum edi curarunt, veluti cauſæ ſuæ profutura, litteras Vriæ protuliſſe, atque hoc probaſſe quod Ianſenius ſicuti Pelagianum damnat, non ſolùm antiquis & vltimis, ſed mediis etiam temporibus, orthodoxum fuiſſe atque Catholicum.

Sed & hoc quoque quarto loco notandum, S. Remigium, Florum, Lupos ambos, Seruatum & Ferrarienſem, quæcumque, dicunt confirmare non ex ſolius S. Auguſtini ſenſu, quem ſemper Ianſenius ſeparat ab aliis Patribus; ſed ex communi conſenſu tum ejuſdem S. Auguſtini, tum Patrum cæterorum. Quorum autem? Nempe, vt jam viſum eſt Chryſoſtomi, quem Ianſenius ſpernit, Hieronymi, quem accuſat, & quod mirabilius eſt, authoris Commentariorum in Epiſt. D. Pauli, qui Ambroſio attribuuntur, quem authorem Ianſenius per ludibrium vocat Ambroſiaſtrum, & veluti Pelagiano veneno infectiſſimum deprædicat: Hunc, inquam, & Eccleſia Lugdunenſis, & quas dixi ejus propugnatores, veluti verum Ambroſium citant, eique vt Auguſtino, vt Hilario, aliiſque Patribus, & credunt & credendum putant.

Eant modò Ianſeniani, & de ſuffragio Eccleſiæ Lugdunenſis triumphent. Prudens verò Lector judicet, an non meritò huic Ianſenii propoſitioni, *Semipelagianum eſt dicere Chriſtum, &c.* qui fuerant à Sorbona cenſores deſignati in hunc modum ſubſcripſerint, *hæc propoſitio eſt falſa, ſcandaloſa, inſimulans erroris veritatem ſacris Scripturis contentam, & in Concilio Tridentino declaratam.*

Quid reſpondeant Ianſeniani.

QVOD Ianſeniani reſpondent erroris eſt potiùs confirmatio, quàm declaratio veritatis; Dicunt primò, Catholicè dici poſſe Chriſtum pro omnibus mortuum, quia natura, & cauſa humani generis pro qua mortuus eſt, erat omnium communis: ita ſi centum Itali, v. g. in bello capiantur à Turcis, & quidam amore nationis captus mittat lytrum pro quinque, aut ſex, ille dicetur omnes redemiſſe, quia natura & conditio, & cauſa, qua mouetur, communis eſt omnium, ridendus ſit qui hoc credat.

Secundò, Dicunt affirmari poſſe mortuum pro omnibus quoad ſufficientiam, potentiam, & virtutem pretii, ſed ſi nihil aliud additur, ſtat quod dicit Ianſenius, nihilo magis mortuum eſſe pro omnibus hominibus, quàm pro diabolo, qui omnium calculis excluditur à numero eorum, pro quibus Chriſtus dicitur eſſe mortuus.

Tertiò, Si ſenſus ſit mortuum eſſe pro omnibus, quaſi verò meruerit omnibus applicationem mediorum, quæ ſufficere poſſint ad ſalutem, niſi ex parte ipſorum aliqua cauſa impediat, hoc verò illi dicunt eſſe Semipelagianum, & jam conſtat ex dictis an ſit toleranda propoſitio, non ſolùm quoad cenſuram illam injurioſam, & iniquam, ſed etiam quoad ipſam propoſitionis ſubſtantiam, quatenus præſertim juxta Ianſenianam doctrinam, excluduntur ab intentione ſalutis etiam juſti, qui non perſeuerant, de quibus tam firma fuit confeſſio etiam eorum, quos aduerſarii ſibi magis fauere putarunt.

Quartò, Addunt Tridentinum id ſignificare; quatenus dicit, *Meritum Paſſionis Chriſti non communicari omnibus*, ſeſſ. 6. cap. 2. *& omnes non recipere beneficium mortis illius.* Ita eſt, ſed eſt etiam manifeſtum eos, quibus non communicatur meritum Paſſionis, & qui non recipiunt beneficium mortis Chriſti, comprehendi eorum numero, pro quibus Chriſtus mortuus eſt; & pro quorum peccatis poſitus eſt propitiatio. Verba enim illa, *Verùm & ſi ille pro omnibus mortuus eſt, non omnes tamen, &c.* apertè ſignificant in intentione morientis comprehendi etiam illos, quibus fructus mortis non communi-

catur: & Ianſeniani deberent explicare quo ſenſu dicat Concilium, *Chriſtum poſitum fuiſſe propitiationem pro peccatis totius mundi*, quod ſtatim ita interpretatur, *Verùm & ſi ille pro omnibus mortuus eſt*, *&c.* Vt idem ſit mortuum eſſe pro omnibus, & poſitum propitiationem pro peccatis totius mundi. Quo ſenſu inquam poſitus eſt propitiatio pro peccatis omnium? Præter intentionem Dei & ſuam? Quòd ſi Deus intendit vt eſſet propitiatio pro peccatis omnium, etiam illorum, qui fructum Paſſionis ejus non percipiunt, debent conciliari hæc duo, & eſſe reuera intentionem Chriſti, vt per mortem ſuam omnes redimat, vel præueniendo ipſorum peccata, vel commiſſa delendo, & talis intentionis fructum in omnibus non ſequi. Quòd autem omnes *non percipiant beneficium, aut quòd non communicetur omnibus meritum Paſſionis*, nihil aliud ſignificat, quàm vel impediri mediorum applicationem per peccata, quæ liberè committuntur, vel applicatorum impediri fructum, defectu cooperationis.

Doctrina S. Auguſtini.

VENIENDVM eſt modò ad Diuum Auguſtinum, vbi ſtatim interrogandi ſunt Ianſeniani, quid reſponſum velint ad id quod legitur quæſt. 68. ex 83. quódque non retractauit, dum illam quæſtionem recognoſceret, ſcilicet eos, qui non venerunt ad cœnam imputare ſibi debere, *quoniam vt venirent vocati, poſitum erat in eorum poteſtate?* Quid ad illud ex lib. 1. ad Simplicianum, quæſt. 2. de Eſaü, *quòd ſi voluiſſet & cucurriſſet, Dei adjutorio perueniſſet, & ideo vocatione contempta, factum eſſe reprobum?* Eſt autem Eſaü cæterorum reproborum exemplar: Quid ad illud cap. 3. de Geneſi contra Manichæos, poſſe homines ſeruare Dei mandata: *Quia Dei lumen illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum?* Quid ad illud in Pſalm. 5. *Benignitas ante te, iniquitas ante te, compara & elige?* Quid ad illud hom. 12. inter 50. *Eſt à dextris quodammodo præcipiens Deus, à ſiniſtris ſeducens Sathanas, homo in medio conſtitutus, cor quod inclinatur ad diabolum quare non magis erigitur ad Deum?* Quid ad illud Pſalm. 91. *Sathanas non cogit inuitum*, IN TVA POTESTATE EST

CONSENTIRE, AVT NON CONSENTIRE, alloquitur autem non conſentientes?

Et hæc nonne clarè ſignificant, Deum poſuiſſe in manu reproborum, vt non peccarent, vt bene viuerent, ac proinde vt ſaluarentur? Et non voluit vt ſaluarentur quibus dedit ſalutis media? Quid ad illud ex cap. 67. de nat. & grat. Nihil aliud ad culpam deputari malè viuentibus, *quàm quod ſanare volentem contemnunt?* Quid ad illud ex tract. 2. in Ioan. *Ingratè irrides eum qui ad te venit vt redeas?* An venit Christus vt redeat is, quem redire non vult. Quid ad illud ex tractatu 12. Quantum in medico eſt ſanare venit ægrotum. Ipſe ſe interimit qui præcepta medici obſeruare non vult. Venit ſaluator in mundum. Quare Saluator dictus eſt mundi, niſi vt ſaluet mundum, non vt iudicet mundum? ſaluari non vis ab ipſo, ex te ipſo iudicaberis. Potuit-ne diſtinctiùs exprimi Chriſtus ſaluare volens eos, qui ſaluari nolunt? Quid ad illud ex Commentario in Pſalm. 68. *Proiecit Iudas pretium argenti, quo ab illo Dominus venditus erat*, NEC AGNOVIT PRETIVM QVO IPSE A DOMINO REDEMPTVS ERAT. An redemerat illum Dominus, ſine voluntate redimendi? Quid ad illud ex Comment. Pſal. 18. Cùm autem Verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis, NON PERMISIT VLLVM MORTALIVM EXCVSARE SE DE VMBRA MORTIS, IPSVM ENIM PENETRAVIT VERBI CALOR? Nonne de vmbra mortis excuſare ſe poterit, quem Chriſtus numquam voluit illuminare? Et Verbi calor ſine luce gratiæ quemquam potuit penetrare? Quid ad illud ex cap. 33. de Spir. & Litt. Vult Deus omnes homines ſaluos fieri, non ſic tamen vt eis adimat liberum arbitrium QVO BENE VEL MALE VTENTES RECTISSIME IVDICENTVR; quod cùm ſit, infideles quidem CONTRA DEI VOLVNTATEM ET BONITATEM FACIVNT, CVM EIVS EVANGELIO NON CREDVNT. Vbi vides clarè eorum in numero, quos Deus vult ſaluos fieri, comprehendi infideles, qui malè vtuntur libero arbitrio, nolentes credere.

Et ſpeciatim de iuſtis non perſeuerantibus, quid ad illud ex Comment. in Pſalm. 2. Duo ſunt opera medicinæ, vnum quo ſanatur infirmus; alterum quo ſanitas cuſtoditur. Ibi miſericors auxilium eſt, quaſi nullum habeat meritum peccator;

„ qui adhuc juſtificari deſiderat ; HIC AVTEM IVSTVM AVXI-
„ LIVM EST, QVOD IAM IVSTO TRIBVITVR ? Quid eſt adjutorium quod juſto tribuitur juſtum eſſe, prout juſtum diſtinguitur contra miſericors, niſi eſſe debitum vel ex juſtitia, vel ex fidelitate, vel ex ipſa connaturali ſtatus exigentia ? Et Deus non vult ſoluere quod debet ? Et ſi vult, non vult vt perſeueret, & ita ſaluetur etiam juſtus, qui non perſeuerat ? Quid
„ ad illud ex lib. de corrept. & gratia cap. 7. Iuſtior videtur
„ excuſatio dicentium, non accepimus audientiam, quàm di-
„ centium non accepimus perſeuerantiam, quoniam poteſt di-
„ ci, HOMO IN EO QVOD AVDIERAS ET TENVERAS
„ IN EO PERSEVERARES SI VELLES ? Nonne hîc apertè ſignificat non eſſe impotentiam perſeuerandi in iis, qui non perſeuerant, ſicut eſt impotentia credendi in iis, qui non audierunt ? Potentia autem perſeuerandi poteſt adeſſe ſine gratia ad eum finem ab eo data ? Denique quid ad ea quæ antea ſunt allata, quibus conſtat ex Auguſtino Deum non deſerere juſtificatos ſubtractione gratiæ actualis, niſi priùs deſeratur ? Nimirum hæc manifeſtè conuincunt, diſtinguendas eſſe in Deo duas ſalutis hominum voluntates, ſicut diſtinxiſſe vidimus Lugdunenſem Eccleſiam, & antea D. Damaſcenum, ac deinde Scholàſticos: quarum vna ſolos electos reſpiciat, alia etiam reprobos: quod S. Proſper ſupponit pariter diſtinctione factâ duplicis gratiæ, nimirum generalis, quæ omnes reſpicit, & ſpecialis, quæ eſt electorum, de quo mox.

Nam quia Ianſenius ſæpè ſuggerit, vt quid ſenſerit Auguſtinus diſcamus ex Proſpero, Proſper in hac quæſt. interrogandus eſt; & reſpondebit, *Chriſtum dediſſe ſemetipſum redemptionem pro omnibus*, NVLLO EXCEPTO, vt refert ipſe Ianſenius tom. 3. lib. 3. de gratia Saluatoris, cap. 21. cui quantum hæc ſententia diſpliceat, ſatis oſtendit quod ſubjungit: *Auguſtinum illo fuiſſe antiquiorem & doctiorem.* Ita verò ſit, dicatur Auguſtinus antiquior Proſpero, quia eo ſenior erat, & quia Proſper illi ſuperuixit aliquot annis. At nonne etiam antiquior Ianſenio Proſper, & quidem 12. ſæculis ? Num iniquo animo ferent Ianſeniani, ſi putemus Proſperum fuiſſe quoque Ianſenio doctiorem in Auguſtini Theologia; vtpote

qui cum eo adhuc viuente commercium habuit familiare doctrinæ, interrogando & reſpondendo? Cui verò relicta eſt immediatiùs traditio Auguſtinianæ Theologiæ, quàm Proſpero? Et de Auguſtino plus credemus homini; qui duodecim ſæculis procul illum aſpicit, quàm illi, qui juxtà eſt, coætaneus illius & familiaris? Quis etiam peritior fuerit articulorum hæreſis Semipelagianæ, quàm Proſper, qui cum illa perpetuò pugnabat? Et putabimus illum neſciuiſſe diſtinguere inter Orthodoxam & damnatam doctrinam Maſſilienſium, vel incautum in hanc incurriſſe, dum dicit Chriſtum ſeipſum dediſſe redemptionem pro omnibus, *nullo excepto?* Æquo animo Ianſeniani ferant oportet, ſi malumus Auguſtini ſenſa ex Proſpero diſcere, quàm ex Ianſenio; & quia illi dicunt ſe Auguſtinum in Ianſenio loquentem audire, nos è contrario audire malumus loquentem in Proſpero, ejúſque verbis Ianſenianam doctrinam profligantem.

Quid enim eſt quod totis libris de vocatione gentium vniuerſalem quandam gratiam agnoſcit Proſper, ratione cujus dicatur & Deus omnes ſaluare velle, & Chriſtus mortuus pro omnibus? Scio agnoſcere etiam particularem, quæ pertinet ad electos; ſed de illa non eſt quæſtio. Agnoſcant Ianſeniani generalem, poſtquam illam agnoſcit Auguſtinus in Proſpero, particularem nemo illis negabit.

Attulerat Suares aliquot teſtimonia ex lib. 2. ſed Ianſenius vno verbo expedit ſeſe lib. 3. de gratia Saluat. cap. 20. *Proſperum*, inquit, *non intelligit Suarez;* Quid non intelligit? Ænigma eſt quod legimus cap. 13. VOLVISSE *Deum, & quantum ad illum medendi modum ſufficiebat*, EGISSE *vt Cain ab illo impietatis furore reſipiſceret?* Ænigma eſt quod addit, poſteris illius fratricidæ, quamuis in Progenitoris ſui moribus viuerent, *numquam ſe diuinam bonitatem negaſſe?* Ænigma eſt quod dicitur cap. 14. non ideo excuſabiles eſſe nationes quæ alienatæ fuerant à conuerſatione Iſraël, quia illis hæc abundantia gratiæ, quæ nunc vniuerſum mundum rigat, pari largitate non fluxerit; Adhibitam enim ſemper fuiſſe vniuerſis ho- " minibus QVANDAM MENSVRAM SVPERNÆ DO- " CTRINÆ, quæ ſufficeret quibuſdam ad remedium, om- " nibus ad teſtimonium? Ænigma eſt quod legitur initio c. 16. "

„ Ieſum Chriſtum mortuum eſſe pro impiis & peccatoribus, &
„ PRORSVS PRO OMNIBVS MORTVVM ESSE? Ænigma
„ eſt, quod legitur, cap. 17. Gentibus quibus nondum annúncia-
„ tum eſt Euangelium, non deeſſe illam menſuram generalis au-
„ xilii, quæ deſuper omnibus ſemper hominibus præbita eſt.
„ Eſto non ſufficiat ad plenam eruditionem diuinæ cognitionis?
Ænigma eſt quod legitur cap. 23. de paruulis; Non irreligiosè
„ nec inconuenienter intelligi, quòd ad illam pertineant gratiæ
„ partem, quæ ſemper eſt vniuerſis impenſa nationibus, QVA
„ VTIQVE SI BENE VTERENTVR EORVM PARENTES,
„ ETIAM IPSI PER EOSDEM IVVARENTVR? Hoc verò eſt
rationem, cur effectum in illis non habeat diuina voluntas ſal-
uandi omnes, non in ipſorum peccatum originale refundere, ſed
in defectum parentum, quibus, vt vita, ſic & ſalus puero-
rum commiſſa eſt. Ænigma denique eſt quod legitur cap.
„ 26. Opitulationem Dei ad ſaluandos homines per innumeros
„ modos ſiue occultos, ſiue manifeſtos omnibus adhiberi: ET
„ QVOD A MVLTIS REFVTATVR, IPSORVM ESSE NE-
„ QVITIÆ; quod autem à multis ſuſcipitur, & gratiæ eſſe diui-
„ næ & voluntatis humanæ? Hæc ſcilicet adeò ſunt obſcura, a-
deóque implexa, vt Suarez intelligere non potuerit, intelle-
xerit autem quî putauit de reproborum omnium æterna ſalute
Deum nihilo magis curaſſe *quàm de ſalute diaboli?* Ecquis nega-
re poſſit, quin oculos habeant Ianſeniani mirabiliter dociles,
& eorum propenſionibus ſeruientes, nihil videntes quod affe-
ctibus diſpliceat?

Sed editus eſt nuper pro Ianſenio Apologeticus tertius, quòd alii duo non ſatis probaſſent eſſe illum innocentem. Editus eſt autem ſub titulo admodum falſo, *Defenſionis Patrum, qui pro diuina gratia pugnauerunt*, cùm potiùs inſcribi debuerit; accuſatio Patrum, quàm defenſio. Imponere enim Patribus errores, non eſt illos defendere, ſed reos agere. Ergo in hoc libro, qui jam it per manus etiam in Vrbe, Ianſeniani vt ſuperiora S. Proſperi teſtimonia eneruarent, conjecturis egerunt, vt libri de vocatione gentium viderentur non eſſe Proſperi. Non vacat tempus terere in proſequenda inutili critica, patiantur quæſo Ianſeniani pro hac tantùm vice nos errare cum Ianſenio, qui S. Proſperi libros illos eſſe ſup-

poſuit

poſuit ſemper, & vt tales citat. vt intelligi poteſt, tum ex aliis locis, tum ex lib. de Hæreſi Pelag. cap. 15. & lib. 3. de gratia Saluatoris cap. 20.

Eſt tamen hoc illis adhuc proponendum ex Proſpero Auguſtini mentem exponente lib. 1. Reſp: Object. 15. Item qui dicit quòd non omnes homines velit Deus ſaluos fieri; ſed certum numerum prædeſtinatorum; DVRIVS LOQVITVR QVAM LOQVENDVM SIT DE ALTITVDINE INCREDIBILI GRATIÆ DEI, qui & omnes vult ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Et quomodo negabunt Proſpero judice, hoc eſt Auguſtino, Ianſenium durius eſſe loquutum, quàm loquendum eſſet de altitudine incredibili gratiæ Dei, volentis omnes homines ſaluos fieri? Addendum & illud lib. 2. ob. 2. *Sinceriſſimè credendum eſt atque profitendum*, DEVM VELLE VT OMNES HOMINES SALVI FIANT. Et ne quis putet illa omnium vniuerſalitate non contineri reprobos, mox ſubdit: *Ex quibus quòd multi pereunt, pereuntium eſt meritum; quòd multi ſaluantur, ſaluantis eſt donum.* Hæc eſt Proſperi ſententia, illius cui S. Auguſtinus doctrinæ ſuæ depoſitum credidit; ac proinde hæc eſt ſententia ipſiuſmet Auguſtini, quam juuat paulò fuſiùs aperire.

DE DEO OMNES SALVARE *volente, mens Auguſtini.*

1.Timoth.2. I. Quid ſit ſenſus Pelagianus verborũ Apoſtoli dicentis, *Deum velle omnes homines ſaluos fieri.*

VT meliùs intelligatur Auguſtini mens circa interpretationem verborum illorum S. Pauli : *Qui vult omnes homines ſaluos fieri*; Notandum eſt primò, ſenſum Pelagianum illorum verborum, quem Auguſtinus potiſſimum refugit, ſupponere Dei voluntatem quamdam ita vniuerſalem, itáque indifferentem erga omnes homines, vt diſcretio & inæqualitas ipſorum in percipiendo ejus effectu tota pendeat ex libero arbitrio, ſine aliqua præuentione diuinæ gratiæ. Putabant enim Pelagiani, cùm Deus velit omnes ſaluos eſſe, totam rationem cur alii ſaluentur, alii non ſaluentur, petendam ex bono vel malo vſu facultatis naturalis, independenter à diuina gratia. Probatur hoc primò ex lib. 4. con. Iul. cap. 8. vbi dicit Auguſtinus: *Sed ponis Apoſtolicum teſtimonium, & ab eo dicis pulſantibus aperiri, qui omnes homines vult ſaluos fieri: vt videlicet intelligamus docentibus vobis, ideo non omnes ſaluos fieri, & in agnitionem veritatis venire*, QVIA IPSI NOLVNT PETERE, CVM DEVS VELIT DARE : NOLVNT QVÆRERE, CVM DEVS VELIT OSTENDERE: NOLVNT PVLSARE, CVM DEVS VELIT APERIRE. Nam quòd Iulianus & cæteri Pelagiani putarent ad *petitionem* illam, & *inquiſitionem* & *pulſationem* ſufficere ſibi naturam, ſine gratia; colligitur ex iis, quæ poſtea ſubjungit Auguſtinus, & quod perpetuò Pelagianis exprobrat, quòd dicerent Dei gratiam dari *ſecundùm merita noſtra*, hoc eſt, conſequi ex meritis, non antecedere.

Patet etiam ex eo quòd ſæpè Auguſtinus Pelagianis exprobrat, quòd non diſcernant, *Quid veniat de miſericordia, quid de judicio*: hæc quippe illi ex parte Dei volebant eſſe indiſcreta. Hinc creberrima illa objectio contra Pelagianos, ex verbis S. Pauli toties repetita, totiéſque inculcata, *Quis te diſcernit?*

Confirmatur ex Proſpero, in Epiſtola ad Auguſtinum, vbi ſententiam Semipelagianorum de initio fidei idem opinantium quod Pelagiani de toto virtutum exercitio, ita refert: *Quantum ad Deum pertinet, omnibus paratam vitam æternam: quantum autem ad arbitrii libertatem, ab iis eam apprehendi, qui Deo ſponte crediderint & auxilium gratiæ* MERITO CREDVLITATIS ACCEPERINT. Vbi vides *meritum credulitatis* præmitti auxilio gratiæ, ſicuti cauſam diſcriminis illius, quo diſtinguuntur qui ad vitam æternam à Deo propoſitam perueniunt, ab iis, qui ab ea excidunt. Et ideo paulò antè dixit, ex ſententia Pelagianorum ſpectare ad diuinam bonitatem, *vt* INDIFFERENTER *vniuerſos velit ſaluos fieri.* Et lib. Reſponſ. ad ob. 8. ſignificat alienam eſſe tantùm à mente Auguſtini, *Voluntatem Dei* INDIFFERENTEM *circa vniuerſitatem generis humani*, quam ſcilicet Pelagiani adſtruebant.

Patet hoc ipſum ex libro Eccleſiæ Lugdunenſis de tribus Epiſtolis cap. 12. & 13. Vbi dum varii modi afferuntur, quibus intelligi poſſit quomodo Deus velit omnes homines ſaluos fieri; *In quarto modo, quo id ſimpliciter intelligitur de omnibus hominibus, ita vt quantum in ipſo eſt, Deus velit omnes ſaluos*, cauendum dicitur illud quod additur, DEVM EXPECTARE, VT QVIA HOMINES SVNT LIBERI ARBITRII, HOC ETIAM IPSI VELINT, quòd hoc pertineat ad errorem Pelagii. *In quarto autem modo*, inquit, *illud ſine dubio cauendum, quia & occaſionem Pelagianæ prauitati præbet, quod Deus vt ſaluet homines*, HVMANAS EXPECTARE ASSERIT VOLVNTATES. Ergo qui hoc cauet, Deúmque negat humanas expectare voluntates, aſſeritque potiùs præuenire, nihil habet commune cum Pelagio, nihilque contrarium Auguſtino, quamuis dicat ſimpliciter, velle Deum omnes homines ſaluos fieri, ſine aliqua exceptione, ſed non ſine differentia & diſcretione, quam mutuæ vices juſtitiæ & miſericordiæ inducunt, juxta ipſius beneplacitum.

Not. 2. Auguſtinum agnoſcere duas vocationes, quarum vna eſt multorum, verbis illis expreſſa, *multi ſunt vocati*, alia eſt paucorum, quæ ſignificatur illis, *quos autem prædeſtinauit, hos & vocauit.* Patet hoc ex ep. 59. quæſt. 5. de Prædeſt. SS. cap. 16. Et lib. 2. ad Bonif. cap. 9. Et ſerm. 26. de diuerſis c. 16. Vbi illud, *Qui ſolem ſuum facit oriri ſuper juſtos & injuſtos*, inter- II. Duæ vocationes hominum, ad æternam vitam ex Auguſtino.

pretatur de inuitatione ad vitam, etiam eorum, qui damnantur: ideóque quòd damnentur attribuit eorum negligentiæ. Iam cùm Dei vocatio non ſit illuſoria, non poteſt negari, velle Deum, quantum eſt ex ſe, vt vocati veniant; atque hoc ita ponere in eorum poteſtate, vt quo minus homines ad id ad quod vocantur perueniant, per ipſos ſtet; id quod etiam Auguſtinus exprimit in lib. 83. qu. q. 68. cùm dicit eos, qui excluſi ſunt à cœna, non debere alteri tribuere, ſed ſibi, *Quia*, inquit, *vt venirent vocati, erat in eorum libera voluntate.* Quod quia non retractauit, cùm locum recognoſceret, cenſendus eſt approbaſſe, juxta principium à Ianſenio poſitum.

Confirmatur ex cap. 27. lib. contra Adimantum, vbi ex eo quòd dicitur Rom. 11. *Potens eſt autem Deus iterum inſerere illos*, colligit Auguſtinus, ESSE IN NOSTRA POTESTATE VT VEL INSERI BONITATE EIVS, VEL EXCIDI SEVERITATE MEREAMVR. Quod etiam approbat 1. Retract. cap. 22. dummodo non excludatur diuina gratia.

Ergo dicendum eſt, Deum vocantem & inuitantem ad ſalutem, etiam eos qui non ſaluantur, habere voluntatem vt veniant, & vt ſaluentur, & quidem ex parte ipſius efficacem, hoc eſt talem, vt quod vult ponat in libero arbitrio. Sed vt eſt ſpecialis vocatio & inuitatio prædeſtinatorum, ita eſſe ſpecialem & propriam circa eorum ſalutem, voluntatem. Atque ita qui priorem admittit, dummodo non neget poſteriorem, philoſophatur omnino ad mentem Auguſtini, & à Pelagianis recedit non aliam admittentibus in Deo circa prædeſtinatos & reprobos, quàm communem & æqualem & indiſcretam illam voluntatem, quæ expectat, vt ex parte hominum per meritum boni vel mali vſus facultatis naturalis liberi arbitrii, diſcrimen inducatur.

Not. 3. Duplicem illam voluntatem exprimi apud Auguſtinum multis in locis. Nam in Enchiridio ad Laur. cap. 100.

III. Duæ item voluntates. quod dicit de Adamo & de malis Angelis, quòd peccando fecerint contra Dei voluntatem, id extendit ad omnes in vniuerſum, qui malè viuunt. Quantum ad ipſos attinet, in-
„ quit, quod Deus noluit fecerunt, quantum verò ad omni-

potentiam Dei, nullo modo id efficere valuerunt: hoc quip- "
pe ipſo quòd CONTRA VOLVNTATEM DEI FECE- "
RVNT, de ipſis facta eſt voluntas ejus. Propterea namque "
magna opera Domini, exquiſita in omnes voluntates ejus, "
vt miro & ineffabili modo non fiat præter ejus voluntatem, "
quod etiam CONTRA EIVS FIT VOLVNTATEM. Quia "
non fieret, ſi non ſineret, nec vtique nolens ſinit, ſed vo- "
lens. Nec ſineret bono fieri malè, niſi Omnipotens etiam "
de malo facere poſſet bene. Vbi vides primò voluntatem "
Dei eſſe, vt homo non peccet. 2. Ita hoc velle Deum, vt tamen hujus ſuæ voluntatis effectum libertati hominis permittat, *ſinátque* non fieri *quod vult vt fiat*. 3. Sed ex hypotheſi quòd homo ita faciat, eſſe aliam Dei voluntatem, eámque omnipotentiſſimam, per quam occaſione illius malæ hominis voluntatis, facit ipſe certò & ineuitabiliter quod vult, vel miſericordiam erga indignos exercendo, vel erga dignos juſtitiam.

Hoc ipſum ſignificat Auguſtinus contra Aduerſarium legis & prophetarum. Nam cùm ille veteris Teſtamenti Ad- *cap. 14.*
uerſarius quem impugnat, objeciſſet Deum Prophetarum, vel non fuiſſe præſcium futurorum peccatorum, dum Adamum creauit; vel non potuiſſe impedire quod præſciebat futurum eſſe contra ſuam voluntatem; itáque victam fuiſſe voluntatem Creatoris à voluntate creaturarum; Auguſtinus,
Nec ignarus, *inquit*, fuit hominem peccaturum, ſed ſimul "
etiam quid juſti & boni fuerat & de peccante facturus, ſum- "
ma vtique diuinitate præſciuit... Nec voluit quod non po- "
tuit, HOC ENIM VOLVIT, VT AVT OBEDIENS HOMO "
ESSET, AVT INOBEDIENS IMPVNE NON ESSET. En "
tibi & voluntatem, vt homo eſſet obediens, cui permiſit hominem reſiſtere, & voluntatem inuictam, vt pœnam ferret hujus reſiſtentiæ, ratione cujus poſtea dicit, *Deum ſemper* *cap. 15.*
inuictum; etiam homo, à Dæmone ſcilicet, *victus oſtendit.* Móxque probat id quod objiciebatur contra Deum Prophetarum, ſimiliter objici potuiſſe contra Deum Apoſtolorum, quem
ille blaſphemus diſtinguebat, *Poteſt, inquit*, hoc & de Chri- " *Cap. 16.*
ſto dicere, qui talentum dedit homini nihil acquiſituro, quod "
propterea vtique dederat vt ejus augeretur pecunia, quid- "

» quid eſt quod illa ſignificat, Ergo quia contigit vt ille ſua » pigritia nihil acquireret, hoc non præſciuit ille qui dedit? » Dicere etiam poteſt non impleſſe de hoc lucro Chriſtum, » quod magnopere cogitauit: *Vnde concludit paulò poſt.* Quid eſt » quòd iſte inſanus & præceps, cùm Chriſtianum eſſe ſe ja» ctet, hoc reprehendit in Deo Prophetarum, quod inuenit in » Deo Apoſtolorum? Quoniam idem Deus eſt & ipſorum & illorum. Supponit ergo Auguſtinus vniuerſum, voluntatem eſſe in Deo aliquam, cujus executio ita permittitur hominum voluntati, vt ideo effectu careat, quia hominis voluntas non reſpondet: neque id obeſſe diuinæ authoritati, quòd Deus & volens hoc permittat, & habeat ipſe aliam, cui nemo reſiſtit, ex illa ſuppoſitione voluntatem.

cap. 3. Confirmatur hoc ipſum ex lib. 12. de Ciu. Vbi Auguſtinus docet improbos Deo reſiſtere. Quomodo enim reſiſtere poſſunt, niſi faciendo contra ejus voluntatem? faciunt igitur quod non vult, & vice verſa, vult Deus vt faciant quod non faciunt: hoc eſt, vult vt bene viuant; itáque damnationem effugiant. Auguſtini verba ſunt. Dicuntur in » ſcripturis inimici Dei, qui non natura, ſed vitiis ADVERSANTVR ejus imperio, nihil ei valentes nocere, ſed ſibi. » Inimici enim ſunt RESISTENDI voluntate, non poteſtate » lædendi...... idcirco vitium, quo RESISTVNT Deo, qui appellantur ejus inimici, non eſt Deo, ſed ipſis malum. Præter hanc autem voluntatem, cui reſiſtunt, ſupponit Auguſtinus aliam eſſe, cui non poſſunt reſiſtere, vt jam dictum eſt. Adde quod etiam legitur lib. 22. de Ciu. cap. 1.

cap. 14. Idipſum iterum inculcat in lib. de corrept. & gr. cùm dicit. Volenti Deo ſaluum facere, nullum hominum reſiſtit » arbitrium. Sic enim velle, vel nolle in volentis, aut nolen» tis eſt poteſtate, vt diuinam voluntatem non impediat, nec » ſuperet poteſtatem. De his enim QVI FACIVNT QVÆ » NON VVLT, facit ipſe quæ vult. Qui vocati ad Dei gratiam non veniunt, faciunt *quod Deus non vult*, quia nimirum vult vt veniant. Qui veniunt & in ſtatu juſtitiæ conſtituti peccant, faciunt etiam *quod Deus non vult*, quia vult vt non peccent; & conſequenter vt perſeuerent vſque in finem in accepta juſtitia, itáque ſaluentur. Eſt igitur in Deo volun-

tas vt ſaluetur homo, cui homo non reſiſtit; illa videlicet, ſecundùm quam *volenti ſaluum facere nullum hominis reſiſtit arbitrium.* Et eſt voluntas cui reſiſtit, nimirum illa, qua dum peccat & dum perit, *facit quod Deus non vult.*

Ex quibus facilè eſt intelligere, & Auguſtinianam eſſe doctrinam, & veram, quæ continetur in libro de Spir. & Litera, quámque Ianſenius, quia non poterat aliter ex illa difficultate expedire ſeſe, contra manifeſtam & oculis omnium expoſitam veritatem, negat ab Auguſtino propoſitam ex propria ſententia; ſed ex ſententia Pelagianorum. Auguſtinus ergo ſic loquitur. Vult autem Deus omnes homines ſaluos fieri, & in agnitionem veritatis venire, non ſic tamen vt eis adimat liberum arbitrium, quo vel bene vel malè vtentes juſtiſſimè judicentur. Quod cùm ſit, infideles quidem CONTRA DEI VOLVNTATEM FACIVNT, cùm ejus Euangelio non credunt, nec ideo tamen eam vincunt; verùm ſeipſos fraudant magno & ſummo bono, experturi in ſuppliciis poteſtatem ejus, CVIVS IN DONIS MISERICORDIAM contempſerunt. Ita voluntas Dei ſemper inuicta eſt; vinceretur autem, ſi non inueniret quid de contemptoribus faceret: aut vllo modo poſſent euadere, quod de talibus ille conſtituit. Qui enim dicit v.g. VOLO VT HI OMNES SERVI MEI OPERENTVR, ET POST LABOREM REQVIESCENTES EPVLENTVR, ita vt quiſquis eorum hoc noluerit, in piſtrino ſemper molat; videtur quidem quicumque contempſerit, CONTRA VOLVNTATEM DOMINI SVI FACERE; ſed tunc eam vincet, ſi & piſtrinum contemnens effugerit, quod nullo modo fieri poteſt ſub Dei poteſtate. Hic iterum vt vides, exprimitur duplex Dei voluntas, altera vt ita dicam, vincibilis à libero arbitrio, nolente fidem acceptare: de hoc enim Auguſtinus diſputat. Altera inuicta, ex ſuppoſitione illius repulſæ. Vel potiùs vna & quaſi disjunctiua, qua Deus, qui vult omnes homines ſaluos fieri, vult conſequenter vt vel fidem ampléctantur, vel ſi noluerint, quod pro ſua libertate nolle poſſunt, æternum luant. Et hæc voluntas inuicta eſt, etiam dum vincitur. Eſto enim, impediatur quod primum intendit, vt homo fidem amplectatur; impediri tamen nequit, quominus id aſſequatur quod

cap. 33.

IV. Auguſtinus ex propria ſententia loquitur cap. 33. lib. de Spir. & Lit.

conſequenter decernit; vt puniatur qui miſericordiam contempſit.

V. Probatur ex conformitate doctrinæ cum eo quod alibi Auguſtinus tradit.

Sed hæc ſunt, inquit Ianſenius, Pelagiana. Pelagianum igitur eſt quod dixit Auguſtinus loco proximè citato, ex libro de Correptione & gratia. Nam ibi quoque voluntatem Dei exprimit, contra quam homo facit, dum Euangelio repugnat; dum acceptam gratiam perdit, dum non perſeuerat: & aliam inuictam: Pelagianum & quod ſcripſit in Pſalm. 110. vbi hoc ipſum docet: Pelagianum & quod eſt in libro 1. contra Aduerſarium legis & Prophetarum, vbi disjunctiuè quoque illam Dei voluntatem exprimit. *Hoc enim voluit vt aut obediens homo eſſet, aut impune non eſſet.* Quod ipſum valere dicit in Deo noui teſtamenti: Qui ſcilicet talenta ſua, hoc eſt, gratiam ſuam ita diſtribuit, vt velit ejus fructum hominem referre, liberè cooperando: vel ſi non referat, priuari conceſſo jam beneficio, & in tenebras exteriores ejici, tanquam ſeruum inutilem, vt monſtratum eſt. Pelagianum denique quod citatum eſt ex Enchir. ad Laur. vbi eadem duplex voluntas Dei circa homines; vel vna disjunctiua, reſpiciens ipſorum ſalutem, modo jam explicato reperitur. Atque ita, vbicumque Pelagianos impugnare creditur Auguſtinus, fuerit ipſe Pelagianus.

Matth. 25.

At, inquies, Auguſtinus non dicit illis locis Deum per voluntatem illam, cui homines reſiſtunt, velle omnes ſaluos fieri: quinimò id expreſſè negat citato loco de Correptione & gratia, dum dicit, *volenti ſaluum facere nullum hominum arbitrium reſiſtere:* ideoque illud Apoſtoli, *Deus vult omnes homines ſaluos fieri*, accipiendum eſſe dicit de omni genere hominum, non de omnibus cujuſcumque generis hominibus. In citato autem loco de Spir. & lit. ſupponit eſſe etiam intelligendum de omnibus & ſingulis; vnde meritò, ne ſibi contrarius eſſe videatur, credendus eſt hoc poſtremum dixiſſe, non ex ſua ſed ex Pelagianorum ſententia. Reſpondeo ex allatis locis conſtare, dum homines peccant, facere contra diuinam voluntatem: ac proinde eſſe diuinam voluntatem, vt peccando non ponant impedimentum diuinæ gratiæ, vt non repugnent Euangelio, vt fidem non repudient, vt ad ſtatum juſtitiæ prouecti, inde ne excidant, ſed perſeuerent vſque in finem.

finem. Atqui hoc velle, velle eſt vt ſaluentur. Vult igitur vt ſaluentur etiam illi, qui peccant, & hoc ponit in eorum arbitrio ex Auguſtino. Id quod primò & per ſe de adultis intelligitur, qui perueniunt ad vſum rationis, ad alios autem eatenus extenditur, quatenus eorum ſalus ſicuti & vita prouidentiæ ac tutelæ adultorum commendata eſt.

VI. Vera ratio conciliandi Auguſtini teſtimonia in ſpeciem diuerſa.

Modus ergo conciliandi pugnantia, quæ videntur Auguſtini teſtimonia, non eſt ille quem Ianſenius proponit, vt in altero, loco ex ſua, in altero ex Pelagianorum ſententia ſit loquutus. Contrarium enim ex ipſa inſpectione locorum euidenter colligitur; ſed petendus eſt ex duplici Dei voluntate, quarum altera in omnium ſalutem feratur: altera tantùm in ſalutem electorum: vel ex vna & eadem exponenda cum disjunctione, vt dicatur Deus velle quidem omnes homines ſaluos fieri, aut ſi omnes nolint, velle ſaltem iſtos, & cæteros qui ſaluari noluerint reprobare.

VII. Diſtinctio duplicis voluntatis Dei, antecedentis nimirum & conſequentis, circa hominum ſalutem, Auguſtiniana eſt.

Atque hinc liquet diſtinctionem illam antecedentis & conſequentis voluntatis ab S. Damaſceno traditam, & ab S. Anſelmo, S. Thoma, & cæteris Scholaſticis acceptatam, ſin minùs quoad voces, certè quoad rem, totam eſſe Auguſtinianam, non ſolùm quia exprimitur in illo cap. 33. de Spir. & litera, & in exemplo illo decernentis vt ſerui operentur in vinea, quòd primum eſt & antecedens; & ſi nolint, vt trudantur in piſtrinum, quod eſt ſecundum & conſequens ex eorum inobedientia; ſed quia ſimiliter traditur in citato libro contra Aduerſarium legis & Prophetarum, cùm dicitur voluiſſe Deus vt homo eſſet obediens, quæ eſt prima & antecedens voluntas: & ex ſuppoſitione quòd non eſſet, voluiſſe conſequenti voluntate vt impune non eſſet. Idem patet ex loco cit. in Pſal. 110. & ex Enchir. vbi etiam loco ſuprà citato ſignificat abſolutam illam & inuictam Dei voluntatem, quæ dicitur conſequens, dirigi à præſcientia boni vel mali vſus liberi arbitrii, cùm dicitur: « Quapropter etiam primum hominem Deus in ea ſalute, in qua conditus erat cuſtodire voluiſſet, eúmque opportuno tempore poſt genitos filios ſine interpoſitione mortis ad meliora perducere, vbi jam non ſolùm peccatum non committere, ſed nec voluntatem poſſet habere peccandi; ſi ad permanendum ſine peccato, ſicut factus erat, perpetuam volunta-

» tem habiturum eſſe præſciſſet. QVIA VERÒ EVM MALE » VSVRVM LIBERO ARBITRIO, HOC EST PECCATV- » RVM ESSE PRÆSCIEBAT, ad hoc potiùs præparauit vo- » luntatem ſuam, vt bene ipſe faceret etiam de malè faciente: » ac ſic hominis voluntate malâ, non euacuaretur, ſed nihilo- » minus impleretur omnipotens bona. Volebat Deus vt Adamus non peccaret, & vt in innocentia perſeuerans tandem ex illo ſtatu tranſiret immediatè in ſtatum beatitudinis: ſed hoc volebat, vincibili voluntate. Et quia præſciebat voluntatem illam, Adami culpâ, cariturам effectu, ſimul voluit omnipotenti voluntate, vt ſequerentur effectus illi, qui ex tali peccato conſequuti ſunt. Itaque prior illa voluntas fuit antecedens peccatum, hæc conſequens. Pari modo vult Deus vt non peccent qui peccant, vt gratiam recipiant qui repellunt, vt perſeuerent qui excidunt, quod eſt velle vt ſalui fiant, & antecedenter hoc velle: ſed quia etiam præſcit hanc voluntatem ipſorum vitio irritam fore, peccaturos enim, diuinam gratiam rejecturos, non perſeueraturos; omnipotenti voluntate, ſed talem præſcientiam conſequente, non vult vt ſalui fiant.

Facit ad hoc confirmandum quod dicit tract. 53. in Ioannem, vbi quod dicitur de Iudæis qui *non poterant credere*, Auguſtinus interpretatur, *id eſt nolebant*, & ſignificat impotentiam illam ſupponere præſcientiam malæ voluntatis ipſorum. Suppoſitâ igitur ſimili præſcientiâ, non eſt mirum, ſi nec Deus velit reprobos ſaluare, nec ipſi ſaluari poſſint: ſed illud *nolle Dei*, conſequens eſt. Eamdem præſcientiam conjungit Auguſtinus cum voluntate, quâ Deus facit quod vult, 22. de Ciuit. cap. 2.

Non dico voluntatem ſalutis, quæ pertinet ad prædeſtinatos, eſſe conſequentem ex abſoluta meritorum præſcientia, juxta mentem Auguſtini; ſed dico tantùm conſequentem eſſe illam, quæ reproborum excluſiua eſt: ac proinde, cùm dicitur Deus velle illos ſaluare, intelligendum antecedenter ad hanc præſcientiam: & cùm dicitur nolle ſaluare, intelligendum, conſequenter; idque juxta Auguſtinum.

VIII. Quomodo velit & non Circa prædeſtinatos autem in eadem Auguſtini Theologia creditur eſſe Dei voluntas, quæ vt habet rationem intentionis, præcedit quidem abſolutam præſcientiam boni vel ma-

li vſus humanæ libertatis, ſed vt eſt executiua ſalutis, quam intendit, eamdem præſcientiam ſupponit. Vnde poteſt etiam diuerſo reſpectu dici, & antecedens & conſequens, ſed vtroque modo eſt abſoluta & efficax, & inuicta ex directione ſcientiæ conditionatæ. Et hanc intelligit Auguſtinus, cùm hoc, quod eſt Deum velle omnes homines ſaluos fieri, interpretatur de generibus ſingulorum. Ac proinde hoc etiam modo dici poteſt Deus velle, & non velle omnes homines ſaluos fieri; velle quidem illa voluntate communi, quam homines poſſunt irritam facere, non velle, iſta ſpeciali & infallibili, quam nemo vincit. Nam quòd hanc intelligat, dum negat pertinere omnino ad omnes, patet ex eo quòd dicit loco citato de corrept. & gr. *volenti ſaluum facere nullum hominum arbitrium reſiſtere.* Et quod dicit in Enchir. de Tyriis & Sidoniis: *Nec vtique Deus injuſtè noluit ſaluos fieri, cùm poſſent ſalui eſſe, ſi vellet.* Noluit ſcilicet ex voluntate, quæ ſic adæquatur diuinæ poteſtati, vt adhibeat quidquid in illa continetur & neceſſarium eſt ad effectum certò procurandum: & ideo vocat illam voluntatem *certam, immutabilem, efficaciſſimam.* Præter hanc autem agnoſcere illum aliam jam demonſtratum eſt.

velit Deus omnes ſaluos facere.

cap. 95.

Ad vberiorem explicationem addo, Dei voluntatem ſumi poſſe adæquatè, ita vt indiſtinctè complectatur totam diſpoſitionem diuinæ prouidentiæ circa ſalutem hominum: & hoc modo ſumit Auguſtinus, quando inuictam ideo probat, quia ſi vnum non aſſequitur, aſſequitur aliud, v. g. ſi non impedit peccatum, præualente hominis nequitiâ, pœnam infert ineuitabilem: hoc enim modo voluntatem ſumere, eſt totam ſumere. Et ita ſumptâ, habitâque ratione effectus, qui ex ea reſultat, Deus paucos tantùm vult ſaluos facere, multos autem damnare. Poteſt verò in ea voluntate diſtingui id quod antecedenter reſpicit, & id quod reſpicit conſequenter, itáque diſtinctè & inadæquatè ſumptâ, vult Deus ſaluare reprobos antecedenter, conſequenter autem non vult. IX.

Idem alia ratione explicatur.

Hanc eſſe mentem Auguſtini conuincunt omnia, quæ ſuperiùs allata ſunt: & confirmari poteſt ex fideliſſimo ejus interprete S. Proſpero 1. Reſp. Object. 15. ar. 7. vbi diſertè profitetur velle Deum vt perſeuerent illi, qui re ipſa non perſeuerant: & gratiam Dei quæ neceſſaria eſt, vt quis perſeuerare poſſit, *non* X.

Mens Auguſtini ex Proſpero intelligitur.

priùs illos deſerere, quàm ab iis voluntaria defectione deſeratur. Et art. 8. diſtinguit inter illos *quos Deus ſaluare vult*, & illos *in quibus ſuæ voluntatis propoſitum implet.* Eòdémque pertinet id quod dixit ad Object. 8. *Omnium hominum curam eſſe Deo, & neminem eſſe quem non aut Euangelica prædicatio, aut legis teſtificatio, aut ipſa natura conueniat.* Vbi vides comprehendi tres hominum ſtatus, ſeu tres leges; naturalem, per quam monentur homines ne peccent, ac proinde ne diuinæ gratiæ impedimentum ponant; Moſaïcam, in qua pleniùs erudiuntur ad cognitionem agendorum & fugiendorum, & ad cultum Dei; Euangelicam, in qua cognitio illa conſummatur juxta capacitatem hominum viatorum. Hoc autem dicit, vt rejiciat quod objiciebatur, Deum nolle omnes homines ſaluos fieri. Ac proinde ſupponit propoſitionem *quòd velit*, verificari & in iis omnibus quos natura ipſa, & in iis quos lex, & in iis quos Euangelium *conuenit.* Omnium enim illorum curam eſſe Deo; illam inquam curam, quæ ſalutem reſpicit.

Adde cætera, quæ ſunt allata ſuperiùs ex libris de vocatione gentium, vbi generalem illam & ſpecialem ſalutis hominum voluntatem clariſſimè ſupponit. Atque ex his patet ſolutio ad omnia quæ Ianſenius afferre ſolet Auguſtini teſtimonia, quibus negare videtur Deum velle omnes homines ſaluos facere. Quia vel hoc negat tantùm in ſenſu à Pelagianis intento, vel diuinam voluntatem accipit completè, prout inuoluit antecedentem & conſequentem: vel ſtrictè accipit & inadæquatè, pro illa tantùm ſpeciali, quæ electorum eſt propria: vel negat ſolùm æqualem, & indiſcretam, omnium ſalutem ex æquo reſpicientem.

XI. Antecedens Dei voluntas circa ſalutem hominum ante & poſt peccatum eadem.

Ex his verò facilè intelligas, antecedentem illam Dei voluntatem de ſalute omnium eamdem ſemper manſiſſe, etiam poſt peccatum, ita vt mutatio quidem fuerit in mediis, quibus erat procuranda hominum ſalus, ſed intentio tamen ſemper manſerit ejuſdem finis. Duo nimirum occurrebant media intellectui diuino, ex quibus ſequi poſſet hominum ſalus. Primum, vt in Adami obedientia conſtitueretur facultas transfundendi juſtitiam in omnes poſteros. Secundum, vt ſi eam ille perderet, deſignaretur Reparator humani generis, cujus merito conſequi homines poſſent quod

in Adamo perdidiſſent. Poſſumus ergo ſecundùm modulum noſtrum concipere Deum; ſuppoſitâ illâ præſcientiâ, volentem vnico actu ſimpliciſſimo, vt alterutro modo fieret hominibus à ſe creandis ſalutis copia. Iam enim didicimus ex Auguſtino Dei voluntatem explicari à nobis poſſe cum illa diſjunctione. Ergo vi illius voluntatis decreuit Deus Adamum creare, & in manu ejus ponere ſalutem poſterorum omnium. Subſequutâ verò lapſus ejus abſolutâ præſcientiâ, vi ejuſdem voluntatis, ſequutum eſt decretum incarnationis. Atque ita eadem ſemper Dei voluntas, modò per primum Adam, modò per ſecundum, ſaluare voluít omnes homines, manſitque ipſa in mutatione ac ſucceſſione mediorum immutata, & ſemper antecedens. Conſequens autem fuit voluntas puniendi Adamum, & ejus poſteros, & tandem etiam damnandi, ac priuandi ſalute illos, qui beneficij redemptionis fructum impediiſſent.

DE CHRISTO PRO OMNIBVS mortuo, mens Auguſtini.

I. In Chriſto quoque duplex voluntas ex oblatione meritorum ad procurandũ hominum ſalutem, ex doctrina S. Auguſtini.

EX voluntate quam habuit Deus vt omnes homines ſalui eſſent, ſequitur Chriſtum eodem modo pro omnibus mortuum: quia quos Deus ſaluare voluit, per mortem Chriſti ſaluare voluit: & ſi quos per Chriſti mortem ſaluare noluit; omnino ſaluare noluit. Et ideo qua ratione docemur à Sacta Scriptura velle Deum *omnes homines ſaluos facere*, docemur etiam ab eadem, Chriſtum eſſe *poſitum propitiationem, non ſolùm pro peccatis noſtris, ſed etiam pro totius mundi.* Sicut ergo diſtinguimus in Deo duplicem voluntatem ſalutis hominum, quarum altera eſt inefficax in reprobis, ex voluntario ipſorum defectu; altera eſt efficax & infallibilis in electis; ita diſtinguenda eſt in Chriſto duplex voluntas moriendi pro ſalute hominum, vt ſcilicet altera feratur ad promerenda illis ſalutis media, ſi velint iis vti; altera ad promerenda media, quibus vti velint, hoc eſt infallibilia & efficacia. Et hæc diſtinctio neceſſaria eſt ad concilianda Auguſtini teſtimonia in ſpeciem contraria. Nam quòd aliquando viſus ſit ſignificare Chriſtum non eſſe mortuum niſi pro prædeſtinatis, oſtendunt nonnulla teſtimonia à Ianſenio citata. Et illa vera ſunt, intellecta juxta ſecundam interpretationem jam datam. Quòd verò etiam docuerit mortuum eſſe pro reprobis; conſtat ex aliis nihilominus perſpicuis. De reprobis enim loquitur Auguſt. tract. 2. in Ioan. cùm dicit, *Ingrate irrides eum, qui ad te venit, vt redeas.* De reprobis loquitur in Pſal. 68. cùm dicit, *Iudam non agnouiſſe pretium, quo ipſe à Domino redemptus erat.* De reprobis loquitur lib. 2. de ſymbolo ad Catech. cùm dicit: *Videtis vulnera, quæ inflixiſtis, agnoſcitis latus, quod pupugiſtis, quoniam & per vos &* PROPTER VOS APERTVM EST; NEC TAMEN INTRARE VOLVISTIS. De reprobis loquitur

ſerm. 31. ex 40. qui ante 20. circiter annos primùm editi ſunt Pariſiis, & nemo dubitat eſſe Auguſtini, cùm dicit, *Sanguis Domini tui*, SI VIS, DATVS EST PRO TE: *ſi nolueris eſſe, non eſt datus pro te.* Et deinde, *Fortè dicis, habuit ſanguinem Deus meus quo me redimeret, ſed jam cùm paſſus eſt, totum dedit. Quid illi remanſit quod det & pro me? hoc eſt magnum, quia ſemel dedit, & pro omnibus dedit. Sanguis Chriſti* VOLENTI EST SALVS, NOLENTI SVPPLICIVM. Reprobos etiam complectitur id quod dicit in Pſal. 18. *Cùm autem Verbum caro factum eſt & habitauit in nobis*, NON PERMISIT VLLVM MORTALIVM EXCVSARE SE DE VMBRA MORTIS, ET IPSVM ENIM PENETRAVIT VERBI CALOR. Reprobos complectitur lib. 6. con. Iul. dum vrget illationem illam Apoſtoli: *Chriſtus pro omnibus mortuus eſt, ergo omnes mortui ſunt*, & dicit, *Ex hoc enim probauit omnes mortuos eſſe*, QVIA PRO OMNIBVS MORTVVS EST VNVS. *Inculco, infercio recuſanti. Accipe, ſalubre eſt; nolo moriaris.* VNVS PRO OMNIBVS MORTVVS EST, ERGO OMNES MORTVI SVNT. *Vide quia conſequens eſſe voluit, vt intelligantur omnes mortui, ſi pro omnibus mortuus eſt?* Vbi vides mortem peccati originalis, vel contractam vel contrahendam, vniuerſaliter inferri ex vniuerſalitate intentionis Chriſti, mortem offerentis pro omnibus; quæ illatio vitioſiſſima eſſet, ſi latiùs pateret numerus eorum, qui mortui ſunt, numero eorum pro quibus Chriſtus mortuus eſt. Poneretur enim in conſequente, quod non contineretur in antecedente. Denique reprobos deſignat tract. 4. in Ioan. cùm dicit, *Iudæos Chriſtum crucifigentes* EX SVO SALVATORE FECISSE SVVM DAMNATOREM.

cap. 4.

2.Cor. 5.

Ex quibus omnibus Auguſtini ſententiis conjunctis cum hac Ianſenii propoſitione, quæ dicit, *Paſſum eſſe vel mortuum eſſe pro aliquibus, plus aliquid dicere, quàm nudè pretium ſuum obtuliſſe, quod illis applicari nolit*; & inſinuare præterea, *voluntatem Chriſti, quam habet vt eis mors ſua patri oblata, & ſanguis profit*, certò concluditur, Auguſtinum dicentem mortuum eſſe Chriſtum etiam pro reprobis, vt jam monſtratum eſt, plus aliquid dixiſſe quàm nudè pretium obtuliſſe, quod illis applicari nollet: ergo voluiſſe oblatum pro reprobis, ex intentione vt eis applicaretur, vel datâ vel oblatâ ſaluandi ſeipſos facultate. Ergo Chriſtus ex Auguſtino alia atque alia ratione

Lib. 3. de gr. Salu. c. 11.

voluit & non voluit mori pro reprobis : ac proinde alia atque alia ratione orauit & non orauit pro reprobis. Ipſius enim oratio intentioni conformis fuit, & intentio æterni Patris conſilio, vno modo volente, alio non volente ſaluare reprobos, vt antea dictum eſt.

Loco cit.

II. Ianſenius fatetur Chriſtum eſſe propitiationem & redemptionem pro peccatis quorumdam reproborum. *1. Tim.* 2. *1. Ioan* 2.

Neque poteſt Ianſenius, quantumuis conetur, id effugere. Nam cùm videat in multis reprobis recipi effectus aliquos redemptionis, (Alios enim ad fidem vocari, alios etiam ad iuſtitiam, quinimò & interdum ad magnam caritatis perfectionem & ſanctitatem aliquam) fatetur hos etiam comprehendi eorum numero, pro quibus Chriſtus mortuus eſt, vt eos redimeret, vt à peccatis ſaluaret. Et ideo quod dicit, Chriſtum dediſſe redemptionem pro omnibus, & eſſe propitiationem non pro noſtris tantùm peccatis, ſed etiam pro totius mundi, dictum vult de tota Eccleſia, & de fidelibus omnibus; ita tamen vt non cogitauerit de æterna ſalute omnium, quippe cùm ſint in Eccleſia, & inter fideles multi reprobi, ſed tantùm de temporali aliquo fructu redemptionis. Quodcumque enim bonum Chriſtus intendit, vt homines reciperent ex ſua paſſione ab iis recipi. Omnibus, *inquit*, illis pro „ quibus ſanguinem fudit & quatenus pro eis fudit, etiam ſufficiens auxilium donat, quo non ſolùm poſſint, ſed etiam ipſa velint & faciant id quod volendum & faciendum ab eis decreuit. Et fieri non poſſe, vt pro quo ſanguinem fuderit Chriſtus & mortuus fuerit & rogauerit Patrem ſuum, eam ob cauſam, vt ſanguis ſuus propitiatio peccatorum ejus fieret, non aſſequatur iſtius mortis & propitiationis & deprecationis effectum.

III. Ianſenii doctrina parum cohærens.

Ex quibus conſtat primò, conſentiente Ianſenio, ita diſtinguendam eſſe Chriſti voluntatem & intentionem moriendi pro hominibus, vt aliquo vero ſenſu multos etiam reprobos reſpiciat, nempe illos, qui vel fidem, vel caritatem receperunt : quo numero comprehenditur innumerabilis multitudo Chriſtianorum & hæreticorum ac ſchiſmaticorum omnium, qui gratiam baptiſmalem habuerunt. Quare vel ipſo prælucente Ianſenio, debemus ita diſtinguere loca illa omnia, in quibus Auguſtinus ſignificat, Chriſtum eſſe mortuum pro ſolis prædeſtinatis, vt tamen aliquo vero ſenſu, mors illius ſpectauerit etiam multos reprobos. Secundò id quod addit

dit Ianſenius, non eſſe mortuum Chriſtum pro æterna ſalute iſtorum reproborum; nec vt alium ex ipſius morte fructum perciperent, quàm illum, quem de facto perceperunt: abſurdiſſimum eſt, & conuincitur manifeſtè ex ipſius confeſſione, qui cùm fateatur inter omnes illos, pro quibus Chriſtus dedit ſeipſum *redemptionem*, & *pro peccatis propitiationem*, contineri hujuſmodi reprobos, quomodo negare poteſt ita eſſe pro illis mortuum, vt intenderit & redemptionem eorum & *propitiationem pro peccatis?* Atqui multi nec redemptionis, nec propitiationis pro peccatis beneficium recipiunt. Probatur ex Ianſenio ipſo, qui fatetur pleroſque ex illis ad fidem ſolam vocari. Illi enim conſequenter manent & in peccato originali, & in omnibus actualibus. Quomodo autem dici poſſunt recipere beneficium redemptionis, qui manent ſemper ſub peccati ſeruitute? Quomodo beneficium propitiationis, in quibus perſeuerat numquam interrupta damnatio? Nonne hinc manifeſtè colligitur Chriſtum illis plus dare voluiſſe, quàm illi voluerint accipere? At, inquis, Chriſtus voluit illis impetrare fidem, quæ eſt aliquod beneficium redemptionis: & fidem etiam acceperunt. Sed contrà, beneficium, cum quo ſtat vera ſeruitus peccati, & vera damnatio non poteſt verè ac propriè dici *redemptio*, vel *propitiatio*. Sed quod Chriſtus impetrare voluit, eſt verè ac propriè redemptio & propitiatio; neque enim licet nobis ſcripturæ verba hæc trahere ad ſenſus improprios. Ergo cum hoc beneficio, ſi effectum ſuum habuit, non ſtat vera peccati ſeruitus, veráque damnatio. Nec ſatisfaciet, ſi quis dicat fidem illam eſſe partem quandam redemptionis & propitiationis: tum quia deberet conſequenter per illam tolli pars aliqua damnationis, quod falſum eſt. Quia cùm non tollat vllam partem peccati, nec dici poteſt tollere vllam partem damnationis & ſeruitutis. Tum etiam quia quamuis daremus eſſe aliquam partem redemptionis, manet ſemper argumentum; partem illam redemptionis, cum qua ſtat tota damnatio, tota ſeruitus, totum crimen, totus reatus æternæ pœnæ, non poſſe vocari propriè & abſolutè redemptionem & propitiationem. Atqui Chriſtus propriè ac ſimpliciter dicitur intendiſſe propitiationem & redemptionem illorum reproborum. Ergo aliud intendit

quàm talem redemptionis partem, cum qua ſtet tota damnatio, tota ſeruitus, &c. cujuſmodi eſt ſola fides. Recurrere autem ad impropriam & figuratam interpretationem redemptionis & propitiationis, eſt imitari Caluinum interpretantem, *hoc eſt Corpus meum*, id eſt, *figura corporis mei*.

IV. Si Chriſtus intendit fidem aliquorum reproborum, ſub ea ratione qua eſt initium juſtificationis & ſalutis intendit eorum juſtificationem & ſalutem.

Nec iterum ſatisfaciet, ſi dicas fidem eſſe initium aliquod juſtificationis, ordinari enim ad caritatem, ac proinde poſſe dici juſtificationem inchoatam; & conſequenter redemptionem & propitiationem. Nihil, inquam, hoc juuat. Quia quemadmodum is qui lapidem ponit in fundamento, non ſolùm ſine intentione ſuperædificandi, ſed etiam cum poſitiua intentione non ſuperædificandi, non poteſt dici niſi nugando intendiſſe palatium; ita cùm Chriſtus ſic intenderit impetrare fidem, quæ fundamentum eſt juſtificationis, vt non ſolùm non intenderit ſuperſtruere caritatem, quin potiùs poſitiuè noluerit obtinere vllam gratiam ad ſuperſtruendum neceſſariam, (neque enim circa iſthæc objecta ſe habet negatiuè, ſeu per puras omiſſiones) conſequenter intendendo fidem ea ratione, dici non poteſt vllo modo intendiſſe juſtificationem, aut redemptionem, aut propitiationem. Valeret argumentum, ſi quemadmodum fides eſt fundamentum juſtificationis & refertur ad caritatem, ita Chriſtus intendiſſet illam, tamquam fundamentum, & amauiſſet relationem illam, quam habet ad caritatem, quatenus ſubjectum reddit aptum vt ſe ad caritatem diſponat. Sed hoc dici non poteſt in ſententia Ianſenii, quia cùm intentio Chriſti ſteterit in ſola fide præciſè, nec voluerit vt aliquid aliud fundaret, aut ad aliud diſponeret, ſicuti non poteſt dici intendiſſe fidem, ſub ea ratione, qua eſt initium juſtificationis; ita nec eatenus intendiſſe juſtificationem inchoatam, nec redemptionem, aut propitiationem.

V. Ianſenii principia ingratum animum formant.

Iam illa cogitatio quàm eſt flagitioſa, quàm injurioſa Chriſti bonitati, quàm contraria pietati ac conſcientiæ fidelium omnium, cùm dicitur omnibus illis, pro quibus ſanguinem Chriſtus fudit, & *quatenus pro eis fudit*, ETIAM SVFFICIENS AVXILIVM DONARI, *quo reipſa faciant & velint quidquid eos velle ac facere decreuit:* hoc eſt, quod vt facerent ac vellent intendit: & fieri non poſſe

vt non ſequatur propitiationis ac redemptionis effectus ille, pro quo Chriſtus mortem ſuam obtulit. Equidem miror quòd Ianſeniani auſi ſint S. Proſperi carmina de ingratis Latinè ac Gallicè canere, atque aduerſariis objectare; cùm ſit manifeſtum, nihil vſquam à quoquam prolatum opportunius illâ ſententiâ, ad ingratum erga mundi Redemptorem animum in omnibus hominibus formandum, fouendúmque; cùm dicere quiſque poſſit; nullam ſe Chriſti gratiam irritam feciſſe; quidquid omiſit, nec intendiſſe Chriſtum vt faceret, nec in eum finem ſanguinem ſuum obtuliſſe: voluntati ejus ſe obedientiam ſubjunxiſſe perfectiſſimam atque adæquatiſſimam. Nemo igitur eſt, qui diuini amoris & Chriſti paſſionis fructum vnquam in ſemetipſo impedierit: quidquid fieri voluit, factum eſt: quidquid obtulit, acceptatum eſt: nec quiſquam minus accepit, quàm ille dare voluerit: nemo eſt impediti beneficij reus: numquam major fuit gratia, quàm ejus effectus, neque dantis voluntas exceſſit vnquam rem acceptam.

VI. Ad impœnitentiam peccatores adducit.

Age igitur, quid ſibi vult S. Paulus, & quas perſequitur chimæras, dum inuehitur in eos, *Qui filium Dei contemnunt, & ſanguinem teſtamenti pollutum ducunt, & ſpiritui gratiæ contumeliam faciunt?* Vſquam-ne tales aliqui reperiri poſſunt juxta illam Ianſenii doctrinam? Veniat primùm is, cui annuntiatur Euangelium & Chriſti fides, quam rejicit. Quam ille injuriam Chriſto facit? Voluit-ne Chriſtus vt fidem reciperet? obtulit-ne in eum finem ſuum ſanguinem? Veniat deinde qui aſſenſum quidem præbuit Euangelio, & fidem recepit; ſed manſit in peccatis ſuis, neque ſe ad caritatem recipiendam diſpoſuit. Quid illi quoque objicere Chriſtus poteſt? Obtulit ſuum ſanguinem vt fidem reciperet, & recepit: vt reciperet caritatem, neque decreuit Chriſtus, nec eâ intentione vllo modo ſanguinem fudit; quam ergo injuriam facit ejus paſſioni? habuit id omne pro quo eſt oblata; & quod non habuit, neque pro eo oblata eſt. Succedat is, qui fidem accepit & caritatem, in qua cùm aliquandiu vixiſſet, tandem lapſus eſt. Contumeliam, inquis, fecit ſanguini Chriſti, quia perdidit illius beneficium? At, inquam, voluit-ne Chriſtus vt non perderet? voluit-ne vt conſeruaret? Obtulit-ne in eum

finem ſuum ſanguinem vt ille perſeueraret? Si affirmas, ergo latiùs patuit Chriſti voluntas, quàm eius effectus, quod intendimus contra Ianſenium. Si negas, fit-ne illi injuria, quando non fit contra illius voluntatem? Et plura-ne debuit peccator in honorem diuini ſanguinis præſtare, quàm intenderit ille qui effudit? Obtulit Chriſtus ſuum ſanguinem vt caritatem reciperem, recepi: Voluit vt eſſem aliquandiu in ſtatu illo adoptionis & amicitiæ, & tamdiu fui, quamdiu vt eſſem voluit ac promeruit: eſſe deſii quando deſiit & voluntas illius vt permanerem, & oblatio ad impetrandas permanendi vires: quæ igitur ibi eſt paſſionis contumelia? quæ injuria ſanguinis?

VII. *Pietati fidelium inimica eſt.* Illa jam ſanctorum conſcientia, qua ſuas omiſſiones accuſant, ſeque reos fatentur inæqualis ad Chriſti gratiam cooperationis, nonne Ianſenio & Ianſenianis erronea eſt? Quis enim vel omittere aliquid poteſt, pro quo à nobis faciendo Chriſtus ſit paſſus: vel minus aliquid facere, quàm fieri voluit qui paſſus eſt, ſi omnis illius oblatio & deprecatio effectum habet, obtinétque gratiam non ſolùm qua poſſimus, ſed etiam qua velimus & faciamus? Itaque reſpectu voluntatis & paſſionis & gratiæ Chriſti Domini, nulla ſunt peccata negligentiæ, nulla omiſſionis: totúſque ille humilitatis & confuſionis ſenſus, quem eximii quique Sancti hactenus præ ſe tulerunt, ob negatam diuinis per Chriſtum motionibus cooperationem, mendacium eſt, & ſuperſtitionem ſapit, ac muliebres illuſiones, ſi non fallitur Ianſenius.

VIII. *S. Auguſtino è diametro oppoſita.* *Tract. 2. in Ioan.* Sed vrgenda ſunt ſuperiora S. Auguſtini teſtimonia, quæ hunc errorem manifeſtè conuincunt; oſtendúntque Chriſtum patiendo, & paſſionem ſuam offerendo aliquid intendiſſe, quod peruerſa eorum, pro quibus patiebatur, voluntas impediuerit. Alioqui enim quod dicit, *Ingratè irrides eum, qui ad te venit vt redeas*, in quem cadit? Nemo enim eſt qui non reſpondeat, vel redeo ad Chriſtum, vel non redeo: ſi redeo, non ſum ingratus, quia facio quod vult: ſi non redeo, non ſum etiam ingratus, quia non intendit vt redirem, nec in eum finem paſſus eſt, aut vllam in me gratiam contulit. Non cadit etiam in Iudam, quod dicit Auguſtinus, *illum non agnouiſſe pretium, quo redemptus eſt.* *Pſal. 68.* Quid enim, fuit-ne redemptus? Si fuit, quantum erat ex parte Chriſti; ergo plus intendit Chri-

ſtus quàm ſit aſſequutus, impediente hominis nequitia, quod intendimus. Si non fuit, falſa eſt Auguſtini propoſitio. Numquid manifeſta quoque falſitas erit, in eo quòd Auguſtinus exprobrandum dicit reprobis in die judicii. *Agnoſcitis latus, quod pupugiſtis: quoniam per vos & propter vos apertum eſt, & vos intrare noluiſtis.* Ibi enim apertè ſignificatur, propter reprobos apertum fuiſſe latus vt intrarent: & ſtetiſſe per ipſorum voluntatem quominus intrarent: ergo voluit aliquid in reprobis iſtis intentio Chriſti, quod eorum nequitia impediuit. Et quem alium ſenſum habere poteſt quod relatum eſt ex ſerm.31. Chriſti ſanguinem ita fuiſſe datum pro omnibus, *vt volenti ſit ſalus, nolenti ſupplicium?* Quare enim ſupplicium eſt nolenti, niſi quia reum oſtendit rejectæ redemptionis? Et redemptio quomodo rejici potuit, ſi nec oblata nec offerenda fuit? Quam vim habet illa ratiocinatio Pſal.18. *Ideo neminem permitti excuſare ſe de vmbra mortis, quia verbi calor omnes penetrauit?* vel enim ita penetrauit vt vellet & poſſet viuificare vel non: ſi primum, ergo plus voluit Chriſtus quàm ſit aſſequutus, quia innumeri ſunt, qui non viuificantur hoc calore: ſi ſecundum, ergo beneficium hoc non impedit quo minus excuſare ſe poſſint de vmbra mortis, quotquot in morte manent, quippe qui caruerint vitalibus auxiliis. Et illud Apoſtoli, quod Auguſtinus tantopere *impingit, inculcat, infercit*, conſequens eſſe omnes eſſe mortuos, *quandoquidem vnus pro omnibus mortuus eſt*, quid tandem ſignificat? Quare enim pro mortuis omnibus mortuus eſt vnus, niſi vt vitam illis daret? Voluit-ne autem omnibus vitam dare, qui nullam habuit dandi voluntatem reſpectu majoris partis, ſed habuit potiùs poſitiuam voluntatem negandi? Denique nec Iudæi Chriſtum crucifigentes dici poſſunt *ex ſuo ſaluatore ſuum feciſſe damnatorem* alio ſenſu, quàm quia quantum in ſe fuit, Chriſtus illos ſaluare voluit; & quia illi ſalutem reſpuerunt; judicem habituri ſunt, quem patronum habere noluerunt. Ex his omnibus ergo ſatis euidenter conficitur, juxta veram & Catholicam, atque adeò Auguſtinianam doctrinam, Chriſtum Dominum paſſionem & mortem ſuam ad plures effectus retuliſſe, quàm ſint illi, qui ex ea ſequuti ſunt, bonæ illius voluntatis fructum impediente reproborum malignitate.

De Symb. ad Catech cap.8.

6. cont. Iul. c.4.

Atque hoc modo inanis redditur omnis ille Ianſenii labor in IX.

Quomodo Chriſtus ſit & non ſit omnium redemptor.

colligendis S. Auguſtini teſtimoniis quibus contrarium probet. Quippe cùm jam conſtet ex Auguſtino, vtrumque verum eſſe, aliâ & aliâ ratione intellectum: & in eo errare Ianſenium, quòd vni ſenſui ideo inhæreat, vt rejiciat alterum. Quod vt meliùs intelligatur, annotaſſe juuerit voces iſtas, ſaluare, ſanare, redimere, & eſſe redemptorem, ſaluatorem, ſanatorem, & ſimiles in ſtricta & maximè propria ſignificatione deſignare non tantùm animi præparationem ad ſanandum, ſaluandum, redimendum: ſed ipſummet effectum conſequutum: ac proinde nulla eſt conſequentia, ex eo quòd quis negetur alium ſanaſſe vel redemiſſe, vel ſaluaſſe, ad negandam voluntatem & animi præparationem ad hos effectus procurandos. Nam hac ratione, ſi quis adeuntem repellat medicum, & moriatur; verum quidem eſt medicum non illum ſanauiſſe, nec eſſe ſanatorem illius: ſed non eſt verum ſanare noluiſſe, & quod in ſe erat ad ſanandum non contuliſſe. Similiter ſi quis pretium offerat pro captiuo qui non vult redimi, ideóque manet captiuus: negabitur quidem captiuum redemiſſe, vel eſſe illius redemptor reipſa: ſed negari non poterit redimere voluiſſe, ac quod in ipſo erat contuliſſe vt eſſet redemptor. Et ideo S. Auguſtinus aliquando vtrumque conjungit: id eſt, & affirmat oblatum eſſe pro reprobis redemptionis pretium, & ſimul negat eſſe redemptos, pro quibus oblatum eſt, vt illo loco jam citato ex libro 2. de Symbolo ad Catechumenos, vbi poſtquam dixit, *Quoniam & per vos & propter vos apertum eſt, nec tamen intrare voluiſtis*, quo deſignatur voluntas Chriſti ad ſaluandos reprobos, ſtatim ſubdit: *Qui non eſtis redempti pretio mei ſanguinis, non eſtis mei, diſcedite à me in ignem æternum.* Eodémque ſenſu dicuntur Iudæi, ex ſuo *ſaluatore damnatorem feciſſe.* Quia nimirum futurus erat *ſaluator*, ſed ne eſſet, impeditus eſt illis peccatis, quorum oportuit vt fieret *damnator.* Nec aliò ſpectat S. Proſper, cùm dicit, Tametſi redemptor pro omnibus omnino mortuus ſit, *Redemptionis tamen proprietatem ad eos* TANTVM *pertinere, qui ſaluantur.* Quia ſcilicet eorum tantùm ſit propria redemptio, cæteris illam acceptare nolentibus. Idem ſignificatur illis verbis, quibus dicitur Chriſtus *Redemptor omnium*, MAXIME FIDELIVM. Indicatur enim non eſſe ita propriè aliorum redemptor.

Ad objeƈt. 1. Vencent.

Atque ita quod dicit Auguſtinus Chriſtum eſſe propitiatorem totius mundi; *propter triticum, quod eſt per totum mundum,* nihil aliud ſignificat, quàm ſolùm triticum recepiſſe propitiationis effectum, etiamſi propitiandi voluntas alios quoque reſpiceret. Eodem modo de ſolis prædeſtinatis intelligit illud Ioannis, *Omnia traham ad me*, non quòd ſolis prædeſtinatis vis imprimatur ad ſequendum; ſed quōd ſoli ſequantur. Tractio enim motum ſequentis ſignificat, & non ſolum impulſum mouentis. Item quod Aug. lib. 22. de Ciu. cap. 24. illud Pauli, *Concluſit omnia ſub peccato, vt omnium miſereatur,* reſtringit ad ſolos prædeſtinatos, ſignificat ipſe quo ſenſu reſtringat, nempe quoad effectum illum *vt non damnentur,* non autem quoad oblationem mediorum ad damnationem vitandam. Et vbi ſimiliter Auguſtinus reſtringit ad ſolos prædeſtinatos quod dicit Apoſtolus: *Qui proprio filio non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum*, clarum eſt non reſtringere ratione verborum illorum, quibus dicitur Chriſtus pro *nobis omnibus traditus*, quo etiam conceſſo nihil adhuc concluderetur contra doctrinam, quam tuemur, ſed ratione verborum, quæ ſequuntur. *Quomodo cum illo non omnia nobis donauit?* Quia ſolis prædeſtinatis omnia donauit, aliis tantùm donare voluit. Eodem modo exponendum illud ex ſermone 6. de Verbis Apoſtoli, vbi dicitur Chriſtus veniſſe *propter prædeſtinatos*, qui ſcilicet illi ſoli perceperunt diuini aduentus fructum, qui tamen non fuerat ſolis oblatus. Et eundem ſenſum habent alia quædam S. Auguſtini teſtimonia.

Ep. 48. ad Vinc.

Tract. 52. in Ioan.

De Ciuit. l. 22. cap. 24.

X. Quo ſenſu nullus perire dicatur eorum pro quibus Chriſtus mortuus eſt.

Quod ſi Ianſeniani vrgeant illa, quibus dicitur *nullus perire eorum, pro quibus Chriſtus mortuus eſt, Chriſtum perdere non poſſe quem emit ſanguine ſuo. Non rogaſſe pro mundo, id eſt pro reprobis, ſed tantùm pro electis*, retorquenda in eos ſunt, vt ipſimet cogantur reſponſionem ſuggerere, hoc eſt recurrere ad efficacem & abſolutam æternæ ſalutis intentionem, præter quam agnoſcenda ſit inefficax & conditionata: Siquidem Ianſenius fatetur, vt antè monſtratum eſt, & veniſſe Chriſtum, & oraſſe, & paſſum eſſe, pro iis quoque, qui vel fidem ſine caritate, vel caritatem ſine perſeuerantia receperunt, continerique illos eo numero, pro quo dicitur factus redemptio & propitiatio, qui tamen ſunt omnes reprobi.

Ep. ad Euod. 102.

Serm. inter Pariſ.

Tract. 107. & 110. in Ioan.

Denique vitandus eſt tantùm ſenſus Pelagianus, quo fingebatur ſicuti Dei volentis omnes homines ſaluos fieri, ita & Chriſti mortem ſuam ad omnium ſalutem referentis, indiſcreta quædam & æqualis erga omnes voluntas, quæ nec magis abſolutè nec magis efficaciter reſpiceret vnum, quàm alium; & diſcretionem expectaret ab ipſa hominum natura, propriiſque liberi arbitrii viribus. Errorem hunc qui euitarit, ille Auguſtino facilè ſatisfecerit.

XI.

Ianſenii lapſus in referenda S. Auguſtini ſententia.

Interea verò notandi ſunt aliqui defectus vel fidei, vel perſpicaciæ in referenda ſancti Auguſtini ſententia, quam ſcilicet Ianſenius aliquoties videtur vel non percepiſſe, vel corrupiſſe.

Lib. 21. de Ciu. cap. 24.

Poteſt orari pro ſalute alicuius etiam ſuppoſitâ præſcientiâ futuræ damnationis.

Et primò, vt probet Chriſtum non potuiſſe orare pro ſalute reproborum, ſuppoſitâ quam habebat damnationis eorum præſcientiâ, proponit illud Auguſtini dicentis, Eccleſiam nunc non oraturam pro iis, qui licèt adhuc in hac vita conſtituti ſint, ſunt tamen prædeſtinati ire in ignem æternum cum diabolo, ſi quinam illi ſint, certa eſſet. Sed Auguſtinus ſat clarè exponit quid velit. Diſputat enim contra illos, qui dicebant damnatos omnes liberandos à damnatione in die judicii, per orationes Sanctorum: quos Auguſtinus refutat ea ratione, quia ſi conſequenter loquantur, dicere debent, Sanctos etiam pro dæmonibus oraturos, itaque etiam dæmones à damnatione liberandos. Quòd ſi hoc quoque fateantur, *Nulla cauſa eſt*, inquit Auguſtinus, *cur non etiam nunc pro diabolo, & Angelis ejus oret Eccleſia, quam Magiſter Deus pro inimicis ſuis juſſit orare.* Quod quia falſum eſt, eadem ratione, qua non orat Eccleſia nunc pro malis Angelis: neque tunc oraturam pro damnatis, nimirum vt à damnatione
,, in quam inciderunt, liberentur. Nunc autem, *inquit*, propterea
,, pro eis orat, quos in genere humano habet inimicos, quia tem-
,, pus eſt pœnitentiæ fructuoſæ. Nam quid maximè pro eis ro-
,, gat, niſi vt det illis Deus, ſicut dicit Apoſtolus, pœnitentiam &
,, reſipiſcant de diaboli laqueis? *Mox ſubjungit*, Denique ſi de ali-
,, quibus ita Eccleſia certa eſſet, vt qui ſint illi etiam noſſet, qui
,, licèt in hac vita ſint conſtituti, tamen prædeſtinati ſunt in æter-
,, num ignem ire cum diabolo; tam pro eis non oraret, quàm nec
,, pro ipſo. Quid autem eſt, *tam pro eis non oraret, quàm nec pro ipſo?* Non peteret ipſis Eccleſia ea dona, quæ poſſunt etiam reprobi habere in hac vita? Non poſſet etiam offerre Deo ſimplex deſiderium

derium vt perſeuerarent, quomodo Chriſtus offerebat in horto vt tranſiret calix? hoc nullo modo negat Auguſtinus, ſed negat tantùm orationem illam, quam expreſſit ſequentibus verbis, quæ Ianſenius abſcondit. *Si qui autem vſque ad mortem habebunt cor impœnitens: nec ex inimicis conuertentur in filios, numquid jam pro eis*, ID EST PRO TALIVM DEFVNCTORVM SPIRITIBVS ORAT ECCLESIA? Non orat pro eis, *id eſt pro talium defunctorum ſpiritibus*, poſtulando ſcilicet ea bona, quæ à defunctorum in ſtatu peccati ac proinde à damnatis jam ſpiritibus recipienda forent, vt illi volebant, qui reprobos à damnatione liberandos ſomniabant Eccleſiæ precibus. Orare igitur poſſet Eccleſia pro eis, id eſt *pro talium viuorum ſpiritibus*, vt reciperent ea bona, quorum præſens vita capax eſt, vt poſſimus hoc loco dicere, Ianſeni tuam fidem!

Secundò Ianſenius, dum citat Auguſtinum lib. 6. con. Iul. de iis, pro quibus Chriſtus mortuus dicitur 2. Cor. 5. ſubjungit. *Per quæ ſignificat fieri nullo modo poſſe, vt Chriſtus pro aliquo mortuus ſit vt viuat, quin ille vitam aſſequatur.* Sed neque Auguſtinus hoc ſignificat: nec eò ſpectat ejus diſputatio. Solùm enim concludere vult contra Iulianum negantem, & dari peccatum originale; & concupiſcentiam, cui peccatum illud alligatum putabat Auguſtinus, eſſe *vinculum mortis*, atque adeò malam. Hoc autem probat ex eo quòd Apoſtolus dicat, eos qui viuunt ſpirituali vita, per mortem Chriſti viuere, hoc eſt per mortem Chriſti à morte illa peccati originalis & mortis vinculo liberari. Ex quo ſequitur fuiſſe igitur conſtrictos illo vinculo, & non fuiſſe aliter liberandos, quàm per mortem Chriſti. Hoc eſt totum Auguſtini conſilium, vt conſtat ex ſerie diſputationis. Ianſenius autem mentem ejus peruertit: & hæc Auguſtini verba, *Illi ergo viuunt, pro quibus vt viuant mortuus eſt qui viuebat*, ſic accipit, quaſi ſenſus eſſet, *Illi* OMNES *viuunt pro quibus vt viuant mortuus eſt qui viuebat*: cùm perſpicuum ſit ita potiùs eſſe accipienda: *Illi ergo* SOLI *viuunt*, &c. non autem, *illi ergo omnes viuunt*: &c. *Quod apertiùs*, inquit Auguſtinus, *ita dicitur, illi ſunt à mortis vinculo liberi, pro quibus mortuus eſt inter mortuos liber. Vel ſic multò apertiùs, illi ſunt liberi à peccato, pro quibus mortuus eſt, qui numquam fuerat in peccato.* Quod non ſignificat ex mente Auguſtini omnes pro quibus quocumque modo Chriſtus mortuus eſt, viuificari cap. 15.

per Chriſtum; ſed nullos viuificari niſi per Chriſtum: ac proinde Pelagianis alterutrum faciendum, nempe vel confitendam Chriſti gratiam, quam negabant; vel permittendum vt credantur mortui, quandoquidem non agnoſcunt in ſe gratiam illam, qua ſola viuitur. Et clarum eſt, hoc quidem loco nullam eſſe Iulianum inter & Auguſtinum controuerſiam, ſit-ne an non ſit Chriſtus pro omnibus mortuus, ſed ſit-ne mortuus ad tollendam ex omnibus mortem peccati originalis, quam Iulianus negabat.

Tertiò abutitur Ianſenius verbis Auguſtini in Pſal. 144. vbi quod dicit Regius Propheta; *Et erigit omnes eliſos*, Auguſtinus interpretatur, *omnes ad ſe pertinentes*. Sed clarum eſt ex textu, ſermonem eſſe de eliſis in temporalibus bonis; nec aliud velle Auguſtinum, quàm Deum ſanctos conſolari & confirmare tempore aduerſitatis. Hoc verò quid facit ad quæſtionem an Chriſtus ſit mortuus pro reprobis?

Quartò mala fide citatur etiam id quod dicit Auguſtinus ſerm. 74. de Temp. cap. 2. dum explicat quod dixerat Chriſtus, *Non ſum miſſus niſi ad oues, quæ perierunt domus Iſraël*, quaſi vellet non veniſſe Chriſtum niſi propter prædeſtinatos ex Iudæis. Sed oculis tantùm opus eſt, vt conſtet Auguſtinum aliud nihil intellexiſſe, quàm Chriſtum non eſſe miſſum ad exhibendam præſentiam corporis & patranda miracula, niſi ad oues domus Iſraël, & non eſſe miſſum ea ratione ad oues ex gentibus colligendas, *Ad quas*, inquit Auguſtinus, *ipſe non venit, ſed diſcipulos miſit*, quod nihil facit ad propoſitam quæſtionem.

Quintò dum refert Auguſtini locum illum, cui jam reſpondi ex lib. 22. de Ciuit. cap. 24. quo reſtringit ad prædeſtinatos verba illa Pauli, *qui proprio filio non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum*, truncat quod ſequitur in Apoſtolo, & quod refertur ab Auguſtino, *Quomodo non omnia cum illo nobis donauit?* Ratione quorum verborum tantùm reſtrictio fit ad prædeſtinatos. Reprobis enim non donauit omnia, ſed donare voluit, vt dixi.

Sextò eodem modo truncat quod refert ex lib. 21. de Ciuit. cap. 24. vbi Apoſtoli verba Rom. 11. *Concluſit omnia ſub peccato, vt omnium miſereatur*, Auguſtinus etiam ad prædeſtinatos contrahit. Omittit autem Ianſenius ea verba, quæ monſtrant euiden-

ter quo ſenſu accipienda ſit iſta contractio. Diſputat enim contra illos qui verbis Apoſtoli, vel abutebantur, vel abuti poterant, vt crederent futurum aliquando damnationis finem, præciſa pœnarum æternitate. Dicit autem Auguſtinus verba illa ſic intellecta, vt putetur Deus neminem damnaturus in perpetuum, de ſolis prædeſtinatis intelligenda, & hoc bis repetit; non ideo dictum ab Apoſtolo vt omnium miſereatur, quòd neminem ſit damnaturus: ſed quòd haberet non ſolùm ex Iudæis, ſed etiam ex gentibus prædeſtinatos, quorum neminem eſſet damnaturus. Quare non negat ad reprobos quoque diuinam miſericordiam pertinere, ſed non tamen ita vt illi non ſint damnandi, ex quo Dei beneficio vti noluerunt.

Hæc de mente S. Auguſtini, ad quem Ianſeniani confugiunt, vt ſe tueantur contra cæteros Patres, quos non dubitant ſibi eſſe contrarios. Ex dictis autem conſtare poteſt, dum ab iis damnantur, ab Auguſtino minimè abſolui. Neque verò abſolui validè poſſent, ſi diſſentiret Auguſtinus à cæteris. Plura Coccius, Bellarminus, Petauius, Theſes Louan. &c. vbi confutatur doctrina Ianſenii ex Scriptura, Conciliis, & Patribus omnium ſæculorum.



EPILOGVS, AD QVINQVE ſuprà refutatas Propoſitiones.

HÆc ſunt quæ circa propoſitiones notanda viſa ſunt, ſi cui fortè prodeſſe poſſint ad ferendum de illis judicium, deque cæteris Ianſenianæ Theologiæ principiis, cum quibus illæ ſunt connexæ.

Vnde hoc etiam primò colligendum eſt, quid ſit reſpondendum iis qui dicunt, hanc eſſe propriam Ieſuitarum cauſam. Nempe jam conſtat malè illos diſtinguere proprium à communi: plúſque fauere Ieſuitis, quàm putent, aut cupiant; & pluſquam Ieſuitæ ipſi acceptare velint: dum Eccleſiæ communem doctrinam propugnare, dogmatica Romanorum Pontificum decreta tueri, ſacrorum Conciliorum ſanctiones confirmare, proprium illis eſſe prædicant.

Secundò, Colligitur eos pariter falli, qui dicunt hanc eſſe controuerſiam de Auxiliis, illam, quæ tandiu olim eſt diſceptata ſub duobus Pontificibus Clemente VIII. & Paulo V. Iámque hoc prætextu Ianſeniani paſſim vtuntur, vt cenſuras eludant; & cùm non putent Thomiſtas in eandem ſecum poſſe trahi ruinam; præſumpta communione doctrinæ, & ſententiarum adhæſione, cum illis erigantur & ſtent; vel certè tanquam in pari cauſa, interea dum vlterior expectatur definitio, eadem libertate fruantur credendi, docendique quodlibet, qua fruuntur illi, qui tunc contendebant. Sed in eo quoque latiùs aberrant quàm toto cœlo. Nihil omnino illis exprobratur, de quo Thomiſtæ cum Ieſuitis contenderint, nihil exigitur quàm quod fuit concordiſſimo duorum illorum Ordinum conſenſu, atque ſuffragiis conſtitutum. Quòd poſſibilia ſint Dei præcepta tranſgreſſoribus, quibus tranſgreſſio ad culpam imputatur; Quòd detur auxilium ſufficiens, atque internum cui homines diſſentiant; Quòd indifferentia ad agendum & non agendum à libertate arbitrii, quæ requiritur ad meren-

dum & demerendum, ſit inſeparabilis; Quòd non ſint Hæretici qui dicunt liberum arbitrium Deo mouenti per gratiam efficacem diſſentire poſſe: & Quòd ſenſus diuiſus quo id poſſe dicitur, non idem ſit quod ex hypotheſi mutationis & ſubtractionis ejuſdem gratiæ, ſed ita vt cum illa gratia ſtet expedita ad diſſentiendum potentia; Quòd Chriſtus ſit etiam pro reprobis mortuus, vt illis media ſalutis obtineret; res ſunt ejuſmodi de quibus nullæ vnquam fuerunt partes inter Ieſuitas & Thomiſtas: ſed illis ſuppoſitis communi conſenſu tanquam immobilibus fundamentis, quæſitum eſt, quomodo ſimul ſtare poſſet gratia phyſicè prædeterminans, quam Thomiſtæ non aliàs nec aliter aſſeruerunt, quàm ex ſuppoſitione quòd fundamenta illa inconcuſſa remanerent, quæ modò Ianſeniani conuellunt.

Colligitur tertiò, quàm turpiùs adhuc fallantur qui cauſam Ianſenii cauſam eſſe Auguſtini fabulantur, cùm conſtet eſſe differentiſſimam. Sed fuit ſemper errantium conſuetudo, vt Authorem aliquem eligerent, cujus ſe patrocinio, errando tuerentur. Et hoc etiam conſtat à Caluino factitatum in pari cauſa. At cùm certum ſit Sancto Auguſtino injurioſiorem eſſe neminem poſſe, quàm qui damnatæ doctrinæ authorem probat, negari non poteſt quin Ianſenius, & Ianſeniani fuerint quàm maximè injurioſi: & quin vel malè ſint de hac tota cauſa informati, vel ſui erga S. Doctorem officii immemores, qui ſe Ianſenianæ Theologiæ propitios oſtendunt, cùm S. Auguſtinum ab iis qui errant diſtinguere, hoc verò ſit eſſe Auguſtinianum.

Denique ex dictis facilè intelligi poterit, an fuerit cum Ianſenio tacendum. Neque enim deſunt, quibus non probatur eorum conſilium, qui naſcenti Ianſeniſmo reſtiterunt, & adoleſcenti pergunt reſiſtere, interpretati eſſe hos inquieti motus ingenii, & ad rixas & contentiones ex æmulatione propenſi: doctrinam illam, ſi contradictio non accendiſſet impugnatorem, in obſcuro fuiſſe manſuram, & ſequaces vel paucos, vel nullos habituram, præualente communium per omnes ſcholas ſententiarum poſſeſſione pacifica. Verùm quod dicunt de conſilio & intentione eorum, qui hanc controuerſiam proſequuntur, Dei judicio relinquendum eſt, qui ſo-

lus ſcrutator eſt cordium. Quòd autem putant extinguendam fuiſſe illam ſcintillam, ſi nemo inſufflaſſet, neque Ianſeniani conſentiunt, qui non ſcintillam, ſed facem fuiſſe putant, eámque clariſſimam ſingulari Dei beneficio accenſam, vt Eccleſiam à Pelagianiſmo purgaret: nec id ſperare ſinebat operis magnitudo, authoris dignitas, iteratæ illius editiones, quæſitæ omnium ordinum, omniúmque Academiarum approbationes; & Hæreticorum inſultus ſibi de Catholicorum Epiſcoporum ſuffragio gratulantium Elogia Ianſeniſtarum, & tota vernaculi ſermonis eloquentia, in noui Auguſtini laudes effuſa: nimirum vt ſapientum de illius doctrina judicium compenſaretur admiratione fœminarum & plebis.

Quare quòd dicunt nebulam hanc, nemine ſatagente, fuiſſe ſtatim reſoluendam, optandum magis quàm ſperandum fuit.

Ergo diſſimulandum erat, ſilendúmque in Eccleſia Dei pro bono pacis, dum error loquitur? Concilium Tridentinum diſertiſſimè negat Deum impoſſibilia præcipere, diſertiùs adhuc id affirmat Ianſenius; & ſilendum fuit? Gratiam aliquam dari ſufficientem, quæ hominum vitio, effectu caret, Chriſtianiſmi ſenſus eſt, & ſacra omnis Scriptura in eo conſpirat cum conſcientia peccatorum, quos pœnitet internis Spiritus ſancti motibus reſtitiſſe, Ianſenius tale aliquid vnquam accidiſſe negat: nullam enim eſſe internam gratiam, quæ non conſequatur totum effectum, cujus eſt capax; vnde ſequitur neminem vnquam Spiritui ſancto reſtitiſſe: & ſilendum fuit? Libertatem arbitrii, non ſola coactione, ſed ea quoque neceſſitate tolli, quæ non relinquat expeditam in oppoſitum potentiam, definiuerunt Pontifices, Concilium Tridentinum ſuppoſuit, & conſona ſcholarum vox prædicat; Ianſenius conſtanter incoactam voluntatem, & voluntatem liberam pro eodem habet, atque hoc veluti fundamentum ſtatuit totius doctrinæ de gratia; & ſilendum fuit? Definit Tridentinum poſſe liberum arbitrium Deo mouenti diſsentire; Ianſenius ideo pronuntiat hæreticos fuiſse Maſſilienſes: quòd idipſum dicerent, & ſilendum fuit? Chriſtum etiam pro ſalute reproborum eſse mortuum, ſed effectum illius bonæ voluntatis ipſos impediiſse, Chriſtiana perſuaſio eſt, hoc Scriptura, hoc Patres, hoc ſignificat Concilium Tridentinum. Ex ſententia

Ianſenii, nullus eſt reproborum, qui Chriſti ſanguini quidquam debeat, quippe qui de ipſorum ſalute nihilo magis cogitauit quàm de ſalute diaboli; & ſilendum fuit?

Non ſiluit Apoſtolica Sedes, declarandum cenſuit damnatam antea fuiſſe Ianſenii doctrinam, Conſtitutionem ſuper ea re editam confirmauit iteratis ſupra viginti Breuibus, Catechiſmum de gratia proſcripſit, quòd damnatam doctrinam contineret, Concionatorem, qui ſe in Ianſenii doctrinam propenſiorem oſtenderat compeſci juſſit, & anathemati ſubjecit: & his nequaquam obſtantibus contra Conſtitutionem tanta conſenſione SS. Pontificum confirmatam, & contra Catechiſmi cenſuram libros multiplicant, ac veluti res integra eſſet, audiri petunt: & interea ſuſpendi quidquid hactenus decretum eſt. Quid tum, inquiunt Pacifici noſtri, pro bono pacis hoc quoque diſſimulandum fuit, ſinendúmque *vadere res vt vadunt.*

Dolendum equidem eſt, ſuperioribus retro ſæculis nullos extitiſſe hujuſmodi Pacificatores, quando Arius, quando Neſtorius, quando Berengarius, quando Vuicleffus, quando Lutherus, quando Caluinus oppugnare Catholicam fidem cœperunt. Quot, quæſo, bellorum, quot præliorum, quot perſecutionum compendium feciſſemus? Non fuiſſent tot Orthodoxorum exilia, tot ſacrarum ædium euerſiones, tot ſacrilegia, tot Martyria, tot Regum ac Principum ab Eccleſia Romana defectiones, tot ſeceſſiones Regnorum: ſæcula placidè cucurriſſent ſine rixa, ſine ſchiſmate, habitaréntque modò Vrſus & Leo, Lupus & Agnus vnanimes intra ejuſdem Eccleſiæ ſepta: ex tritico & lolio vna fieret farina, vnúſque panis, quo Chriſtiani omnes veſcerentur. Ita ſanè. Sed vbi eſſet fidei Romanæ integritas? Vbi Catholicæ doctrinæ puritas? Vbi virginitas Eccleſiæ? Stare illa non poteſt, niſi pretioſum à vili, & credendorum veritas ab errore ſeparetur. An volumus eamdem eſſe rationem Domus Dei, quæ eſt Eccleſia, quæ dicitur eſſe in Anglia, Hollandia, Suecia, atque aliis per Septemtrionem regionibus complurium familiarum, vbi maritus Lutheranus cum vxore Caluiniana, Genero Anabaptiſta, & filia Ariana de eadem cuppa bibunt? Hanc concordiam ſola neſcit Chriſti familia, & qui tale aliquid optant, pacem optant omni bello pernicioſiorem, caditque in eos illud S. Auguſtini ſerm. 12. de

Verbis Domini: *Vide ne forte ideo non ſit bellum, quia pax peruerſa eſt.*

Eſt in Apologo, tali quadam prouidentia lupos vti quoque voluiſſe, in generalibus beſtiarum comitiis, cùm quererentur inquieto canum ingenio, & ad ſilendum impotenti totam illam turbari Rempublicam: ſtatim atque conſpiceretur quidpiam quod aliquam haberet lupi ſpeciem, impleri omnia latratibus, montes & valles ipſorum perſonare claſſico, orbémque totum commoueri: nihil ſe cum canibus habere, quod dirimerent, agerent illi res ſuas, ſe quoque paterentur agete ſuas; ſed quid de ouibus futurum erat? Vnico verbo, tota hæc cauſa definitur. Vel eſt tolerabilis Ianſenii doctrina, vel non eſt; ſi tolerabilis eſt, pœnam merentur, qui diſſidia iſta excitant; ſi non eſt tolerabilis, hoc eſt, ſi & damnata, & damnabilis eſt, neceſſario erga Catholicam fidem, Eccleſiámque ſunt officio perfuncti, qui Ianſeniſmum hactenus oppugnarunt. Ergo ab examine atque à judicio doctrinæ incipiendum fuit.

FASCICVLVS SENTENTIARVM ex Theologia Ianſeniana collectarum.

DVo circiter anni ſunt, cùm Doctores quidam Ianſeniani, Louanio Madritum miſſi, ad diſſuadendam ſi fieri poſſet Vrbanæ Bullæ per Belgium promulgationem, vbi ea ſpe ſe dejectos eſſe ſenſere, ne nullum eſſet itineris tam longi, tantique laboris pretium, vulgauere duas & viginti propoſitiones contra honorem & authoritatem S. Auguſtini conceptas, veluti paſſim traditas atque defenſas à quibuſdam Theologis. Cúmque ſpecie zeli erga S. Doctorem vrſiſſent apud Inquiſitores Valliſoletanos earum cenſuram, voti compotes facti, ſparſere quaquaverſum confirmatam eſſe illo judicio Ianſenii doctrinam: & quæ illi contraria eſt, doctrinam Ieſuitarum eſſe damnatam. Nolo nunc temporis diſputare quàm fuerit ex vtroque illo capite falſa hujuſmodi cenſuræ interpretatio; & quàm procul errent, qui Ianſeniſmo faueri putant, dum ſtabilitur authoritas Auguſtini: vel quàm perperam Ieſuitis imponant, qui propoſitionum illarum authores faciunt. Nempe jam perfectum eſt multorum inſignium Theologorum laboribus ac diligentia, vt quam hactenus conati erant Ianſeniani perſuadere antiqui, nouique Auguſtini conſenſionem, nulla veri ſpecie niti deinceps videatur: & Ieſuitas illarum propoſitionum cenſurâ minimè peti potuiſſe, vel ex eo ſatis intelligitur, quòd Aduerſarii nullum hactenus potuerint nominare apud quem illæ legerentur, quod certè pro eo quo ſunt erga Ieſuitas animo non omiſiſſent. Sed ad munienda nonnullorum ingenia, qui de hac tota cauſa non ſatis inſtructi, occupari ſe ſinunt ſpecioſo illo prætextu, propugnatæ à Ianſenio Auguſtinianæ authoritatis; neceſſarium viſum eſt, loco propoſitionum fictarum, nec vſquam extra ideas Ianſenianorum exiſtentium, repræſentare plures duplo, non animi gratiâ ſcriptas in arena, ſed inci-

ſas ad æternam memoriam, expreſſáſque in monumentis Ianſenianorum, deſignato vbi vnaquæque loco reperitur. Vnde facilè conſtabit Auguſtino numquam fuiſſe majorem illatam injuriam, quàm ab illis qui hæc portenta ſententiarum illi tanquam authori affingere conantur: Nec in Auguſtino ſolo ſtetiſſe calumniam, ſed ad nobiles etiam ſcholas & ſcholarum principes, quin & ad Sedem Apoſtolicam, atque adeò ad Eccleſiam ipſam pertigiſſe. Ignoſcat Lector, ſi faſciculum offero graueolentem; neceſſaria fuit hæc offenſio, vt ſanus eſſe olfactus probaretur.

I. Iuſtos omnes, qui excidunt è ſtatu juſtitiæ, & defectu finalis perſeuerantiæ tandem damnantur, excidere ex impoſſibilitate ſtandi & perſeuerandi, quam habet adjunctam ſtatus ille, in quo tunc reperiuntur, quando cadunt. *Hæc propoſitio colligitur ex toto libro 3. de Gratia Saluat. præſertim ex cap. 13. vbi quamuis de aliquibus tantùm loquatur, vtitur tamen principiis, quæ vniuerſaliter de omnibus concludunt.*

Tomo 3.

II. Peccatores qui diuinæ gratiæ reſiſtunt, illi reſiſtere ex impoſſibilitate aſſentiendi, quam habet ſimiliter adjunctam ſtatus, in quo tunc reperiuntur, quando reſiſtunt; *Colligitur ex iiſdem locis & ex fundamentali principio, quod toto illo libro tertio ſtatuitur.*

III. Pro eorum ſalute qui finaliter non perſeuerant, quamuis ad fidem vocati & juſtificati vixerint aliquandiu in ſtatu gratiæ & ſanctitatis, nec oraſſe Chriſtum vnquam, nec mortuum eſſe, nec eam intendiſſe magis quàm intenderit ſalutem diaboli. *Eodem tomo tertio lib. 3. cit. cap. 20.*

IV. Nullam eſſe Chriſti gratiam quæ ſit ſufficiens ad effectum, ad quem non eſt efficax: nullam quæ non ſit efficax ad omnem effectum, ad quem eſt ſufficiens. *Traditur toto lib. 3. citato, & antè lib. 2. cap. 27. & 32.*

V. Sanctum Petrum tentatum fuiſſe, & alios multos fideles quotidie tentari ſupra quod poſſunt ſuſtinere. *Ibidem cap. 13.*

VI. Scopo legis repugnaſſe quòd Deus daret gratiam adjuuantem ad implenda præcepta, quæ imponebat. *Ibid. cap. 5.*

VII. Statum veteris teſtamenti attuliſſe Iudæis Gratiam impedientem potiùs, quàm ſufficientem. *Ibid. cap. 8.*

VIII. Gratiam ſufficientem infidelium eſſe à Semipelagianis excogitatam. *Ibid. cap. 12.*

Non eſſe liberum homini lapſo à peccato abſtinere dum hîc & nunc agere meditatur, ſed quocumque ſe verterit, quadam humanis viribus inſolubili peccandi neceſſitate teneri: in nullo opere peccati culpam effugere poſſe: Inductam eſſe neceſſitatem peccandi non tantùm in aliquibus actibus, ſed etiam in omnibus, & omnem ejus actum antequam credat, eſſe peccatum. *tom. 2. lib. 3. de ſtatu naturæ lapſæ cap.* 14. IX.

Gratiam lapſæ, ægrotæque voluntatis nullomodo in ejus relinqui arbitrio, vt eam deſerat aut accipiat, ſi voluerit. *Lib. 2. de Gratia Salu. cap.* 4. 5. 14. 27. 28. X.

Semipelagianos in hoc hæreticos fuiſſe, quòd vellent talem eſſe internam gratiam, quæ per Chriſtum datur ad initium fidei, vt liberum arbitrium diſſentire poſſet, ſi vellet. *Ibid.* XI.

Suppoſitâ rationis aduertentiâ, libertatem arbitrii ſola coactione impediri poſſe, non autem vllâ neceſſitate agendi, etiam ſi ea proximam non agendi potentiam tollat. *Tractatur toto lib. 6. de Gratia Saluat. præſertim cap.* 38. *tom.* 3. XII.

Pœnitentes exponi periculo damnationis à Confeſſariis, quando vt diſponantur ad abſolutionem, excitantur ad dolorem de peccatis & ad bonæ vitæ propoſitum, propter ſolum gehennæ metum. *Colligitur ex tom.* 3. *lib.* 5. *de Gratia Salu. cap.* 35. XIII.

Ex puro timore pœnæ non poſſe ita fugi peccatum, vt nullum aliunde peccatum incurratur; & juxta S. Auguſtini principia omnino ſtatuendum, eſſe impoſſibile, vt ille qui in peccandi propoſito conſtitutus eſt, ſola pœnæ formidine, ita mutet voluntatem peccatúmque deteſtetur, vt non peccet, *to.* 3. *lib.* 5. *cap.* 27. 29. XIV.

Non ſolùm peccare, qui ſolo timore pœnæ ducitur, ob conjunctam voluntatem, quâ mallet facere quod vetatur, ſi impune liceret; ſed etiam ex ipſa formali ratione objecti, ſub qua peccatum declinare nititur: quòd non ideo peccatum horreat quia peccatum eſt, ſed quia corpori dolorificum, *ib. cap.* 30. *Quid ergo verius dici poteſt, quàm quæ Lutherus dixit & Tridentin. damnauit, dolorem de peccato ex ſolo timore pœnæ conceptum, facere magis peccatorem.* XV.

Auguſtino repugnare doctrinam Scholaſticorum, qui docent attritionem ex gehennæ metu conceptam, excludere poſſe omnem peccandi voluntatem, & continere propoſitum bo- XVI.

næ vitæ, ſeu ſeruandi totam legem. *Ibidem capite 33.*

XVII. Quamuis hæc ita ſint, multos tamen eſſe fructus hujuſmodi timoris, & inter alios, quòd manum contineat à peccato, etiamſi non contineat animam: quòd impediendo externa & apparentia peccata, tollat conſuetudinem malorum operum, itáque inducat quandam benefaciendi facilitatem: quòd premat & coarctet peccatores, vt ad Dei miſericordiam ſupplices fugiant: ideóque meritò dici timorem hunc ab Auguſtino, bonum, vtilem, ſaluberrimum. *To. 3. de Grat. Saluat. lib. 5. cap. vlt. Bene habet, Bonus eſt igitur ille timor, qui non ſolum adjunctam habet malam voluntatem, ſed eſt ipſe per ſe malus ex ratione formali objecti ſui, itaque inuentus eſt qui dicat bonum malum, & malum bonum.*

XVIII. Attritionem Scholaſticorum, quæ concipitur ex ſolo timore pœnæ, etiam æternæ, non eſſe ex Gratia per Chriſtum, ſed ex naturæ viribus, etiamſi ſupponat fidem. *Ibid. cap. 25. 26. Quis non miretur apud debellatorem ſi Deo placet Pelagianorum & reparatorem gloriæ gratiæ Chriſti, recentium Scholaſticorum vitio perditæ,* affectum animi bonum, vtilem, ſaluberrimum, quo peccator coarctatur & premitur, vt ad diuinam miſericordiam ſupplex confugiat, *ex naturæ viribus eſſe, non ex gratia per Chriſtum?*

XIX. Peccatum eſſe quodcumque fit ex alio, quàm ex puro caritatis ſupernaturalis motiuo. *Traditur eodem lib. 5. ferè per totum.*

XX. Vnum & eundem ſemper eſſe ac fuiſſe juſtificationis modum, nimirum per actum caritatis: & inſtitutionem Sacramenti Pœnitentiæ ac Baptiſmi, eſto facilitatem aliquam attulerit aſſequendæ remiſſionis peccatorum, non tamen alium juſtificationis modum, quàm qui fuerat priùs. *tom. 3. libro 3. cap. 34.*

XXI. Eſſe doctrinam Fidei Catholicæ quam SS. Patres olim vt dogma fidei tradiderunt, inuincibilem & inuoluntariam juris naturalis ignorantiam, non excuſare à mortali & damnabili peccato. *To. 2. lib. 21. de ſtatu puræ naturæ cap. 22. & lib. 2. de ſtatu naturæ lapſæ cap. 4.*

XXII. Gratiam Adamo & Angelis in prima creatione collatam, ita fuiſſe illis connaturalem, ſicut viſus, auditus, ſicut ſanitas &c. *Tom. 2. lib. 1. de ſtatu puræ naturæ cap. 11. 15. 16. 17.*

XXIII. Fuiſſe impoſſibile vt Deus Adamum aliter crearet, quàm cum juſtitia originali, & jure illo quod perdidit ad Dei viſionem

& perfectam beatitudinem. *Tractatur 3. libris integris de ſtatu puræ naturæ to. 2.*

Nullum quodcumque vel qualecumque malum inferri à Deo poſſe infanti, qui caruerit peccato originali. Neceſſariò enim lædi omnipotentiam, ſcientiam & juſtitiam Dei. *Ibid. lib. 3. cap. 7. & 11. Vnde ſequitur Deum non fore Deum, ſi ſuppoſitó tali puero, permitteret vllam ei vel minimam ſcabiem prurire.* XXIV.

Inter illa mala quæ implicat innocentibus & mundis ab originali peccato accidere, ignorantiam computari. *Ib. vnde ſequitur, ſi ſtatus innocentiæ perſeueraſſet, non potuiſſe infantes non eſſe intra vterum maternum Philoſophos & Theologos.* XXV.

Sancti Patres, qui vixere inter Origenem & Auguſtinum doctrinam tradidiſſe de prædeſtinatione perfectè Semipelagianam: talémque fuiſſe etiam ſenſum Eccleſiæ toto illo tempore, hoc eſt ducentis & ampliùs annis, *tom. 1. lib. 7. de hæreſi Pelag. cap. 17.* XXVI.

Hieronymum in iiſdem libris, quos ſcripſit contra Pelagium, ita clarè diſertéque tradere doctrinam Semipelagianam, vt excuſari non poſſit. *Ibid. cap. 4.* XXVII.

Ad infallibilitatem Eccleſiæ ſatis eſſe quòd rectam fidem teneat in ſuis Canonibus & oratione Dominica, etiamſi in expreſſiori eorum intelligentia & interpretatione, major pars erret, & contrarium teneat eorum, quæ antea ſancita fuerant tanquam fidei dogmata. *Colligitur ex lib. proœm. cap. 30. & ex lib. 4. de ſtatu naturæ lapſæ, cap. 27.* XXVIII.

Tempore Pii V. & Gregorii XIII. (hoc eſt circa tempora Lutheri & Caluini:) Propoſitiones quaſdam, quæ ſunt fundamentales doctrinæ, ac baſes fidei contra Pelagianos dediſſe ſcandalum in Eccleſia Romana, ejúſque pacem turbaſſe. *Colligitur ex cap. 22. lib. 3. de ſtatu puræ naturæ to. 2.* XXIX.

Tantam fuiſſe prudentiam Eccleſiæ Romanæ: vt pro bono pacis & ad vitandum ſcandalum illud, judicauerit eaſdem fundamentales doctrinas & baſes fidei prohibendas. *Ibid.* XXX.

Prohibendi conſilium ex eo manaſſe, quòd neſciret (nempe Eccleſia) ejuſmodi propoſitiones ab Auguſtino traditas, & confirmatas olim ab antiquis Pontificibus. *Ibid.* XXXI.

Sine certitudine cenſuræ, quæ continetur iſtis tribus propoſitionibus. *Pelagianus eſt error dicere. quòd liberum arbitrium val et ad* XXXII. 18. Bati.

56. Baii. *vllum peccatum vitandum*; *Cum Pelagio ſentit qui boni aliquid natura-*
63. Baii. *lis, hoc eſt, quod ex naturæ ſolis viribus ortum duxit, agnoſcit: Non niſi Pelagiano errore admitti poteſt vſus aliquis liberi arbitrii bonus, ſiue non malus: & gratiæ Christi iniuriam facit, qui ita ſentit*; ſine certitudine inquam illius cenſuræ, principia S. Auguſtini de neceſſitate diuinæ gratiæ funditus labefactata collabi; & tamen eamdem cenſuram à Pio V. & Gregorio XV. fuiſſe damnatam. *lib. 4. de ſtatu naturæ lapſæ cap. 27. tom. 2.*

XXXIII. Romanos Pontifices, dum damnarunt aliquas Baii propoſitiones, maluiſſe accommodare ſuam definitionem ſententiæ Scholaſticorum, quàm doctrinæ S. Auguſtini & aliorum ſanctorum Patrum. *To. 3. lib. 6. de Gratia Saluat. cap. 36.*

XXXIV. Cancellos Theologiæ Chriſtiano-Scholaſticæ à Deo præfixos, ad coërcendam vagam diſputationum libertatem, & certos limites ſtatuendos cognitioni rerum diuinarum, definiri libris ſacræ Scripturæ, Conciliis, & primorum ſæculorum Patribus; & iis contentos eſſe debere Theologiæ candidatos. *Lib. Proœm. cap. 7. tom. 2. Valeat ergo S. Thomas, valeat S. Bonauentura, valeant cæteri qui non poſſunt inter Patres primorum ſæculorum numerari. Quotquot illis inhærent vagantur extra cancellos Theologiæ Chriſtiano-Scholaſticæ.*

XXXV. Non fuiſſe ſobriâ ſapientiâ contentos, & ignoraſſe limites à Deo præfixos humanæ cognitioni, qui ſtruem curioſiſſimarum quæſtionum fecerunt, quibus ingenia torquentur, & otium auditorum teritur: dum diſputant in materia de Angelis, de ipſorum principiis indiuiduantibus, ſpecificantibus, de intelligendi modo, ſpeciebus, duratione, loco, motu, operationibus, &c. Item qui dum tractant de Deo, quærunt quomodo ſit immenſus, quomodo generet filium, quomodo futura præuideat. *Ibid. cap. 6. Vnde ſequitur S. Thomam & Thomiſtas, alióſque Theologos, qui ejuſmodi quæſtiones omnes fusè tractant, non fuiſſe ſobria ſapientia contentos, nec ſciuiſſe limites humanæ cognitioni à Deo præfixos.*

XXXVI. Cùm ſit duplex Theologia, altera poſitiua, quæ potior eſt & præferenda, conſtátque cognitione diuiniſſimorum librorum ſacræ Scripturæ, Patrum primorum ſæculorum & Conciliorum: alia minùs præcipua, quæ eſt Theologia Scholaſtica; ad vtramque requiri totum hominem; & exemplo S. Thomæ & Cajetani comprobatum, non poſſe excellere in poſitiua, qui in

Scholaſtica excelluerit. *Lib. Proœm. cap. 9. to. 2. Vnde ſequitur S. Thomam in potiore ac meliore Theologia, eſſe minus habentem.*

XXXVII. Modum penetrandi diuina per humanam rationem & philoſophicas ratiocinationes eſſe periculoſum: & multis erroribus expoſitum. *Lib. Proœm. cap. 7.* Summam autem S. Thomæ nihil eſſe aliud, quàm S. Auguſtinum contractum, certáque proportione alligatum naturalibus principiis. *Ibid. cap. 22. Habet igitur ſumma S. Thomæ modum penetrandi diuina periculoſum & multis erroribus obnoxium. Naturalia enim principia ſunt humanæ rationes: & illis alligari, philoſophorum eſt.*

XXXVIII. Vniuerſam Scholaſticam nunc ab omni parte plenam eſſe quæſtionibus ſtrigoſis, ejúſque veritates eſſe cogitationis prorſus humanæ fœtus. *Ibid. cap. 6. Qui dicit vniuerſam & ex omni parte, nihil excipit; ac proinde nihil eſt diuinum, nihil certum, nihil tutum modò in Theologia Scholaſtica vniuerſa.*

XXXIX. Recentiores aliquos Theologos neque fidem, neque ſpem, neque caritatem: neque gratiam, neque naturam: neque vitium, neque virtutem: neque bonum opus, neque peccatum: neque meritum, neque mercedem, neque ſupplicium; neque beatitudinem, neque miſeriam; neque liberum, neque ſeruum arbitrium: neque timorem Dei, neque amorem: neque juſtitiam, neque miſericordiam; neque vetus, neque nouum Teſtamentum agnoſcere. *Ib. 28. Debebat dicere quænam eſſent iſtæ beſtiæ quæ ſibi Theologorum nomen arrogant.*

XL. Etiamſi à quingentis annis ſententiæ quædam Scholaſticorum à majori parte fidelium, communi conſenſu approbatæ ſint, non debere tamen Eccleſiam terreri neque impediri quantalibet numeroſitate authorum, antiquitate, vniuerſalitate, quominus eas ad incudem reuocet & repudiet. *Colligitur ex eodem lib. Proœm. cap. 30. Si quantalibet numeroſitas Auctorum, antiquitas, & vniuerſalitas, non ſufficit ad certitudinem doctrinæ; falſæ ſunt igitur quas hactenus Eccleſia putauit eſſe præcipuas Catholiciſmi notas.*

XLI. Quaſdam Propoſitiones antiquæ & Eccleſiaſticæ fidei fuiſſe obſcuratas, obliteratas, obrutas, & ſepultas ſcholarum puluere, hoc eſt Scholaſticorum interpretationibus & ſubtilitatibus, ſequentium humanæ rationis filum potiùs, quàm traditionem SS. Patrum, & ideo fuiſſe deinde prohibitas, quòd viderentur nouæ neſcientibus antiquam doctrinam, & ſua nouitate turbarent

pacem, & ſcandalum darent. *Colligitur ex lib. 4. de ſtatu naturæ lapſæ cap. 24. & ex lib. 3. de ſtatu puræ nat. cap. 22. Quis igitur non pedes eat in ſententiam Vvicleffi, Lutheri, Eraſmi, Caluini, Scholaſticam execrantium?*

XLII. Prædeterminatio phyſica penitus deſtruit magnam illam libertatem & bene viuendi poteſtatem, quæ fuit in Adamo, & quæ futura erat in nobis ſi ille non peccaſſet. *Eſt expreſſa in lib. de Gratia primi hominis, & Angelorum, to. 2. cap. 20.*

XLIII. Prædeterminatio phyſica prorſus deſtruit totam differentiam gratiæ Adami, & adjutorii medicinalis Chriſti. *Ibid.*

XLIV. A recentioribus phyſicæ prædeterminationis defenſoribus aliqua ſunt adjecta, quæ cum Auguſtini doctrina nullo modo congruunt. *Lib. 8. de Gratia Saluat. cap. 2. to. 3.*

XLV. In reipſa, in operandi modo, in acceſſoriis ſeptem eſſe differentias inter veram Chriſti gratiam & phyſicam prædeterminationem. *Ib.*

XLVI. Qui medicinalem Chriſti gratiam ſic defendere conantur vt eam transforment in phyſicam prædeterminationem, omni ſtatui hominum lapſorum & innocentium ex vi cauſæ primæ & indifferentiæ voluntatis neceſſariam, magis profectò Ariſtotelicos eſſe, quàm Auguſtinianos, & vniuerſam Auguſtini doctrinam inexplicabili confuſione perturbare. *Ibid.*

XLVII. Auguſtinum, ne ſemel quidem, vel ex profeſſo, vel per tranſennam ſignificaſſe, eatenus ſaluam manere liberratem, quatenus voluntas actum volendi ſic exercet, vt poſſit eum ſuſpendendo continere. *Ib. Quod eſt Auguſtinum de diſtinctione ſenſus compoſiti & diuiſi, quo vtuntur Thomiſtæ in conciliandæ gratia prædeterminante cum libero arbitrio, nunquam cogitaſſe.*

Ex his Lector facilè intelliget quis majorem injuriam inferat Auguſtino, quiſve periculoſiùs philoſophetur, an illi qui tot errores venditant, ſicuti eſſent Auguſtinianæ merces: & qui hodiernam Eccleſiæ doctrinam cum antiqua committunt, nulli ſcholæ, nulli aurhori parcentes; An illi qui ſtudent concordiæ, & priſcam cum moderna Theologia conciliare conantur.

IANSENIVS
A THOMISTIS
GRATIÆ
PER SEIPSAM EFFICACIS
DEFENSORIBVS
CONDEMNATVS.

ADMONITIO AD LECTOREM,

Et Notæ in Diarium Santamorii.

CVM Ianſeniani cauſam ſuam cum cauſa Thomiſtarum confundere conarentur, ad auertendam Quinque Propoſitionum cenſuram; collegi Romæ quotquot inuenire potui eorum Thomiſtarum libros, qui contra doctrinam Molinæ ſcripſerant, circa tempora diſputationum *de Auxiliis*, ac deinceps. Quorum apertiſſima contra Quinque Propoſitiones teſtimonia ita diſtinxi, vt conſtaret non aliam ab alio, ſed ſingulas ab omnibus eſſe damnatas: ac proinde vel ipſoſmet Thomiſtas præluxiſſe futuro Sedis Apoſtolicæ judicio: tantum aberat vt impedire velle viderentur. Exiſtimaui autem illos potiſſimùm Thomiſtas appellandos, qui contra Molinam ex profeſſo pugnauerant. Videbam enim cùm hoc vnum eſſet propoſitum Ianſenio & Ianſenianis, vt Molinam & Moliniſtas, vt ipſi vocant, debellarent; ſi qui vnquam Thomiſtæ cenſendi eſſent Ianſenianis colluſiſſe, illos eſſe vel ſolos, vel maximè, quibus vnum idémque cum Ianſenio propoſitum fuiſſet, Molinam conterendi: quod ſi neminem iſtorum Ianſenio fauiſſe monſtraretur, nullam prorſus de cæteris ſupereſſe ſuſpicionem. Hæc erat

mea cogitatio : quam eandem eſſe non dubito eorum omnium, qui ratione aliquâ ducuntur, nec pugnandi votum habent, vel contra compertam veritatem, ſi contingat ſuis rationibus eſſe contrariam.

Hac igitur ſpe fretus lucubratiunculam hanc Romæ reliqui manu-ſcriptam anno hujus ſæculi quinquageſimo ſecundo, & paulo pòſt ineunte quinquageſimo tertio Pariſiis edendam curaui; vnde iterum Romam perlata, eſt typis excuſa ante vltimum de Quinque Propoſitionibus Sedis Apoſtolicæ judicium. Crebram hujus ſcripti mentionem facit Auctor Diarii, de quo ſuas, vt fatetur ipſemet, querelas detulit ad Eminentiſſimum olim Chiſium, hodie Summum Pontificem Alexandrum VII. ad Eminentiſſimum Spadam, ad Commiſſarium Sancti Officii, & ad ſuum denique Aduocatum: cui monſtrauit quod eſt in præfatiuncula Typographi nomine opuſculo præfixa, nempe *Ianſenianos adhibuiſſe forenſium Oratorum operam ſuæ cauſæ inſtruendæ; adiiſſe Aduocatum inter Romanos celebrem, vt Italicæ facundiæ & humanorum jurium arma conjungerent*: itáque cùm non ſatis præſidii à Theologis expectarent, res ſuas commendaſſe Iureconſultis. Quæ Doctor ille non improbat modò, ſed *ſummæ* inſuper *petulantiæ* atque *impudentiæ* Scriptorem damnat.

Ie portai le lendemain la preface du Libraire du P. Annat à noſtre Aduocat, pour lui faire voir par les choſes, qui eſtoient dites de lui, *l'extréme impudence & effronterie* de cét Eſcriuain.

Iournal p. 6. c. 13. p. 422.

Ego non miror ejuſmodi conuitia id genus hominibus excidere. Illo enim priuilegio dudum fruuntur, quo legibus, non dico caritatis, ſed omnis vrbanitatis ac modeſtiæ ſoluuntur. Miror tantùm perturbatam hujus Doctoris rationem, qui quod accuſat, ipſamet accuſatione purgat. Oſtendit, inquit, Aduocato quod de ipſo dicebatur. Ergo verum eſt quod

dicebatur, Ianſenianos Romæ quæſiiſſe Aduocatos quibus ſuam cauſam commendarent. Quam verò cauſam? Aliamne Romæ diſceptabant, quàm cauſam fidei? Aliudne Tribunal obſidebant, quàm vbi fidei quæſtiones agitantur? Quid ergo peccauit, qui dixit eos armis ſuis Italicæ facundiæ & humanorum jurium arma conjunxiſſe? Quid autem opus erat ſubſidio illo Iuriſperitorum, & Cauſidicorum, ſi ſat præſidii ſperare poterant à Theologis? Et cur venalem eloquentiam adhibuiſſent, ſi ſibi conſcii erant non deeſſe ſibi facultatem exponendi Latinâ linguâ, hoc eſt Eccleſiaſticâ, quidquid ad ſtatum controuerſiæ pertineret? Et hoc obſeruaſſe, *ſummæ fuit impudentiæ?* Nam de Aduocato quod dictum eſt, tantum abeſt vt reprehenſione dignum ſit, vt gratiam etiam mereatur. Commendatus enim eſt à celebritate famæ, à facundia, à juriſperitia. Sine vllius defectus aut vitii nota, vt dicere poſſim, non verè tantùm, ſed rectè quoque dicta eſſe, quæ inconſultus hic atque improuidus cenſor, *ſummæ tribuit impudentiæ.* Miſeret me tam abſurdi hominis, quem ſi tam intempeſtiui conuitii non pudet, aio neſcire illum, quid ſit eſſe impudentem.

Supereſt vt explicem ecquid tandem reprehendat in hoc opuſculo, qui tam honorificè de ejus Auctore loquutus eſt. Id ille paucis comprehendit. Quidquid in eo dicitur ad promouendam quinque propoſitionum cenſuram, conſtare dicit *perpetuis æquiuocationibus gratiæ ſufficientis, potentiæ proximæ* &c. qua obſeruatione in ſubjecta materia, nulla vel magis falſa vel magis inepta eſſe potuit. Nam cùm in hoc ſcripto nihil

Il n'eſt fondé que ſur de perpetuelles equivoques de grace ſuffiſante, pouvoir prochain, & ſur la Chimere de la grace neceſsitante

qu'il attribuë à Ianſenius. Ce qu'il contenoit de plus conſiderable fut refuté par les Dominicains. *Iournal* 5. *par.* *di.* x I. *pa.* 307.

fere meum ſit, ſed ſoli loquantur Thomiſtæ, ſuis quiſque verbis, quis non videt ſi verba ſint æquiuoca, non mihi, ſed illis eſſe tribuendum? Et cùm hæc ipſiſſima verba ſint, quibus ſunt vſi, dum diſputant contra Molinam & Moliniſtas, quidquamne abſurdius vel cogitari potuit ab eo, qui videri vult partes ſequi Thomiſtarum, quàm quod fatetur, Thomiſtas dum agunt contra Moliniſtas, *perpetuis vſos æquiuocationibus?* Objiceret potiùs hæc Thomiſtarum teſtimonia non eſſe fideliter excepta, fuiſſe truncata, nec perfectam habere ſignificationem, non eſſe ad rem, & illæſis Quinque Propoſitionibus, objectari. Nihil horum obſeruauit hic Doctor, quia nec obſeruare potuit. ſolam æquiuocationem cauſatus eſt.

Age verò, vir bone, ecqua tandem oratione exprimere quis poſſet vim & rationem gratiæ ſufficientis, quæ non ſit æquiuoca, ſi Thomiſtarum deſcriptio æquiuoca eſt? Gratiam ſufficientem dicunt eſſe *verè & propriè & in rigore ſufficientem*; & hoc eſt, inquis, æquiuocum. Hanc gratiam dicunt dare voluntati *potentiam*, hoc eſt agendi facultatem *proximam*, *immediatam*, *completam*, *expeditam* & *non ligatam*, in ratione potentiæ & virtutis operatiuæ; & hoc quoque æquiuocum? Expecto dum fidei ſymbolum *Credo in Deum Patrem omnipotentem, Creatorem cæli & terræ*, &c. conſtare dicas perpetua æquiuocatione. Quid enim vſpiam erit vniuocum, ſi talis, tam clara támque diſerta expreſſio ejus, quod quis intelligi vult, æquiuoca ſit?

Age iterum, Magiſter Noſter, & quando pronun-

tiata Thomiſtarum de Gratia ſufficienti & potentia proxima tibi videntur æquiuoca, tu vitium illud purga, euolue implicitos ſenſus & diſtingue. Aliquo-ne ſenſu vera ſunt, an nullo? Si nullo, quare vocas æquiuoca, & non potiùs abſolutè falſa? Thomiſtæ verò ex aduerſo ſua dicent eſſe vera, & Ianſeniana falſa, quod vnum ego hoc libello conficiendum ſuſcepi. Si aliquo ſenſu vera ſunt, quonam tandem? Affirmant dari Gratiam *verè, propriè, & in rigore ſufficientem.* Hoc, inquis, aliquo ſenſu verum eſt. Quonam, inquam? Conſulendus tibi Ianſenius eſt. Quære ab illo, an qui mandatum tranſgreditur, Gratiam habeat ſufficientem ad illud ſeruandum. Reſpondet Ianſenius, *non adeſſe ſemper gratiam, qua* POSSIMVS, *hoc eſt, quâ illa eadem præcepta implere* SVFFICIAMVS. Audis? Sufficiens gratia ad implenda præcepta illa eſt, qua non poſſumus & qua non ſumus ſufficientes *vt impleamus*. Si eges interprete, adhibe Paulum Irenen, & dicet tibi, per *conantes, & volentes*, quibus impoſſibilia eſſe mandata Ianſenius pronuntiat, eos intelligi, *qui per gratiam excitantem habent* VIRES INVALIDAS! Sat ſcis, opinor, gratiam illam excitantem eſſe, quam dicitis, *Thomiſtico ſenſu ſufficientem.* Ergo ſufficiens Thomiſtica, apud vos, illa eſt quæ dat *vires inualidas.*

To. 3. l. 3. c. 13.

Diſq. 2. Ar. 2.

Perge interrogare Paulum hunc, & reſpondebit, Non negat Ianſenius *poteſtatem ſimpliciter implendi mandata; ſed* NEGAT POTESTATEM SVFFICIENTEM. Audis, Domine Doctor? Gratia ſufficiens Thomiſtica illa eſt apud vos, quæ dat homini poteſtatem *non ſufficientem.* Relegenda eſt nugatoria illa & inimica Secretarii Regioportuenſis epiſtola ſecunda, qui ſuum

cum ſenſu Thomiſtarum inuoluens, *Veſtra*, inquit, *mens eſt, Gratiam iſtam ſufficere & non ſufficere, ſufficientem eſſe voce tenus, re autem ipſa inſufficientem ..... Ecquid vobis in mentem venit, mi Pater,* Thomiſtam alloquitur, *vt gratiæ ſufficientis nomine donaretis illam, quam eſſe inſufficientem, cenſetis ad fidem pertinere?* Adde illius votum, quo cuperet præconis voce proclamari publicè, *Notum omnibus eſto, cùm adeſſe cunctis hominibus gratiam ſufficientem Dominicani dicunt, id eos ſignificare velle,* NON ADESSE OMNIBVS GRATIAM QVÆ REVERA SVFFICIAT.

> C'eſt à dire que cette grace ſuffit, quoi qu'elle ne ſuffiſe pas. C'eſt à dire qu'elle eſt ſuffiſante de nom, & inſuffiſante en effect ... A quoj penſez vous, mon Pere, d'auoir donné le nom de Grace Suffiſante à vne grace, que vous dites qu'il eſt de foy, de croire qu'elle eſt inſuffiſante en effect. Pa. 5. & 6.

Eamdem gratiam intelligit Defenſor Conſtitutionis Innocentii X. cùm dicit, eos à quibus admittitur hæc gratia cum neceſſitate gratiæ prædeterminantis, ſecum pugnare, affirmare idem ac negare, nempe gratiam eſſe ac non eſſe ſufficientem, diſputare contra communem hominum ſenſum, & verbis vti, quæ contrarium ſignificant ejus quod quis ſignificare vult.

Vide jam, mi Doctor, an illi, qui eo tantùm ſenſu gratiam admittunt, quæ ſufficiens vocatur, quòd det vires inualidas, quòd det poſſibilitatem non ſufficientem; quòd non ſufficiat, quòd reipſa non ſit ſufficiens, quòd non reſpondeat ſignificationi vocis illius, *ſufficiens*, quòd communem ſenſum oſtendat dum appellatur hoc nomine: Vide, inquam, an hoc ſit admittere gratiam ſufficientem aliquo ſenſu, an potiùs negare. An hoc ſit diſtinguere Thomiſtarum ſenſus æquiuocos, & non potiùs eorumdem negare *veros, proprios,* & *rigori verborum*, vt ipſi loquuntur, *conſentaneos*.

> Que les Thomiſtes employent des termes qui ſignifient le contraire de ce qu'on veut dire. Que c'eſt ſe contredire diſant de la meſme choſe, qu'elle eſt, & qu'elle n'eſt pas. par. 2. di. 10. p. 124.

Tu quoque, Amice Lector, aduerte quibus præſtigiis circulatores iſti oculis imperitorum illudant, quando

quando ſuis erroribus obtendunt ſpecioſam laruam *Thomiſtici ſenſus.* Fingunt ſe gratiam admittere ſufficientem, *ſenſu Thomiſtico*; itáque fatentur poſſibilia fieri mandata tranſgreſſoribus per gratiam Thomiſtico ſenſu ſufficientem; & cùm ventum eſt ad ſenſum illum exprimendum, vmbras objiciunt amplecti conantibus, gratiámque Thomiſtico ſenſu ſufficientem dicunt eam, quæ reipſa non eſt ſufficiens, niſi apud eos qui ſecum pugnant, qui non capiunt quod dicunt, vel ſi capiunt, mentiuntur, dum aliud judicant, aliud loquuntur.

Præluſerat his fraudibus Ianſenius, quando dubitabundus aſſeruit, gratiam illam Thomiſtarum non difficulter fortaſſe fuiſſe ab Auguſtino admittendam, *quamuis*, inquit, *eſſe veram illam Chriſti gratiam, de qua quæſtio eſt, pernegaret.* Atqui de Chriſti gratia tantùm diſputant Theologi, quando quærunt vtrum rectè diuidatur in efficacem & ſufficientem, quòd ſi ea, quam fortè Auguſtinus admitteret, non eſſet tamen Chriſti gratia, quid aliud ſupereſt, quàm vt dicamus juxta Ianſenium, nullam eſſe Chriſti gratiam ſufficientem. Statuamus itaque hominem juſtum, qui tentationi ſuccumbit; Præcipit illi Deus vt tentationi reſiſtat: Quæritur, an dederit illi Deus vllam gratiam, quæ ſufficeret ad illam, quam præcipit reſiſtendi voluntatem? nullam, inquit Ianſenius, quæ ſit gratia Chriſti. Ergo nulla Ianſenio, Chriſti gratia ſufficiens eſt, ad id faciendum quod præcipit. Hoccine Thomiſtæ ſentiunt? Et hic eſt ſenſus Thomiſticus, & non potiùs larua Ianſeniani erroris? *To. 3. l. 3. cap. 1.*

Nec Ianſenius de mente Auguſtini, déque acutiſſimo illius ingenio judicat vt par eſt, quando dubitat an

ib. eſſet admiſſurus adjutorium, *quod ſufficiens eſt vt homo dicatur poſſe operari, etiamſi requiratur aliud vt actu operetur:* & contendit tamen ab eo *deſtructam funditúſque euerſam gratiam ſufficientem*, quæ includat *quidquid eſt neceſſarium per modum principii.* Adeone enim tardus Ianſenio videtur Auguſtinus, vt crediderit *hominem poſſe operari*, cui deeſt neceſſarium operationis principium?

2. par. c. 13. pa. 286. Sed difficile eſt ſub larua diu latitare. Defenſor Conſtitutionis Innocentii X. frontem reuelat, & fatetur eos qui opinionem illam Recentium Thomiſtarum ſequuntur, de gratia ſufficienti, quæ proximam agendi poteſtatem dat, prorſus rejiciendam, neque dici poſſe Thomiſtas, qui eam ſequuntur, quippe qui à manifeſta S. Thomæ doctrina toto aberrent cælo, ſed debere dici Aluariſtas, quòd Didacus Aluares primus ſit, qui ejuſmodi ſententiam in eam Scholam inuexerit. Ianſenium imitatur bonus iſte Defenſor, & vt ille ſuos errores impingit Auguſtino, ſic iſte S. Thomæ & Thomiſtis antiquioribus.

IANSENIVS A THOMISTIS GRATIÆ PER SEIPSAM EFFICACIS DEFENSORIBVS CONDEMNATVS.

Circa V. Propoſitiones quæ Romæ examinantur.

IANSENIANI *Theologi, ſeu vt errorem tegant, ſeu vt in eo periculo, in quo verſantur, Patres Dominicanos habeant propitios, adulatoria ſimulatione fingunt pugnare ſe tantùm pro* gratia phyſicè prædeterminante, *quam vocant* gratiam per ſeipſam efficacem, *nec aliud ſpectare, quàm vt ſarta tecta ſit illa doctrina, pro qua tanta contentione diſputatum eſt ſub duobus Pontificibus, in Congregationibus de Auxiliis. Et quia dicuntur id aliquibus perſuaſiſſe, intereſſe puto, tum communis boni veritatis, quam omnes quærimus, tum priuatæ Thomiſtarum dignitatis, authoritatiſque, quam non expedit in cenſura damnabilium ſententiarum implicari, vt omnes intelligant, præcipuos defenſores gratiæ phyſicè prædeterminantis, & qui cauſam illam ardentiùs egere circa tempora diſputationum, contraria omnino poſuiſſe principia, principiis Ianſenianis, quod, vt ſpero, Lector adeò perſpicuè intelliget, ex oppoſitione doctrinæ illorum Thomiſtarum, ad quinque pro-*

poſitiones Ianſenii, quæ modò ad examen vocantur, vt non dubitem, quin mecum dicturus ſit, eos qui tam facilè ſibi patiuntur imponi à Ianſeniſtis, alterutram neceſſariò Theologiam neſcire, Thomiſticam ſcilicet, vel Ianſenianam.

Ad hoc autem monſtrandum adduco imprimis Didacum Aluarez, qui diſputationibus interfuit, & pugnaſſe dicitur, in prima cum Valentia, & in 25. quòd Pater Lemos malè haberet, cum Baſtida; ſtatimque poſt diſputationes ſcripſit ampliſſimum de Auxiliis tractatum, editum Romæ, anno 1610. *Subindéque alterum Reſponſionum, editum Neapoli, anno* 1622. *Hunc ſequitur Ioannes Gonçalez de Albelda, qui dicitur ipſe quoque diſputationibus interueniſſe, & materiam de Auxiliis pertractauit in commentariis* 1. *partis, quos edidit Compluti, anno* 1621. *Tertius eſt Joannes Paulus Nazarius, Cremonenſis, qui tomo* 1. *in* 1. *part. paulò poſt diſputationes edito Venetiis, hoc eſt an.* 1610. *de Auxiliis fusè diſputat. Quartus Didacus Nugnes Cabezudo, qui & ipſe materiæ de Sacramento Pœnitentiæ tractatum inſeruit de Auxiliis, tom.* 1. *in* 3. *part. in Hiſpania primùm, deinde Venetiis edito, anno* 1612. *Quintus eſt Petrus Ledeſma, qui anno* 1602. *dum controuerſia maximè ferueret, juſtum volumen de Auxiliis ſcripſit, edidítque Salmanticæ. Sextus Balthaſar Nauarrete, cui hæc eadem quæſtio materiam ſuppeditauit Tom.* 2. *ſuarum Controuerſiarum, quem edidit Valliſoleti, nondum elapſo ab vltimis Diſputationibus triennio. Septimus erit Ioannes à ſancto Thoma, qui non ita pridem ſuis in* 1. *part. Commentariis has omnes de Auxiliis controuerſias retexuit. Ex horum doctrina luce clariùs conſtabit, fieri non poſſe vt vllus vſpiam Thomiſta reperiatur, qui cauſam ſuam conjungere velit cum cauſa Ianſenii, quin principia conuellat à Majoribus tradita, recedátque ab ea doctrina, quam illi ſunt profeſſi coram Summis Pon-*

tificibus, atque in ipſa Eccleſiæ facie, tempore diſputationum.

Et nimirum totum hoc diſcrimen oritur ex diſcrepantia circa duo fundamenta præcipua. Alterum eſt de gratia ſufficiente, alterum de indifferentia liberi arbitrii. Nam cùm Thomiſtæ putent ad fidem pertinere, vt præter gratiam efficacem agnoſcatur gratia verè & propriè ſufficiens, interna, ſupernaturalis, quæ hominis vitio, caret effectu, cujus eſt capax; habent quo dicant, Dei mandata, etiam ſuppoſito defectu gratiæ efficacis, eſſe poſſibilia. Quod Ianſeniani, qui gratiam illam non agnoſcunt, dicere non poſſunt. Indidem ſtatim ſequitur, interiori gratiæ ſæpè reſiſti, priuando illam effectu, quem haberet, ſi homo vellet, quod eſt contra ſecundam propoſitionem Ianſenianam. Sequitur pariter eos, qui non ſaluantur habere ſalutis copiam, beneficio gratiæ ſufficientis: & quia illa non potuit haberi niſi ex meritis Chriſti, mortuum eſſe Chriſtum, vt obtineret etiam reprobis media ſalutis, quod negatur in quinta.

Cùm pariter Thomiſtæ cenſeant intrinſecam omnino eſſe libero arbitrio agendi & non agendi indifferentiam, *eámque* proximam & expeditam, *tertiam propoſitionem Ianſenii penitus conterunt. Unde ſequitur etiam deſtructio quartæ; quia ſi gratia efficax non tollit libertatem arbitrii, conſequenter nec tollit indifferentiam illam, qua fit vt ei poſſit diſſentiri, quod dicere judicatur hæreticum in illa propoſitione. Quin & ex hoc ipſo principio de neceſſitate indifferentiæ ad libertatem arbitrii, ſequitur quoque contra primam propoſitionem, nunquam liberè violari præcepta, quin ſit in poteſtate tranſgreſſoris non violare: & contra ſecundam, reſiſti gratiæ illi interiori, ſine qua præceptum aliquando non eſt poſſibile: Et poſſe non excidere à gratia, nec proinde damnari, qui liberè excidunt & damnantur; ac proin-*

de mortuum eſſe Chriſtum, & ſanguinem fudiſſe, vt hanc eis poteſtatem obtineret, quod eſt contra quintam. Quare certiſſimum eſt, poſitis illis duobus principiis, quæ Thomiſtæ omnino tuentur, quæque Ianſeniani omnino negant, neque Thomiſtas tueri poſſe quinque propoſitiones ad ſenſum Ianſenianorum: neque Ianſenianos ad ſenſum Thomiſtarum. Quod ex ſequentibus clarè conſtabit.

IANSENIVS A THOMISTIS GRATIÆ PER SEIPSAM EFFICACIS DEFENSORIBVS CONDEMNATVS.

THOMISTÆ CONTRA IANSENIVM.

DIDACVS ALVAREZ.

DIDACVS *Aluares diſp.* 71. *de Auxiliis num.* 2. Si de reipſa loquamur, NVLLVS CATHOLICVS DVBITARE POTEST de diuiſione gratiæ in ſufficientem & efficacem.

IANSENIVS. 1. Propoſit. *Aliqua Dei præcepta hominibus iuſtis volentibus & conantibus ſecundùm præſentes, quas habent vires, ſunt impoſſibilia: Deeſt quoque iis gratia, qua poſſibilia fiant.*

Ibid. num. 6. Secundùm Concilium Tridentinum datur gratia ſufficiens, qua poteſt homo ſeruare OMNIA MANDATA DIVINA.

Ibid. num. 12. Si non daretur gratia verè ſufficiens, non poſſet illis, qui non conuertuntur imputari ad culpam, quòd non conuerterentur, nec adimplerent diuina mandata: &

Iansenivs. conſequenter Deus irrationabiliter conquereretur de illis; & ſine cauſa eos increparet.

Propoſit. *Aliqua Dei præcepta hominibus juſtis volentibus & conantibus ſecundùm præſentes, quas habent vires ſunt impoſſibilia: Deeſt quoque iis gratia, quâ poſſibilia fiant.*

Diſp. 112. *nu.* 5. Datur auxilium ſupernaturale, intrinſecum, neceſſarium ad implenda præcepta, & ab omnibus recipitur auxilium illud, ſaltem pro loco & tempore, quo præceptum obligat ..... Alioqui homo obligaretur ad impoſſibile. *Quod Didacus negat poſſe contingere etiam homini lapſo, & peccati originalis pœnam ferenti.*

Ibid. nu. 10. Qui non recipiunt in ſeipſis, nec habent auxilium IMMEDIATE ſufficiens ad credendum, non peccant contra fidem.

Ibid. Quando præcepta ſunt naturalia ex parte objecti, SEMPER HOMO HABET AVXILIVM SVFFICIENS AD EA implenda, quando obligat præceptum, & ita à culpa non excuſatur, qui illud non implet.

Diſp. 76. Illud auxilium ita eſt ſufficiens, vt nullum aliud requiratur ad hoc, vt homo verè dicatur poſſe bene agere & ſaluari.

Lib. 3. *Reſp. c.* 5. *nu.* 27. Etiamſi non ſit in voluntate gratia efficax, prædeterminans ad conuerſionem, nihilominùs per auxilium gratiæ ſufficientis habet eadem voluntas potentiam PROXIMAM & FAÇVLTATEM EXPEDITAM, qua poſſit conuerti, ſi velit.

Idem ibid. Et per hoc reſpondetur ad rationem, qua probatur potentiam ad conuerſionem, quam tribuit auxilium gratiæ ſufficientis, dum conjungitur in libero arbitrio, cum motione efficaci ad actum contrarium conuerſioni, NON ESSE POTENTIAM EXPEDITAM. Dicendum eſt enim quòd illa motio efficax non impedit ne liberum arbitrium, gratia ſufficienti motum poſſit conuerti, ſi velit, NEC HVIVSMODI FACVLTATEM AVFERT........ Vnde objectio non probat facultatem illam, quam tribuit auxilium ſufficiens, NON ESSE PROXIMAM, vt per illam poſſit homo conuerti, ſi velit.

Ibid. lib. 4. *cap.* 1. *nu.* 12. Dicimus enim, quòd etiam antequam voluntas moueatur auxilio efficaci, vt actualiter velit tale objectum, eſt ſufficienter conſtituta in actu primo & PROXIMO, vt poſſit operari, ſi velit.

Idem

Id. ibid. nu. 13. Quia ergo cum auxilio ſufficienti, præmouente ad aliquam actionem ſaluatur in libero arbitrio EXPEDITA facultas, qua poſſit diſſentire, ſi velit; ideo poteſt illi imputari, & imputatur ad culpam, ſi non abſtineat.

Et de induratis lib. 2. *Reſp. c.* 9. *nu.* 15. Licèt quamdiu indurati ſunt in via, abſolutè & ſimpliciter poſſint per veram pœnitentiam ad Deum conuerti, & reſipiſcere, hoc tamen ADEÒ DIFFICILE EST, vt reputetur impoſſibile, juxta illud Apoſtoli ad Heb. *Impoßibile eſt eos, qui ſemel ſunt illuminati*, &c. ... Si ergo longa conſuetudine peccandi ad tantam obſtinationem perueniant peccatores, vt ſit eis impoſſibile, HOC EST VALDE DIFFICILE à peccato deſiſtere, & ad viam ſalutis redire, cur non potuerunt aliqui electi, &c.

IANSENIVS 1. Propoſit. *Aliqua De[i] præcepta hominibus iuſtis volentibus & conantibus ſecundùm præſentes, quas habent vires ſunt impoſſibilia: Dee[ſt] quoque iis gratia, qua poſſibilia fiant.*

GONÇALES DE ALBELDA in 1. *p. S. Thomæ.*

DISP. 77. *ſect.* 3. *nu.* 18. His ſuppoſitis, pro reſolutione veritatis dico primò, inſtante occaſione temporis, quo obligat præceptum naturale, aut ſupernaturale, Deus de facto dat cuicumque viatori auxilium ſufficiens, proportionatum, intrinſecum & extrinſecum, vt poſſit, ſi velit, tale præceptum adimplere, ita vt nullus excuſari poſſit à tranſgreſſione præcepti, ob defectum auxilii ſufficientis. Dixi auxilium ſufficiens proportionatum, quia aliqua occurrere poſſent præcepta naturalia, adeò facillima, vt non indigeat homo etiam lapſus ſupernaturali auxilio ad illa implenda, ex aliquo motiuo honeſto virtutis acquiſitæ.

Idem Diſp. 57. *Sect.* 3. *nu.* 46. Per auxilium ſufficiens & per concurſum paratum à Deo, ex vi voluntatis antecedentis, qua vult, quantum eſt ex ſe, vt ille actus fiat à nobis, niſi per nos ſteterit, habet voluntas noſtra in ſua poteſtate LIBERA & EXPEDITA quidquid requiritur, vt faciat actum bonum, etiam non prædefinitum.

Idem Diſp. 58. *ſect.* 2. *nu.* 16. Quare indubiè tenendum eſſe cenſeo voluntatem creatam, ſolùm ſufficienter adjutam à Deo, habere VLTIMVM COMPLEMENTVM POTENTIÆ

IANSENIVS. 1. Propoſit. *Aliqua Dei præcepta hominibus iuſtis volentibus & conantibus ſecundùm præſentes, quas habent vires, ſunt impoſſibilia; Deeſt quoque iis gratia qua poſſibilia fiant.*

ACTIVÆ, & concurſum præuium Dei in quo ſaluatur eſſentialis ſubordinatio cauſæ ſecundæ, reſpectu primæ, in ordine ſuo, nempe potentiæ PROXIMÆ operatiuæ.

Iterum. Habere totam illam virtutem quæ ſufficit & requiritur vt in actu primo ſit VLTIMATE COMPLETA & PROXIME EXPEDITA ad conſentiendum Deo vocanti, ſi velit. Quare EX SVA MALITIA NON VVLT, non autem ex defectu principii PROXIME, VLTIMATE REQVISITI neceſſitate antecedenti, ſeu ex parte cauſæ.

Iterum ibid. ſect. 3. *nu.* 35. Neceſſitas gratiæ efficacis non impedit quominus ille qui ſolum habet auxilium ſufficiens, habeat proximam expeditam facultatem conſentiendi Deo vocanti, ſi velit.

Et de induratis Diſp. 77. *Sect.* 3. *nu.* 24. Illi qui in ſcriptura dicuntur peculiariter deſerti à Deo, non ideo tales dicuntur, quia auxiliis ſufficientibus priuentur, pro loco & tempore, quo inſtat occaſio adimplendi præceptum, ſed quia etiamſi auxilia ſufficientia habeant, non tamen efficacia..... Sic deſertis PER QVANDAM EXAGGERATIONEM dicitur impoſſibilis ſalus, aut quia valde difficilis, aut quia impoſſibilis ſolùm impoſſibilitate, ſequenti permiſſionem & præſcientiam Dei, quæ nullo modo deſtruit aut minuit intrinſecam facultatem ad oppoſitum.

Iterum ibid. nu. 27. Ad quartum patet quòd peccatoribus quantumcumque obduratis non denegantur auxilia ſufficientia, pro loco & tempore, pro quo currit obligatio præcepti.

IOANNES PAVLVS NAZARIVS Cremonenſis.

IOANNES *Paulus Nazarius Cremonenſis ad quæſt.* 23. 1. *part. ar.* 3. *Controu.* 2. *pag.* 838. *editionis Bonon. an.* 1620. Diſtinctio auxilii in ſufficiens & efficax nititur teſtimoniis euidentibus ſacrarum litterarum, SS. PP. & Scholaſticorum.

Ibid. pag. 840. *col.* 2. Eſt autem auxilium ſufficiens, idem quod gratia excitans, quatenus in ſe comprehendit non ſo-

ſum externam illuminationem, quæ fit per Scripturas, Doctores, & Miracula, ſed comprehendit etiam intellectus illuminationem, quæ fit à Deo, ET MOTIONEM DEI SVPERNATVRALEM RECEPTAM IN VOLVNTATE..... Dicitur autem gratia ſic excitans auxilium ſufficiens, non reſpectu cujuſcumque operationis, ſed ejus tantùm, ad quam efficiendam excitat hominis voluntatem; ita vt ſi excitet ad credendum, ſit ſufficiens ad actum fidei, ſi ad pœnitendum, ad actum pœnitentiæ, ſi ad diligendum Deum ſuper omnia, ſit ſufficiens ad actum dilectionis.

Ibid. controu. 3. pag. 851. *col.* 2. Poſtremò ſciendum eſt auxilium ſufficiens dupliciter à Deo nobis conferri; vno modo IMMEDIATE ad effectum à Deo intentum, veluti cùm Deus per internam illuminationem & inſpirationem de rebus fidei hominem infidelem vocat ad fidem: Alio modo mediatè, & hoc dupliciter: ſcilicet vel per aliud auxilium, quaſi remotè diſponens eandem perſonam ad majoris & immediati auxilii ſuſceptionem ad intentum effectum, putà fidei aſſenſum, vel etiam gratiæ conſequutionem: Et hoc modo piè creditur Deum homini in ſyluis, vel inter bruta nutrito auxilium quoddam conferre, vt naturæ legem non violet ſed obſeruet. Nam ſi legem obſeruet, & dictamen ſequendo rationis naturalis Diuino auxilio roboratæ bonum appetat, & malum fugiat, certiſſimè tenendum eſt, Deum illi vel per internam inſpirationem reuelaturum ea quæ ſunt ad credendum neceſſaria, vel aliquem fidei prædicatorem ad eum miſſurum; ſicut miſit Petrum ad Cornelium, Act. 10. Quòd ſi datum ſibi diuinitus auxilium contemnat per peccatum, contra naturæ legem commiſſum, hoc ipſo incapax altioris redditur adjutorii, vt apertè docet S. Thomas de verit. quæſt. 14. ar. ii. ad 1. & 2. cont. gent. cap. 159. Vel confertur à Deo auxilium mediatè, ſcilicet media alterius perſonæ prouidentia, vt iis qui rationis vſum non habent, &c.

Ibid. pag. 852. Quarta concluſio. Omnibus venientibus ad vſum rationis Deus confert ſupernaturale auxilium intrinſecum, inſtigans ad bonum. Hæc concluſio eſt D. Thomæ 2. 2. quæſt. 89. art. 6..... Affirmat autem concluſio conferri à Deo auxilium inſtigans ad bonum, non autem quòd ſit re-

IANSENIVS 1. Propoſit. *Aliqua Dei præcepta hominibus juſtis volentibus & conantibus ſecundùm præſentes, quas habent vires, ſunt impoſſibilia: Deeſt quoque iis gratia qua poſſibilia fiant.*

——— uelatio myſteriorum fidei, quia non ſemper dat illud auxilium immediatè ad credendum; vt plurimum autem dat ad vitam rectè inſtituendam, ex D. Th. quæſt. 9. de verit. ar. ii. ad 1. & 2.

Iansenivs. 1. Propoſit. *Aliqua Dei præcepta hominibus iuſtis volentibus & conantibus ſecundùm præſentes, quas habent vires, ſunt impoſſibilia; Deeſt quoque iis gratia, qua poſſibilia fiant.*

Ibid. S. Auguſtinus & S. Thomas non intendunt negare conferri à Deo ſufficiens auxilium etiam OBDVRATIS ET EXCÆCATIS vt à peccato reſurgant, ſed affirmant tantùm illis ſubtrahi per quædam temporum interualla, propter appoſita ab eis impedimenta..... Adde prædictos ſanctos ſæpè loqui de ſubtractione auxilii efficacis.

Ibid. 853. *col.* 1. Auxilium illud ſupernaturale non ſemper eſt immediatè ad credendum vel pœnitentiam agendam, vt ſuprà notatum eſt, ſed ſæpè mediatè, vt ſcilicet homo rectè vitam inſtituat circa operationes moraliter bonas, cui ſi apponat impedimentum, non peccat ſpeciali peccato infidelitatis aut impœnitentiæ.

DIDACVS NVGVES CABEZVDO in 3. par. D. Th. edit. Veneta an. 1612.

QVÆST. 2. *de Auxil. pag.* 83. *col.* 1. Ad quintum reſpondetur illud auxilium (efficax, non eſſe neceſſarium vt homo habeat ſuam potentiam OMNINO COMPLETAM, NON LIGATAM, NON IMPEDITAM, atque adeò vt ſimpliciter loquendo, homo poſſit operari: Et ideirco ſi non operatur, imputatur illi peccatum, quia ſimpliciter loquendo, non deeſt aliquid ex requiſitis ad operandum..... Et ad argumentum, quod deeſt illi aliquid neceſſarium, diſtinguitur iſta propoſitio, neceſſarium ex parte potentiæ, ita vt illa non ſit OMNINO COMPLETA, ITA VT SIT ALIQVO MODO LIGATA, VEL IMPEDITA, negatur: Deeſt aliquid neceſſarium ex parte actus, quod datur ſimul cum ipſo actu, tranſeat, &c.

Ibid. Auxilia ſufficientia conſtituunt hominem ſimpliciter potentem ad operandum: at verò auxilium efficax ad ſingulas operationes tenet ſe ex parte ipſius operationis, quoniam

præſuppoñit potẽntiam OMNINO COMPLETAM NON LIGATAM, NEQVE IMPEDITAM.

Ibid. pag. 87. col. 1. Ad vltimam ergo probationem reſpondetur multoties teneri hominem ad orandum & ad petendum auxilium efficax à Deo, vt ſeruet omnia præcepta: & tunc quando de facto orat, jam accipit auxilium efficax ad orandum, ſi verò non orat, non imputatur ei quòd non habet auxilium efficax ad orandum, ſed imputatur ei ipſum non orare, quia hoc ipſum eſt de quo habet præceptum, & licèt non receperit auxilium efficax, RECEPIT TAMEN AVXILIVM SVFFICIENS, per quod ſimpliciter loquendo potuit orare.

Idem tom. 2. ad quæſt. 86. ar. 5. Inter Catholicos fuerunt aliqui, dicentes quòd Deus aliquando in pœnam grauiſſimorum peccatorum negat quibuſdam peccatoribus auxilia neceſſaria, & ſufficientia, vt pœnitere poſſint, quales ſunt illi qui in ſcripturis ſacris dicuntur excæcati & obdurati, ita videtur docere Gregor. Ariminenſis in 3. diſt. 46. quæſt. 1. Et Roffenſis ar. 3. con. Lutherum, QVÆ SENTENTIA COMMVNITER DAMNATVR TANQVAM MAXIME TEMERARIA ET PROXIMA ERRORI: Sed tamen exiſtimo Doctores iſtos ſolùm velle ſignificare, quòd ſit ſpecialis difficultas in his peccatoribus; Sententia enim vt jacet, ETIAM ERRONEA MIHI VIDETVR, & non eſt credibile incidiſſe in talem errorem ſanctiſſimum Martyrem, qui ſuo tempore fuit defenſor fidei in Anglia.

Sit igitur prima concluſio. FIDES EST, ITA VT OPPOSITVM SIT HÆRESIS MANIFESTA, quòd omnis homo, dum eſt in via, & compos rationis, poteſt ſimpliciter loquendo pœnitentiam agere de peccatis, atque adeò omnibus dantur auxilia ſufficientia, vt poſſint pœnitere. Probatur concluſio &c.

Ibid. Illuminat igitur omnem hominem: quæ verba intelliguntur etiam de illuminatione ſupernaturali.

Ibid. pag. 64. Apoſtolus cùm dicit Rom. 1. Tu autem ſecundùm duritiam & impœnitens cor tuum, theſaurizas tibi iram in die iræ, loquitur vniuerſaliter tam Gentibus, quàm Iudæis, vnde NIHIL VALET SOLVTIO, QVOD EXCI-

IANSENIVS. 1. Propoſit. *Aliqua Dei præcepta hominibus juſtis volentibus & conantibus ſecundùm præſentes, quas habent vires, ſunt impoſſibilia: Deeſt quoque iis gratia qua poſſibilia fiant.*

IANSENIVS. — PIANTVR AB ISTA REGVLA EXCÆCATI ET OBDVRATI.

1. Propoſit. *Aliqua Dei præcepta hominibus iuſtis volentibus & conantibus ſecundùm præſentes, quas habent vires, ſunt impoſſibilia: Deeſt quoque iis gratia, qua poſſibilia fiant.*

Ibid. Pharao maximè fuit induratus, & nihilominus habuit multa auxilia, quibus potuit credere & conuerti. *Addit author quod eſt in cap. Nabuchodonoſor. 23. quæſt. 4. ſumptum ex libro de prædeſtinatione & gratia. Item hanc veritatem* EXPRESSE DEFINIRI PVTAT *in Trid. Seſſ. 6. cap. 14. Et adeſſe* COMMVNEM CONSENSVM TOTIVS ECCLESIÆ.

Ibid. Etiam peccatores excæcati & obdurati habent præceptum agendi pœnitentiam, & peccant magis ac magis, quia non agunt pœnitentiam, vt omnes intelligunt de Pharaone: Ergo ſimpliciter loquendo poſſunt illam agere. Patet conſequentia; quia vt ait D. Ambroſius, IMPIVM EST DICERE, QVOD DEVS ALIQVID IMPOSSIBILE PRÆCIPIAT.

Ibid. pag. 65. col. 1. Qui non recipit auxilium efficax eſt potens ad operandum, etiam per principium intrinſecum ejuſdem ordinis, cum operatione ſupernaturali: non tamen ille qui non recipit auxilium ſufficiens: Et idcirco iſte excuſatur à peccato contra legem ſupernaturalem, non autem ille.

Ibid. Concedimus illum (*qui nihil audiuit de rebus fidei*) non habere auxilium ſupernaturale ad credendum & pœnitendum; atque adeò excuſari à tali peccato, licèt ſimpliciter loquendo ſit poſſibile credere & pœnitere.

Ibid. de barbaris quibus non eſt annuntiatum Euangelium. Licèt ſimpliciter loquendo non habeant auxilium ſupernaturale, ſufficiens in ſe receptum, nihilominus ſimpliciter loquendo poſſunt credere & pœnitere, quia poſſunt tale auxilium recipere: & de facto reciperent, ſi ſeruarent legem naturalem. Ex hoc autem quòd illi non cognoſcant hanc veritatem, ſolùm ſequitur, quòd excuſentur à tali peccato, quia non eſt eis poſſibile per principium intrinſecum ſuſceptum.

Ibid. Vt aliquis peccet de facto in eo, quòd non operatur, non ſufficit quòd teneatur & poſſit ſimpliciter loquendo, ſed requiritur quòd poſſit per potentiam intrinſecè ſuſceptam. Quando verò talem potentiam non habet, facit quidem quod ſecundùm ſe peccatum eſt, IPSE TAMEN NON PECCAT DE FACTO, ſed excuſatur à peccato, propter carentiam talis potentiæ.

Ibid. Ad ſextum reſpondendum quòd veniens ad vſum rationis peccat contra legem naturæ non ſe conuertendo, quia ad iſtam conuerſionem habet principium intrinſecum ſufficiens, quod tamen non habet ad conuerſionem ſupernaturalem, ET IDCIRCO CONTRA TALEM CONVERSIONEM NON PECCAT.

IANSENIVS. 1. Propoſit. *Aliqua Dei præcepta hominibus juſtis volentibus & conantibus ſecundùm præſentes, quas habent vires, ſunt impoſſibilia: Deeſt quoque iis gratia, qua poſſibilia fiant.*

PETRVS LEDESMA de Auxiliis, edit. Salmant. an. 1611.

AR. 16. *pag.* 332. *col.* 1. Dico tertiò auxilium ſufficiens intrinſecum neceſſarium ad vitanda peccata, datur omnibus hominibus, pro tempore quo peccarent, ſi non vitarent peccata. Similiter datur auxilium neceſſarium intrinſecum ad implenda præcepta, pro tempore, quo obligant. HOC DICTVM EST CERTISSIMVM INTER THEOLOGOS, ET ILLVD DOCENT OMNES DISCIPVLI D. TH. . . . . VIDETVR ESSE EXPRESSA MENS D. THOMÆ.

Ibid. pag. 333. Quilibet peccator quantumlibet induratus peccat non implendo præcepta, tempore, quo obligant: Ergo habet auxilium intrinſecum ſufficiens: Probatur conſequentia, quia ALIAS NON PECCARET.

Et ar. 14. *pag.* 294. *Propoſita quadam ſolutione ad objectionem quæ Thomiſtis fieri ſolet col.* 1. Hæc ſolutio, *inquit*, falſa eſt & videtur omnino improbabilis. Quoniam iſta ſententia admittit quod de facto & reipſa Deus obligat hominem ad actum illi impoſſibilem. At verò IMPIVM eſt, vt dicit Hieronymus, aſſerere quòd Deus præcipiat aliquid impoſſibile.

Ibid. Secundò probatur hoc ipſum, quod Deus mihi præcepit actum fidei vel caritatis, proponit illum vt poſſibilem: Ergo vel Deus me decipit, quod quidem eſt maximè abſurdum, vel tenemur fateri quòd à parte rei eſt mihi poſſibilis actus credendi, vel diligendi Deum PRO TEMPORE ILLO QVO PRÆCEPTVM OBLIGAT. Antecedens proba-

IANSENIVS. tur: proponitur mihi iſte actus vt à me faciendus, ergo virtualiter proponitur mihi vt poſſibilis.

Ibid. Auxilium phyſicè prædeterminans non facit quòd actus ſit poſſibilis: at ſubinde ſine tali auxilio eſt poſſibilis.

Ibid. 295. Præceptum poſitiuum obligat modò ad actum poſitiuum, v.g. ad actum poſitiuum credendi vel diligendi Deum: Ergo vt hoc præceptum me obliget, ET NON SIT INIVSTVM, oportet quòd mihi ſit poſſibilis actus poſitiuus, qui præcipitur.

Ibid. col. 2. Quando quis non poteſt habere actum poſitiuum credendi, vel diligendi Deum, NON CREDERE ET NON DILIGERE EST IN EO PVRA NEGATIO, ET NON PRIVATIO, ergo NON PECCAT non credendo, vel non diligendo, &c.

Ibid. Si ſemel dicatur quòd ille actus eſt impoſſibilis PROPTER CARENTIAM AVXILII EFFICACIS PRÆDETERMINANTIS PHYSICE, conſequenter dicendum eſt quòd illud præceptum non obligat ad actum poſitiuum, & per conſequens non habere actum poſitiuum non erit peccatum, ſed erit mera negatio.

.. Propoſit. Aliqua Dei præcepta hominibus iuſtis volentibus & conantibus ſecundùm præſentes, quas habent, vires, ſunt impoſſibilia: Deeſt quoque iis gratia, qua poſſibilia fiant.

Ibid. pag. 298. *col.* 1. Aduertendum etiam eſt quòd illud auxilium efficax phyſicè prædeterminans voluntatem, concurrit quidem ad productionem operationis, non tamen eſt neceſſarium ex parte principii, tanquam dans virtutem & potentiam; ſed eſt neceſſarium vt actu operetur, & tenet ſe ex parte operationis; & ita qui non habet illud, poteſt ſimpliciter & abſolutè operari: Et quando homo non habet iſtud auxilium, non deeſt illi aliquid neceſſarium ex parte potentiæ, ſed ipſa potentia eſt PERFECTA ET COMPLETA, ET NON LIGATA SINE ILLO; & propterea homo obligatur diuinis præceptis.

Ibid. ar. ii. pag. 253. Prima concluſio. Certiſſimum eſt quòd auxilium ſufficiens, vel quod dicitur ſufficiens, VERE ET PROPRIE ET IN OMNI RIGORE eſt ſufficiens, etiamſi auxilium prædeterminans voluntatem ſit neceſſarium ad ipſam operationem. Hæc tenent communiter omnes diſcipuli D. Thomæ.

Ibid. Eſſe auxilium ſupernaturale, eleuans voluntatem in ordine ad operationem ſupernaturalem, &c.

BALTHA-

IANSENIVS. 1. Propoſit. *Aliqua Dei præcepta hominibus juſtis volentibus & conantibus ſecundùm præſentes, quas habent vires, ſunt impoſſibilia: Deeſt quoque iis gratia, quâ poſſibilia fiant.*

BALTHASAR NAVARRETE tom. 2 Controu. edit. Valliſoletanæ. 1609.

A *D quæſt.* 19. *ar.* 8. *controu.* 12. *Poſt explicatam diuiſionem auxilii ſupernaturalis in ſufficiens & efficax.* Ex iis ergo confutatur error Lutheri..... & error Caluini, negantium iſtam diuiſionem, & dicentium nullum habere auxilium ſufficiens, qui non habeat etiam auxilium efficax, vt ſaluetur.. ... Confutatur etiam error Pelagianorum & Semipelagianorum, ſeu Maſſilienſium ponentium initium noſtræ juſtificationis prouenire ex virtute noſtra, NON EX AVXILIO PRÆVENIENTE ET SVFFICIENTE..

Ibid. controu. 19. Auxilium ſufficiens tribuit potentiæ cooperationem ad ipſam operationem producendam taliter, vt per illum cui tribuitur tale auxilium, ſtet non operari.

Ibid. Dicitur auxilium ſufficiens, quia ſufficit vt habens illud, ſic coaptetur operationi, & ſic incipiat excitari ad eam, vt eidem habenti imputetur quòd operatio non ſequatur. *Et paulò antè:* Aſſerit ergo noſtra propoſitio, quòd collato auxilio ſufficienti, SI HOMO NON RESISTAT, Deus ex ſua liberalitate confert auxilium efficax tanquam complementum actuale.

IOANNES A SANCTO THOMA tom. 2. in 1. par. D. Tho. edit. Lugd. anno 1643.

A *D quæſt.* 23. *Diſp.* 10. *art.* 3. *num.* 36. *pag.* 421. Secunda pars hujus ſecundi dicti docet pro præceptis adimplendis in adultis ſemper dari ſufficiens auxilium. Et hoc conſtat, QVIA SI HOC DEESSET NON PECCARET HOMO, vt dicit Auguſtinus loco citato, talium præceptorum non adimpletione, & ſic fruſtra eſſent præcepta. Et lib. de

ANSENIVS. Propoſit.

Aliqua Dei racepta hominibus juſtis volentibus & conantibus ſecundùm præſentes, quas habent vires, ſunt impoſſibilia: Deeſt quoque iis gratia, qua poſſibilia fiant.

gratia & lib. arbit. cap. 16. addit, *Non juberet Deus quod ſciret ab homine fieri non poſſe, quis hoc neſciat; ſed ideo jubet aliqua, quæ non poſſumus, vt nouerimus quid ab eo petere debeamus.* Vnde ſumpſit Conc. Trid. ſeſſ. 6. c. ii. illam definitionem, quòd *Deus impoſſibilia non jubet, ſed jubendo monet & facere quod poſſis, & petere quod non poſſis; & adjuuat vt poſſis.* Vbi pondero illud, *jubendo monet.* Nam in ipſa juſſione & præcepto notificato & cognito, inuoluit Concilium auxilium ſufficiens ad ejus impletionem, ſcilicet admonitionem ad faciendum quod poſſimus, quod eſt adjutorium ſeu vires, quæ ſe tenent ex parte voluntatis. Addit, ſi hæc auxilia aliquando non recipiantut, CVLPAM ESSE HOMINVM, QVI EA REIICIVNT, OFFERRI ENIM A DEO.

Ibid. num. 42. pag. 423. At verò viatores in hoc differunt à damnatis, quòd recipiunt ad bene operandum auxilium ſufficiens, non ſolùm purè ſpeculatiuum, ſed etiam affectiuum & influxiuum in voluntatem, de ſe potens ſtimulare & excitare voluntatem, quia ſunt in ſtatu conuertendi ſe ad Deum, licèt aliqui tanta admiratione cum ignauia recipiant hoc auxilium, vt non relinquant locum dati ſibi adjutorium & vires in voluntate.

Ibid. nu. 43. pag. 424. Itaque auxilium ſufficiens, quod pertinet præcisè ad rationem medii ad ſalutem, denegatur aliquando ſiue paruulis, ſiue adultis, ſine noua culpa. AVXILIVM VERO SVFFICIENS AD IMPLENDA PRÆCEPTA NON DENEGATVR ALICVI CVRRENTE SEV STANTE PRÆCEPTO.

Iterum ibi. Vnde, PHARAONI CONCESSVM EST AVXILIVM SVFFICIENS, AD IMPLENDA PRÆCEPTA DEI, quia erat in ſtatu poſſibilitatis adimplendi illa. Et generales locutiones ſcripturæ, quæ etiam quoſcumque obduratos ad pœnitentiam vocat, & eos peccare ſi non conuertantur, & theſaurizare iram ſignificat, clarè loquuntur de OBDVRATIS IN STATV POSSIBILITATIS PROXIMÆ, & currente obligatione præcepti.

Ibid. nu. 27. pag. 419. Eſt autem neceſſarium ponete tale auxilium, dans ſufficientiam & poſſe, quia ad poteſtatem & vim operandi non ſufficit ipſa capacitas obedientialis, quam

habet naturalis potentia vt eleuetur ad opera ſupernaturalia; ſed requiritur FACVLTAS PROXIMA ET PROPORTIONATA AD OPERANDVM.

Ibid. nu. 30. *col.* 2. §. Secundum eſt. Sed tamen pro omni tempore, quo inſtat adulto præceptum, non denegatur ei à Deo, ſed offertur auxilium ſufficiens ex parte ſua. *& antea ibid.* Quæ ſententia in adultis vniuerſaliùs currit, quia cùm ipſi ex propriis actibus juſtificandi ſint, multique ex iis actibus ſint in præcepto, euidentiùs ibi apparet NON POSSE AVXILIVM SVFFICIENS ILLIS DENEGARI, vt præcepto obligentur.

Antea Diſp. 5. *art.* 6. *pag.* 205. *col.* 1. *num.* 19. Homo poteſt ſeruare mandata ſine gratia efficaci; diſtinguo, quantum ad virtutem & poteſtatem ſeruandi, transeat; quantum ad applicationem potentiæ ad ſeruandum; nego; Applicatio enim datur per auxilium efficax, poſſe, per ſufficiens.

IANSENIVS 1. Propoſit. *Aliqua Dei præcepta hominibus juſtis volentibus & conantibus, ſecundum præſentes, quas habent vires, ſunt impoſſibilia: Deeſt quoque iis gratia, qua poſſibilia fiant.*

Ex teſtimoniis jam allatis conſtat, Thomiſtas gratiæ per ſeipſam efficacis Defenſores, huic 1. *Ianſenii propoſitioni contradicere in omnibus, & ſecundùm omnem modum, quo eam Ianſeniani tuentur: nam & impium vocant quod dicit Ianſenius, Deum homini præcipere aliquid impoſſibile. Et quod Ianſenius impoſſibilitatem illam petit ex eo quòd deſit gratia, Thomiſtæ excludunt, dicentes ex mente omnium Catholicorum adeſſe ſufficientem: Et quia Ianſenius defectum illum gratiæ limitat ad præſentes quas habent vires illi qui præcepta tranſgrediuntur: Thomiſtæ contrà, potiſſimum adeſſe gratiam ſignificant pro tempore & loco, quo præceptum obligat. Denique potentiam tantùm remotam poſitam in non repugnantia, vt Deus homines juuet, ſi velit, exſufflant Thomiſtæ, cùm dicunt per diuinam illam gratiam conferri reipſa potentiam, expeditam, proximam, promptam, completam, non impeditam, non ligatam, immediatam.*

IANSENIVS. 2. Propoſit. *Interiori gratia in ſtatu naturæ lapſæ nunquam reſiſtitur.*

DIDACVS ALVAREZ

locis jam citatis in præcedenti propoſitione dicit,

NVLLVM Catholicum dubitare de diuiſione gratiæ in efficacem & ſufficientem: Et ſufficientem iſtam eſſe auxilium intrinſecum & ſupernaturale; Et hoc auxilium eſſe VERE ſufficiens, & ſi non eſſet VERE ſufficiens, non imputandam peccatoribus mandatorum tranſgreſſionem: Et eſſe ſufficiens ad IMMEDIATE agendum, & ita eſſe ſufficiens, vt nullum aliud requiratur ad hoc, vt homo VERE POSSIT AGERE: Et conſtituere potentiam PROXIMAM & EXPEDITAM ad agendum. *Diſp.* 117. *de auxil. num.* 11. *& diſp.* 76. *nu.* 3. Conuenire omnes Catholicos, quòd gratia excitans exterior non ſit eadem cum gratia ſufficiente; ſufficientem enim tribuere ſufficientes vires libero arbitrio, quod non facit gratia excitans exterior.

Habemus igitur auxilium internum ſupernaturale verè ac proximè ſufficiens ad operandum & conſtituens proximam & expeditam potentiam, & tamen eff.ctu carens ex Didaco. Ergo auxilio interno, ſupernaturali, verè ſufficienti, verè conſtituenti proximam agendi potentiam in ſtatu naturæ lapſæ voluntas humana reſiſtit, ex Didaco.

Idem. 3. *Reſp. cap.* 5. Vnde hæc propoſitio, liberum arbitrium motum à Deo auxilio gratiæ ſufficientis ad conuerſionem, poteſt conuerti, ſi velit, eſt veriſſima, ETIAM IN SENSV COMPOSITO ACCEPTA.

Si eſt veriſſima, ergo qui non conuertitur reſiſtit interiori gratiæ, ſufficientiſſimæ ad conuerſionem.

Idem Diſp. 71. *de auxil. nu.* 3. Sanctus Stephanus dixit Iudæis, *vos ſemper Spiritui ſancto reſtitiſtis*, apertè ſignificans quibuſdam inſpirari bona deſideria, vt conuerti poſſint, QVIBVS TAMEN SVA MALITIA RESISTVNT: ſi enim per illam vocationem Spiritus Sancti non poſſent conuerti, non fuiſſent à Stephano reprehenſi Iudæi, QVIA RESTITERVNT.

Idem ibid. Item Iſaiæ 5. ſic loquitur Dominus, *Habitatores Hieruſalem, &c.* ex quibus conſtat Iudæos, quos reprehendit Dominus, gratiam efficacem non habuiſſe, aliàs feciſſent vtique fructum bonum: habuerunt autem gratiam VERE SVFFICIENTEM, per quam conuerti potuerunt, & fructus dignos pœnitentiæ facere, aliàs non reprehendiſſet Dominus, quòd vuas non produxerint, ſed labruſcas.

IANSENIVS. 2. Propoſit. *Interiori gratia per Chriſtum in ſtatu naturæ lapſæ nunquam reſiſtitur.*

Et Diſp. 112. *nu.* 5. Dari auxilium ſupernaturale intrinſecum neceſſarium ad implenda præcepta: & ab omnibus recipi ſaltem pro loco & tempore, quo præceptum obligat. *Igitur qui præcepta tranſgrediuntur reſiſtunt intrinſeco & ſupernaturali auxilio.*

GONCALEZ
in 1. par. D. Th.

D*Iſp.* 57. *ſect.* 3. *nu.* 47. *De iis quorum pœnitentia non eſt à Deo prædefinita*, Quod tamen non impedit, quominus ſi vellent agerent pœnitentiam, quia per auxilium ſufficiens HABENT IN SVA POTESTATE EXPEDITA actum pœnitendi.,...Quare ſuâ culpâ omittunt actum pœnitentiæ.

Ibid. Diſp. 58. *ſect.* 1. *nu.* 16. Quare indubiè tenendum eſſe cenſeo, voluntatem creatam ſolùm ſufficienter adjutam à Deo, habere VLTIMVM COMPLEMENTVM POTENTIÆ ACTIVÆ..... Et totam illam virtutem, quæ ſufficit & requiritur vt in actu primo ſit VLTIMATE COMPLETA ET PROXIME EXPEDITA ad conſentiendum Deo vocanti, ſi velit. QVARE EX SVA MALITIA NON VVLT, non verò ex defectu principii proximi, vltimatè compleri.

Ibid. Diſp. 77. *ſect.* 3. Inſtante occaſione temporis, quo obligat præceptum naturale aut ſupernaturale, Deus de facto dat cuicumque viatori auxilium ſufficiens, proportionatum, extrinſecum & INTRINSECVM, vt poſſit ſi velit tale præceptum adimplere. Ita vt nullus excuſari poſſit à tranſgreſſione præcepti, ob defectum auxilii ſufficientis, &c. *Igitur omnis tranſgreſſor reſiſtit interno auxilio.*

IANSENIVS. 2. Propoſit. *Interiori gratia per Chriſtum in ſtatu naturæ lapſa nunquam reſiſtitur.*

Ibid. ſect. 3. *nu.* 27. Ad quartum patet quòd peccatoribus quantumcumque obduratis, non denegantur auxilia ſufficientia, pro loco & tempore, pro quo currit obligatio præcepti: *Igitur etiam illi reſiſtunt internæ gratiæ.*

IOANNES PAVLVS NAZARIVS ad. qu. 27. 1. par. art. 3. Controuerſ. 2. pag. 840. edit. Bononienſis anni 1620.

EST autem auxilium ſufficiens idem quod gratia excitans, quatenus in ſe comprehendit non ſolùm externam illuminationem, quæ fit per ſcripturas, Doctores & Miracula, ſed comprehendit etiam INTERNAM INTELLECTVS ILLVMINATIONEM, quæ fit à Deo, & MOTIONEM DEI SVPERNATVRALEM, receptam in voluntate. *Internæ igitur & ſupernaturali motioni reſiſtunt qui non habent gratiam efficacem.*

Ibid. 3. *controu. pag.* 851. *col.* 7. Sextò recolendum eſt id quod annotauimus in præcedenti controuerſia, ex D. Th. 3. con. Gen. c. 159. nimirum quòd licèt homo per motum liberi arbitrii non poſſit mereri & adipiſci gratiam, poteſt tamen impedimentum ponere gratiæ ſuſcipiendæ; nam de quibuſdam dicitur Iob. 21. *Dixerunt Deo, recede à nobis;* & cap. 24. *Rebelles fuerunt lumini.* Ex quo ſequitur primò vt homini qui DIVINÆ GRATIÆ RESISTIT SVSCIPIENDÆ meritò imputetur ad culpam, quòd eam non ſuſcipiat.

Ibid. col. 2. Piè creditur Deum homini in ſyluis vel inter bruta enutrito auxilium quoddam conferre SVPERNATVRALE; vt naturæ legem non violet, ſed obſeruet: *Quod ſi faciat*, certiſſimè tenendum eſt Deum illi per internam inſpirationem reuelaturum ea quæ ſunt ad credendum neceſſaria, vel aliquem fidei prædicatorem ad eum miſſurum.... Quòd ſi datum illi diuinitùs auxilium contemnat per peccatum, contra legem naturæ commiſſum, hoc ipſo incapax altioris redditur adjutorii, vt apertè docet S. Thom. *Quot ſunt qui auxilium illud contemnunt, ac proinde qui diuinæ gratiæ ſupernaturali & internæ reſiſtunt?*

Ibid. pag. 852. *col.* 1. Quarta concluſio. Omnibus venientibus ad vſum rationis Deus confert ſupernaturale auxilium intrinſecum, inſtigans ad bonum. Hæc concluſio eſt D. Th. &c. *An ſequuntur omnes illam inſtigationem? An non igitur multi auxilio ſupernaturali intrinſeco reſiſtunt?*

IANSENIVS. 2. Propoſit. *Interiori gratiæ per Chriſtum in ſtatu naturæ lapſæ nunquam reſiſtitur.*

Ibid. col. 2. S. Auguſtinus & S. Thomas non intendunt negare conferri à Deo ſufficiens auxilium, etiam obduratis, & excæcatis, vt à peccato reſurgant.... Sæpe loquuntur de ſubtractione auxilii efficacis; *Reſiſtunt igitur interiori gratiæ etiam obdurati & excæcati.*

Ibid. ar. 5. *controu.* 3. *p.* 879. Et nota humanam voluntatem receptis communibus auxiliis opponendo Diuinæ gratiæ obicem ſiue impedimentum peccati, præuenire ſecundùm ordinem executionis effectum Diuinæ voluntatis, ex ſe paratæ ad conferendam gratiam, aut majora auxilia, SICVT QVI RECEPTO INTRA DOMVM NASCENTIS AVRORÆ FVLGORE, antequam appareant Solis radii, feneſtram clauderet, diceretur ſolis illuſtrationem obſtaculo oppoſito præueniſſe. Ex quo apparet injuſtas eſſe querelas eorum, qui dicunt, ſi voluit Deus me non eligere ad gloriam &c. *Solis radios non videt, qui non videt hominem hic interiori gratiæ reſiſtentem.*

DIDACVS NVGNEZ CABEZVDO tract. de Auxiliis ad quæſt. 72. 3. par. art. 5.

QVÆST. 2. *pag.* 87. *col.* 1. Si verò non orat *homo, quando neceſſaria eſt oratio*, non imputatur ei quòd non habet auxilium efficax ad orandum: ſed imputatur ei ipſum non orare, quia hoc ipſum eſt de quo habet præceptum: & licèt non receperit auxilium efficax, RECEPIT TAMEN AVXILIVM SVFFICIENS, per quod ſimpliciter loquendo, potuit orare.

Id. ib. tom. 2. *ad art.* 1. *quæſt.* 86. *col.* 2. Sententia *quæ dicit excæcatis & obduratis negari auxilia ſufficientia ad agendum pœnitentiam*, communiter damnatur, tanquam maximè temeraria, & proxima errori.... Vt jacet etiam erronea mihi videtur.

IANSENIVS.

2. Propoſit. *Interiori gratiæ per Chriſtum in ſtatu naturæ lapſæ nunquam reſiſtitur.*

Ibid. Fides eſt, ita vt oppoſitum ſit hæreſis, quòd omnihomo, dum eſt in via poteſt ſimpliciter loquendo pœnitentiam agere, atque adeò quòd omnibus dantur auxilia ſufficientia, vt poſſint pœnitere.

Ibid. Quòd dicitur, illuminat omnem hominem, &c. intelligitur etiam de ILLVMINATIONE SVPERNATVRALI.

Ibid. pag. 64. Apoſtolus cùm dicit, *Tu autem ſecundùm duritiam tuam & impœnitens cor tuum theſaurizas tibi iram, in die iræ,* LOQVITVR VNIVERSALITER..... Et nihil valet ſolutio, quòd excipiantur ab iſta regula EXCÆCATI ET OBDVRATI.

Ibid. Etiam Pharao habuit multa auxilia, quibus potuit credere & conuerti.

Ibid. pag. 65. *col.* 1. Qui non recipit auxilium efficax, eſt potens ad operandum, etiam PER PRINCIPIVM INTRINSECVM, ejuſdem ordinis cum operatione ſupernaturali: idcirco non excuſatur à peccato.

Ibid. Veniens ad vſum rationis peccat contra legem naturæ, non ſe conuertendo, quia ad iſtam conuerſionem habet principium ſufficiens; *Hinc colligitur quoties exiſtimet hic Auctor ab hominibus reſiſti interiori gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ.*

PETRVS LEDESMA.

HIC *quoque, vt in ſuperiori propoſitione monſtratum eſt, tenendum putat* ſecundùm fidem dari auxilium ſufficiens diſtinctum ab efficaci, & illud eſſe ſufficiens IN OMNI RIGORE, & eſſe ſupernaturale intrinſecum, & eleuare potentiam ad operationem ſupernaturalem, & dari in omni occaſione, quâ vrget obligatio præcepti, ad cujus obſeruationem neceſſarium eſt. *Igitur quicumque peccat non obediendo præceptis hujuſmodi, reſiſtit interno & ſupernaturali auxilio, juxta Ledeſmam.*

Adde quod dicit art. 13. *pag.* 276. Ex quibus locis conſtat Deum extendere manum, pulſare ad oſtium cordis, & alia ſimilia facere, quod eſt præbere auxilium ſufficiens, vt homines poſſint conuerti: ET TAMEN ALIQVANDO RESISTVNT.

Ibid.

Ibid. pag. 277. Multi peccant, EO QVOD DESINT GRATIÆ DEI: *Et paulò antè*, qui permittitur peccare, habet auxilium ad non peccandum. *Reſiſtunt igitur auxilio, ad non peccandum dato.*

IANSENIVS 2. Propoſit *Interiori gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ nunquam reſiſtitur.*

Ibid. art. 16. *col.* 1. Reſiſtere contingit dupliciter, vno modo poſitiuè, quia homo illuminatur ab ipſo Deo & excitatur per diuinam gratiam, ET RESISTIT HOMO ILLI poſitiuè, opponendo impedimentum Diuinæ gratiæ. Alio modo poteſt eſſe reſiſtentia, non quidem poſitiua, ſed negatiua, &c.

Ibid. ad 3. Pharaonem habuiſſe ſimile auxilium atque Nabuchodonoſorem, vt poſſet conuerti.

Ibid. Etiam induratis tribuere Deum auxilium intrinſecum. *At Pharao & indurati ſequunturne impulſum hujuſmodi auxilii? Reſiſtunt igitur interiori*

BALTHASAR NAVARRETE.

AD *quæſt.* 19. 1. *par. ar.* 8. *controu.* 19. Licèt auxilium ſufficiens ſæpenumero præcedat tempore actualem operationem, tamen non tribuitur per modum habitus, ſed per modum impellentis ex parte ſua ad operationem, CVI TAMEN IMPVLSVI MVLTOTIES RESISTIT; Aſſerit ergo noſtra propoſitio, quòd collato auxilio ſufficienti SI HOMO NON RESISTAT, Deus ex ſua liberalitate confert auxilium efficax, tanquam complementum actuale.

IOANNES A SANCTO THOMA

tom. 2. *in* 1. *par. antea citato.*

AD *quæſt.* 23. *Diſp.* 10. *art.* 3. *num.* 41. *pag.* 423. Non eſt in dictis D. Thomæ contrarietas; quia in primo inſtanti vſus rationis, omnes accipiunt ſufficiens auxilium ad acceptandam legem, & ad res fidei implicitè tunc propoſitas.... Sed non omnibus proponuntur res fidei in particulari & determinatè, & ſic non accipiunt ſufficiens auxilium ad explicitè & parti-

ANSENIVS. Propoſit. *Interiori gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ nunquam reſiſtitur.*

cularitcr credendum; neque ſub motiuo fidei Diuinæ: & hoc ex culpa ſua, quia RESISTVNT priori auxilio, nec volunt acceptare legem, neque conuerti ad Deum.

Et ante a nu. 27. *pag.* 419. *col.* 1. Intrinſeca neceſſaria ad conſtituendum auxilium ſufficiens ſunt duo, ex parte intellectus, notitia: ex parte voluntatis, facultas, ſeu proportionatæ vires vt ſufficientiam & poteſtatem quis habere dicatur ad aliquid faciendum. Nam voluntas nihil poteſt operari, niſi præſupponendo cognitionem ex parte intellectus, & in ſe habendo virtutem & adjutorium proportionatum operi ſupernaturali faciendo, & ſic vtrumque eorum pertinet ad ſufficiens auxilium.

Adde quod dicit poſtea nu. 42. *pag.* 423. Auxilium ſufficiens viatorum eſſe affectiuum & influxiuum in voluntatem. *Loquitur autem de auxilio ſufficienti, prout ab efficaci diſtinguitur, vt conſtat ex nu.* 27. *pag.* 418. *Datur ergo auxilium ſufficiens intrinſecum, illuminatiuum & affectiuum, quod caret effectu. Et licèt dicat aliquos inſigniter obſtinatos impedire ſe ne recipiant affectiuum illud auxilium in voluntate; ſupponit tamen multos hoc non impedire, ac proinde hi reſiſtunt etiam auxilio in voluntate recepto. Obſtinati verò illi habuerunt auxilium proximè ſufficiens, etiam in voluntate, vt non ita obſtinarentur & Dei gratiam repellerent.*

Et antea Diſput. 5. *art.* 6. *pag.* 216. *col.* 1. *nu.* 54. Reſpondeo non fruſtrari auxilium ſufficiens à nobis, quoad ſuum effectum formalem, quem præbet nobis, ſed FRVSTRARI QVOAD SVVM FINEM, PROPTER QVEM DATVR NOBIS ſecundùm voluntatem Dei antecedentem. Hoc enim manet fruſtratum. Quia ipſum auxilium dat potentiam ad actum, ET CARET ACTV; fruſtratur ergo fine, licèt non effectu formali.

Et antea Diſp. 3. *ar.* 5. *pag.* 98. *col.* 2. *nu.* 27. *Diſcrimen Caluini errantis à Thomiſtis ita explicat.* Caluinus autem quia potentiam liberam negauit, & totàm operationem ita voluit eſſe à gratia, quòd non à nobis liberè operantibus, ideo ante efficaciam gratiæ, potentiam denegauit liberam, NEC VOLVIT ESSE ALIVD AVXILIVM SVFFICIENS, QVAM EFFICAX.

Diſp. 5. *art.* 6. *pag.* 218. *col.* 1. *nu.* 60. Quòd ſi Deus noluerit

dare auxilium efficax, iſte non manebit potens, diſtinguo; ſi noluerit dare abſolutè & ex ſe tollendo illud, concedo: ſi non dederit ex aliquo impedimento voluntario, putà ex eo quòd voluntariè homo occupatur circa alium, & habet applicationem quoad illum, nego. Tunc enim Deus non denegat auxilium illud efficax, niſi propter impedimentum voluntarium ipſius hominis. *Et deinde.* Vndè imputatur ſibi, ſi operetur contra præceptum, etiam ſi non habeat auxilium efficax ad illud. Quia non habere eſt ex impedimento quod voluntariè præſtat, occupando ſe circa aliud voluntariè & reddendo ſe incompoſſibilem & repugnantem illi auxilio efficaci, &c.

IANSENIVS 2. Propoſit. *Interiori gratia in ſtatu naturæ lapſæ nunquam reſiſtitur.*

Idem paulò antè nu. 38. Deficere applicationem illam, quæ fit per auxilium efficax, deficientiâ voluntariâ, ideóque ESSE IN MANV MEA, & ſic non deficere ſimpliciter aliquid requiſitum ad illum primum actum, niſi quia volo.

Diſp. 5. ar. 7. pag. 202. col. 2. nu. 10. Quare ſi illa probatio Concilii (Senonenſis) aliquam vim habet, dicendum eſt quòd reuera probationem ſumit non ex reſiſtentia facta auxilio efficaci (hoc enim ſtare non poteſt) ſed facta auxilio ſufficienti: & vis illius reducitur ad hoc. DE FACTO RESTITERVNT IVDÆI SPIRITVI SANCTO EOS MONENTI PER AVXILIVM SVFFICIENS: Ergo in ſe habet homo potentiam reſiſtendi auxilio ſufficienti; ſed hanc potentiam non lædit auxilium efficax .....: Ergo cum auxilio efficaci manet potentia reſiſtendi.

Ex his conſtat Thomiſtas gratiæ per ſeipſam efficacis Defenſores vnanimi conſenſu putare dari gratiam actualem, internam, ſupernaturalem, per quam conſtituatur proxima bene agendi potentia, cui homines reſiſtant, cùm poſſint conſentire: Atque hoc putare cum principiis fidei neceſſariò connexum eſſe. Itaque damnandam cenſere ſecundam Ianſenii propoſitionem.

ANSENIVS. Propoſit. *Interiori gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ nunquam reſiſtitur.*

culariter credendum ; neque ſub motiuo fidei Diuinæ : & hoc ex culpa ſua, quia RESISTVNT priori auxilio, nec volunt acceptare legem, neque conuerti ad Deum.

Et antea nu. 27. *pag.* 419. *col.* 1. Intrinſeca neceſſaria ad conſtituendum auxilium ſufficiens ſunt duo, ex parte intellectus, notitia: ex parte voluntatis, facultas, ſeu proportionatæ vires vt ſufficientiam & poteſtatem quis habere dicatur ad aliquid faciendum. Nam voluntas nihil poteſt operari, niſi præſupponendo cognitionem ex parte intellectus, & in ſe habendo virtutem & adjutorium proportionatum operi ſupernaturali faciendo, & ſic vtrumque eorum pertinet ad ſufficiens auxilium.

Adde quod dicit poſtea nu. 42. *pag.* 423. Auxilium ſufficiens viatorum eſſe affectiuum & influxiuum in voluntatem. *Loquitur autem de auxilio ſufficienti, prout ab efficaci diſtinguitur, vt conſtat ex nu.* 27. *pag.* 418. *Datur ergo auxilium ſufficiens intrinſecum, illuminatiuum & affectiuum, quod caret effectu. Et licèt dicat aliquos inſigniter obſtinatos impedire ſe ne recipiant affectiuum illud auxilium in voluntate; ſupponit tamen multos hoc non impedire, ac proinde hi reſiſtunt etiam auxilio in voluntate recepto. Obſtinati verò illi habuerunt auxilium proximè ſufficiens, etiam in voluntate, vt non ita obſtinarentur & Dei gratiam repellerent.*

Et antea Diſput. 5. *art.* 6. *pag.* 216. *col.* 1. *nu.* 54. Reſpondeo non fruſtrari auxilium ſufficiens à nobis, quoad ſuum effectum formalem, quem præbet nobis, ſed FRVSTRARI QVOAD SVVM FINEM, PROPTER QVEM DATVR NOBIS ſecundùm voluntatem Dei antecedentem. Hoc enim manet fruſtratum. Quia ipſum auxilium dat potentiam ad actum, ET CARET ACTV; fruſtratur ergo fine, licèt non effectu formali.

Et antea Diſp. 3. *ar.* 5. *pag.* 98. *col.* 2. *nu.* 27. *Diſcrimen Caluini errantis à Thomiſtis ita explicat.* Caluinus autem quia potentiam liberam negauit, & totàm operationem ita voluit eſſe à gratia, quòd non à nobis liberè operantibus, ideo ante efficaciam gratiæ, potentiam denegauit liberam, NEC VOLVIT ESSE ALIVD AVXILIVM SVFFICIENS, QVAM EFFICAX.

Diſp. 5. *art.* 6. *pag.* 218. *col.* 1. *nu.* 60. Quòd ſi Deus noluerit

dare auxilium efficax, iſte non manebit potens, diſtinguo; ſi noluerit dare abſolutè & ex ſe tollendo illud, concedo: ſi non dederit ex aliquo impedimento voluntario, putà ex eo quòd voluntariè homo occupatur circa alium, & habet applicationem quoad illum, nego. Tunc enim Deus non denegat auxilium illud efficax, niſi propter impedimentum voluntarium ipſius hominis. *Et deinde.* Vnde imputatur ſibi, ſi operetur contra præceptum, etiam ſi non habeat auxilium efficax ad illud. Quia non habere eſt ex impedimento quod voluntariè præſtat, occupando ſe circa aliud voluntariè & reddendo ſe incompoſſibilem & repugnantem illi auxilio efficaci, &c.

IANSENIVS. 2. Propoſit. *Interiori gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ nunquam reſiſtitur.*

Idem paulò antè nu. 58. Deficere applicationem illam, quæ fit per auxilium efficax, deficientiâ voluntariâ, ideóque ESSE IN MANV MEA, & ſic non deficere ſimpliciter aliquid requiſitum ad illum primum actum, niſi quia volo.

Diſp. 5. *ar.* 7. *pag.* 202. *col.* 2. *nu.* 10. Quare ſi illa probatio Concilii (Senonenſis) aliquam vim habet, dicendum eſt quòd reuera probationem ſumit non ex reſiſtentia facta auxilio efficaci (hoc enim ſtare non poteſt) ſed facta auxilio ſufficienti: & vis illius reducitur ad hoc. DE FACTO RESTITERVNT IVDÆI SPIRITVI SANCTO EOS MONENTI PER AVXILIVM SVFFICIENS: Ergo in ſe habet homo potentiam reſiſtendi auxilio ſufficienti; ſed hanc potentiam non lædit auxilium efficax ..... Ergo cum auxilio efficaci manet potentia reſiſtendi.

Ex his conſtat Thomiſtas gratiæ per ſeipſam efficacis Defenſores vnanimi conſenſu putare dari gratiam actualem, internam, ſupernaturalem, per quam conſtituatur proxima bene agendi potentia, cui homines reſiſtant, cùm poſſint conſentire: Atque hoc putare cum principiis fidei neceſſariò connexum eſſe. Itaque damnandam cenſere ſecundam Ianſenii propoſitionem.

IANSENIVS.

3. Propoſit. *Ad merendum & demerendum in ſtatu naturæ lapſæ non requiritur in homine libertas à neceſſitate, ſed ſufficit libertas à coactione.*

DIDACVS ALVAREZ
in tract. de Auxiliis Diuinæ Gratiæ.

DISP. 92. nu. 8. *Concilium Senonenſe & Tridentinum definiuiſſe dicit contra hæreſim Lutheranorum*, quòd IN INSTANTI in quo liberum arbitrium mouetur à Deo efficaciter, manet in eo LIBERA ET EXPEDITA FACVLTAS, qua poteſt non operari, ſi velit.

Idem 2. *Reſponſ. c.* 1. *nu.* 54. Senſus compoſitus non eſt ille, qui in argumento inſinuatur, quòd videlicet quando gratia eſt in voluntate, non poſſit voluntas non agere actum illum, ad quem determinatur, ablata verò motione poſſit non agere, hic enim ſenſus CONFICTVS FVIT A CALVINO, &c. Quando ergo S. Thomas & ejus diſcipuli dicunt, &c..... Nihil aliud intelligunt quàm motionem illam efficacem & actualem diſſenſum non poſſe ſimul poni in eodem arbitrio.

Ibid. cap. 4. *nu.* 9. *dicit*, Caluinum in eo deceptum, quia putauit illam propoſitionem, *Liberum arbitrium motum à Deo gratia efficaci non poteſt diſſentire in ſenſu compoſito*, nihil aliud ſignificare, niſi quòd poſtquam jam gratia efficax in voluntate poſita eſt, non poſſit liberum arbitrium diſſentire ac refragari; ablatâ verò gratiâ, poſſit..... Nos autem multò aliter intelligendum eſſe compoſitum ſenſum illius propoſitionis contendimus. Non enim per illam ſignificatur, quòd quando eſt motio efficax in homine, tunc non poſſit diſſentire ac refragari, ablatâ verò motione, poſſit. Si enim hoc ſemel concederetur, ABSQVE DVBIO EVERTERETVR LIBERTAS ARBITRII, nec poſſet per diſtinctionem illam ſenſus compoſiti & diuiſi concordari cum decreto abſoluto voluntatis Diuinæ, prædeterminantis omnes actus bonos futuros: nec cum efficacia auxilii præoperantis gratiæ. Senſus ergo legitimus illius propoſitionis in ſenſu compoſito acceptæ eſt, hæc duo ſimul eſſe incompoſſibilia, quòd ni-

mirum auxilium efficax ad conſentiendum ſit in homine, & homo diſſentiat.

Idem diſp. 117. *de auxil. nu. ii.* Ad 3. Reſpondetur quòd potentia poteſt dupliciter dici proxima & expedita ad operandum, primò, quia nihil aliud requiritur ex parte ipſius potentiæ, quo in actu primo conſtituatur ad actualiter operandum, ſiue ad volendum & nolendum, & hoc modo liberum arbitrium poſitis omnibus requiſitis ad operandum poteſt POTENTIA PROXIMA ET EXPEDITA operari & non operari, velle & nolle. Vnde S. Th. 1. p. quæſt. 83. ar. 2. ad 2. ait quòd facultas nominat quandoque potentiam EXPEDITAM ad operandum; ET SIC PONITVR IN DEFINITIONE LIBERI ARBITRII: ſecundo modo poteſt dici facultas proxima & expedita ad operandum; quia in ſua operatione non dependet ab alia priori cauſa, tribuente ipſam cooperationem, vel actualiter concurrente: & in hoc ſenſu, nulla cauſa ſecunda quantumuis ponatur perfecta, eſt ſecundùm ſe & ſecluſâ præmotione diuinâ expedita ad operandum.

IANSENIVS. 3. Propoſit. *Ad merendum & demerendum in ſtatu naturæ lapſa non requiritur in homine libertas à neceſſitate, ſed ſufficit libertas à coactione.*

Idem lib. 4. Reſponſ. cap. 1. *nu.* 10. Cæterùm in voluntate hominis cum omnibus prærequiſitis etiam ex parte Dei vt actualiter velit, tale objectum per judicium rationis ſibi propoſitum, ſtat ſimul & conſeruatur illæſa vera facultas, quâ poteſt nolle idem objectum aut velle contrarium, vt dictum eſt; & ideo tam agere, quàm non agere eſt in poteſtate voluntatis..... Nec enim vt voluntas agens medio judicio rationis indifferenti poſſit non agere, ſi velit, requiritur quod varietur tale judicium, vel auferatur, vt argumentum ſupponit. Nam CVM EODEM IVDICIO & omnibus prærequiſitis vt voluntas conſentiat in tale objectum, manet in eadem voluntate EXPEDITA FACVLTAS, QVA POSSIT DISSENTIRE, SI VELIT.

Ibid. nu. 13. Quia ergo cum auxilio efficaci præmouente ad aliquam actionem ſaluatur in libero arbitrio EXPEDITA facultas, qua poſſit diſſentire ſi velit, ideo poteſt illi imputari & imputatur ad culpam, ſi non abſtineat ab actu prohibito, vel ſi non operetur actum bonum & pium, qui eſt in præcepto, quem tamen per auxilium ſufficiens poteſt facere, ſi velit, & ſuâ culpâ noluit facere.

Iterum diſp. 23. *de auxiliis nu.* 28. Ad id autem quod dicitur

IANSENIVS. 3. Propoſit. *Ad merendum & demerendum in ſtatu naturæ lapſæ non requiritur in homine libertas à neceſſitate, ſed ſufficit libertas à coactione.*

quia poſt receptam motionem efficacem, voluntas neceſſariò prodit in opus, ita vt non poſſit non operari; Reſpondetur quòd ſimpliciter loquendo non exit voluntas in opus NECESSARIÒ, ſed liberè, etiam poſt acceptam motionem: ET SIMPLICITER POTEST NON OPERARI TOTO TEMPORE, QVO HABET ILLAM MOTIONEM. NAM MOTIO PRÆDETERMINANS NON AVFERT A VOLVNTATE PROXIMAM POTENTIAM AD ACTVM OPPOSITVM.

Adde quòd diſp. 95. nu. 9. diſertè negat amorem beatificum eſſe actum liberum libertate arbitrii, defectu proximæ hujus indifferentiæ: & quod ad primam propoſitionem ſuprà relatum eſt, ſine auxilio ſufficienti ad immediatè credendum, non poſſe imputari peccatum incredulitatis.

GONÇALEZ DE ALBELDA.

DISP. 57. *in* 1. *p. nu.* 48. Conſtantiſſimè aſſerimus CONTRA HÆRETICOS CALVINISTAS, quòd voluntas noſtra poteſt non ſequi ſi velit motionem efficacem Dei. Efficacia enim diuinæ motionis non conſiſtit in hoc quòd tollat à voluntate noſtra liberam & expeditam facultatem eam abjiciendi, ſi velit: ſed in eo quòd de facto eam non abjiciat, cùm poſſit. Vult enim Deus decreto ſuo abſoluto vtrumque, videlicet quòd liberum arbitrium noſtrum ſequatur motionem ejus efficacem, & quòd habeat liberam & expeditam facultatem ad non ſequendum, ſi velit.

Ibid. nu. 51. *Ly* poteſt, *cùm dicitur voluntas poſſe diſſentire motioni efficaci*, ſumi ſemper pro potentia PROXIMA ET EXPEDITA.

Ibid. nu. 54. *dicit neceſſitatem agendi, quæ ſequitur ex ſuppoſitione gratiæ efficacis*, eſſe tantùm cum habitudine ad noſtrum liberum arbitrium, VT EXPEDITA INDIFFERENS AD OPPOSITVM: Et liberum arbitrium eſſe PROXIME ET EXPEDITE INDIFFERENS AD VTRVMLIBET.

Diſp. 58. *Sect.* 3. *nu.* 34. Illud verbum, *cùm dicitur voluntas poſſe diſſentire gratiæ efficaci*, non denotare quòd ſemotâ præmotione efficaci, proximè & expeditè poſſit diſſentire, ſi velit: ſed de-

notare, quòd etiam ſtante illâ, POTEST PROXIME ET EXPEDITE DISSENTIRE, SI VELIT.

Ibid. nu. 36. Cùm liberum arbitrium ſic excitatum, ſit proximè & expeditè indifferens ad vtrumlibet (aliàs liberum arbitrium non eſſet) NON IMPLICAT ABSOLVTE, SIMVL PONI DISSENSVM CVM ILLO SIC EXCITATO.

Ibid. nu. 38. Non inclinat determinatè ad vnum, quaſi per modum naturæ, ſed CVM INDIFFERENTIA LIBERA ET EXPEDITA AD OPPOSITVM..... Ita mouet vt concurrat per modum libertatis CVM INDIFFERENTIA EXPEDITA ad oppoſitum.

Ibid. diſp. 61. *nu.* 5. Liberum arbitrium tam in Deo, quàm in hominibus definitur, quòd ſit poteſtas rationis & voluntatis vnum præ alio eligendi, aut vnum & idem acceptandi & reſpuendi...... Ex eo autem quòd dicitur vnum præ alio, habetur hanc poteſtatem debere eſſe CVM INDIFFERENTIA, quæ maneat ex parte principii, ETIAM DVM EXERCETVR ACTIO..... Contra rationem liberæ facultatis eſſe, vt ad agendum, ſiue ex parte principii formaliter, ſiue ex parte conditionis, requiratur aliquid præuium, quo poſito, indifferentia omnis tollatur. Patet ex dictis, quia libertas formaliter in hac præuia, ſeu per modum principii POTESTATE INTRINSECE INDIFFERENTI ſita eſt. Quidquid ergo præuiè omnino determinat ad vnum, & omnino indifferentiam intrinſecam aufert, libertatem tollit.

Ibid. diſp. 75. *Sect.* 2. *nu.* 41. Ex his colliges, candide Lector, quòd immeritò Aduerſarii, cum quibus hîc agimus, nobis imponunt, quòd aſſeramus gratiam præuenientem prædeterminare OMNINO ad vnum voluntatem noſtram..... cùm potiùs firmiſſimè teneamus oppoſitum: Nempe voluntatem noſtram per gratiam præuenientem efficacem, qua à Deo excitatur & mouetur, NON PRÆDETERMINARI OMNINO AD VNVM, & ejuſmodi gratiam præuenientem non tollere à voluntate noſtra POSSIBILITATEM PROXIMAM ET EXPEDITAM ad oppoſitum, ETIAM STANTE TALI GRATIA PRÆVENIENTE EFFICACI..... Et hinc facilis via aperitur ad conuincendos & reducendos

IANSENIVS 3. Propoſit. *Ad merendum & demerendum in ſtatu naturæ lapſæ non requiritur in homine libertas à neceſſitate, ſed ſufficit libertas à coactione.*

ANSENIVS. Hæreticos Lutheranos & Caluiniſtas, qui vſum noſtræ liber- · Propoſit. tatis dicunt deſtrui ex efficacia Diuinæ gratiæ.

Ad merendum & demerendum in ſtatu naturæ lapſæ non requiritur in homine libertas à neceſſitate, ſed ſufficit libertas à coactione.

Adde quæ allata ſunt ſuprà ad 1. propoſitionem, ideo non excuſari peccatorem à tranſgreſſione præcepti, quia habet auxilium ſufficiens ad illud implendum; *& ideo* ſuâ malitiâ illud omittere, quia habet potentiam vltimatè completam vt obſeruare poſſit.

IOANNES PAVLVS NAZARIVS ad quæſt. 19. 1. p.

ART. 1. *controu. vnica.* Ex quibus omnibus talis poteſt conſtrui definitio. Liberum arbitrium, eſt voluntas, prout eſt electiua ex judicio rationis ad diuerſa indifferenti, POTENS AGERE ET NON AGERE.... ſed jam communiter eſt recepta liberi arbitrii *definitio*, quod eſt potentia libera, quæ poſitis omnibus requiſitis ad agendum, habet in ſua poteſtate AGERE ET NON AGERE HOC VEL ILLVD.

Et deinde. Tertiò explicandum eſt quid ſit poſſe agere & non agere; & agere hoc vel illud aut oppoſitum, quòd nihil aliud eſt, quàm habere potentiam contradictionis & contrarietatis; Ex quibus prior dicit libertatem quoad exercitium, poſterior quoad ſpecificationem actus. Nec quælibet potentia contradictionis ſatis eſt vt ſit potentia libera, ſed requiritur potentia contradictionis, quæ IN EODEM INSTANTI, NON TAMEN PRO EODEM CONIVNCTIM, SED DIVISIM HABET IN SVA FACVLTATE VTRAMQVE CONTRADICTIONIS PARTEM..... Nam ea potentia, quæ ſucceſſiuè tantùm potens eſt ad agendum & non agendum, vt ſcilicet nunc poſſit agere & poſtea poſſit non agere, LIBERA POTENTIA NON EST. Nam & res rationis expertes aliquando poſſunt agere & aliquando non agere, vt patet de brutis ſponte ſe mouentibus, & quandoque à motu ceſſantibus. Eſt igitur de ratione potentiæ liberæ, vt poſitis omnibus ad agendum requiſitis, modo ſuperiùs allato explicato, PROMPTAM habeat & EXPEDITAM ad

ad operandum facultatem, poſſitque ſeipſam ad agendum applicare, aut ſe ab agendo continere IN VNO ET EODEM INSTANTI, licèt non pro eodem.

Addit ibidem, habere potentiam PROXIMAM ad exercitium ſuæ libertatis, quia poſitis omnibus ad agendum requiſitis, poteſt agere & non agere, agere hoc vel illud.

Ibid. quæſt. 20. *art.* 4. *controu.* 2. Deus cauſas neceſſarias ita mouet, vt neceſſitate quadam ad vnum determinet. Has verò (*liberas*) nullâ impoſitâ neceſſitate præmouet ad ſingulos actus determinatè. Ita vt non in ſolius Dei poteſtate & operatione, SED IN AGENTIS LIBERI FACVLTATE POSITA SIT actionis determinatio.

Ibid. Hoc ipſo quòd Deus conſtituit dare influxum juxta modum & naturam liberi arbitrii, conſtituit etiam dare. 1. offert & dat influxum SIMPLICITER INDIFFERENTEM, quia vt modificatur libertate voluntatis indifferens eſt, quamuis in ordine ad diuinæ voluntatis efficacitatem ac prouidentiam Dei infallibilem non ſit indifferens, ſed infallibilis, & ideo determinatus determinatione, non deſtruente libertatem.

Ibid. quæſt. 22. *ar.* 4. Nedum in ſenſu diuiſo, ſed etiam in ſenſu compoſito, voluntas cum tali motione eſt INDIFFERENS AD VTRVMQVE OPPOSITVM.

Ibid. Diuinus influxus impellit ad mouendum ſimul cum voluntate ſeipſam mouente: & licèt inferat actum infallibiliter, poteſt tamen voluntas, antequam ſit per actualem impulſum in actu ſecundo, RESISTERE, ET EFFECTVM ILLIVS IMPEDIRE, CVM SIT INDIFFERENS AD VTRVMQVE OPPOSITVM.

Ibid. ad quæſt. 14. *ar.* 13. *controu.* 6. Ex dictis ſequitur neceſſitatem ſenſus compoſiti, QVÆ EST ETIAM NECESSITAS SVPPOSITIONIS, non ſic eſſe intelligendam, vt ſtante v. c. præſcientia Dei de locutione futura, nulla maneat contingentia, indifferentia ſiue libertas in cauſa, videlicet in voluntate ad loquendum, vel non loquendum. Hic enim ſenſus nedum falſus eſt, SED ETIAM HÆRETICVS. Nam quid prodeſt quòd mea voluntas abſolutè, ſiue ſecundùm naturam ſuam conſiderata, libera ſit ad legendum, vel non legen-

IANSENIVS. 3. Propoſit.

Ad merendum & demerendum in ſtatu naturæ lapſæ non requiritur in homine libertas à neceſſitate, ſed ſufficit libertas à coactione.

IANSENIVS. 2. Propoſit. *Interiori gratia per Chriſtum in ſtatu naturæ lapſa nunquam reſiſtitur.*

Ibid. ſect. 3. *nu.* 27. Ad quartum patet quòd peccatoribus quantumcumque obduratis, non denegantur auxilia ſufficientia, pro loco & tempore, pro quo currit obligatio præcepti: *Igitur etiam illi reſiſtunt internæ gratiæ.*

IOANNES PAVLVS NAZARIVS ad. qu. 27. 1. *par. art.* 3. *Controuerſ.* 2. *pag.* 840. *edit. Bononienſis anni* 1620.

EST autem auxilium ſufficiens idem quod gratia excitans, quatenus in ſe comprehendit non ſolùm externam illuminationem, quæ fit per ſcripturas, Doctores & Miracula, ſed comprehendit etiam INTERNAM INTELLECTVS ILLVMINATIONEM, quæ fit à Deo, & MOTIONEM DEI SVPERNATVRALEM, receptam in voluntate. *Internæ igitur & ſupernaturali motioni reſiſtunt qui non habent gratiam efficacem.*

Ibid. 3. *controu. pag.* 851. *col.* 7. Sextò recolendum eſt id quod annotauimus in præcedenti controuerſia, ex D. Th. 3. con. Gen. c. 159. nimirum quòd licèt homo per motum liberi arbitrii non poſſit mereri & adipiſci gratiam, poteſt tamen impedimentum ponere gratiæ ſuſcipiendæ; nam de quibuſdam dicitur Iob. 21. *Dixerunt Deo, recede à nobis;* & cap. 24. *Rebelles fuerunt lumini.* Ex quo ſequitur primò vt homini qui DIVINÆ GRATIÆ RESISTIT SVSCIPIENDÆ meritò imputetur ad culpam, quòd eam non ſuſcipiat.

Ibid. col. 2. Piè creditur Deum homini in ſyluis vel inter bruta enutrito auxilium quoddam conferre SVPERNATVRALE; vt naturæ legem non violet, ſed obſeruet: *Quod ſi faciat*, certiſſimè tenendum eſt Deum illi per internam inſpirationem reuelaturum ea quæ ſunt ad credendum neceſſaria, vel aliquem fidei prædicatorem ad eum miſſurum.... Quòd ſi datum illi diuinitùs auxilium contemnat per peccatum, contra legem naturæ commiſſum, hoc ipſo incapax altioris redditur adjutorii, vt apertè docet S. Thom. *Quot ſunt qui auxilium illud contemnunt, ac proinde qui diuinæ gratiæ ſupernaturali & internæ reſiſtunt?*

Ibid. pag. 852. *col.* 1. Quarta concluſio. Omnibus venienti-bus ad vſum rationis Deus confert ſupernaturale auxilium intrinſecum, inſtigans ad bonum. Hæc concluſio eſt D. Th. &c. *An ſequuntur omnes illam inſtigationem? An non igitur multi auxilio ſupernaturali intrinſeco reſiſtunt?*

IANSENIVS. 2. Propoſit. *Interiori gratiæ per Chriſtum in ſtatu naturæ lapſæ nunquam reſiſtitur.*

Ibid. col. 2. S. Auguſtinus & S. Thomas non intendunt negare conferri à Deo ſufficiens auxilium, etiam obduratis, & excæcatis, vt à peccato reſurgant.... Sæpe loquuntur de ſubtractione auxilii efficacis; *Reſiſtunt igitur interiori gratiæ etiam obdurati & excæcati.*

Ibid. ar. 5. *controu.* 3. *p.* 879. Et nota humanam voluntatem receptis communibus auxiliis opponendo Diuinæ gratiæ obicem ſiue impedimentum peccati, præuenire ſecundùm ordinem executionis effectum Diuinæ voluntatis, ex ſe paratæ ad conferendam gratiam, aut majora auxilia, SICVT QVI RECEPTO INTRA DOMVM NASCENTIS AVRORÆ FVLGORE, antequam appareant Solis radii, feneſtram clauderet, diceretur ſolis illuſtrationem obſtaculo oppoſito præueniſſe. Ex quo apparet injuſtas eſſe querelas eorum, qui dicunt, ſi voluit Deus me non eligere ad gloriam &c. *Solis radios non videt, qui non videt hominem hîc interiori gratiæ reſiſtentem.*

DIDACVS NVGNEZ CABEZVDO tract. de Auxiliis ad quæſt. 72. 3. par. art. 5.

QVÆST. 2. *pag.* 87. *col.* 1. Si verò non orat *homo, quando neceſſaria eſt oratio*, non imputatur ei quòd non habet auxilium efficax ad orandum: ſed imputatur ei ipſum non orare, quia hoc ipſum eſt de quo habet præceptum: & licèt non receperit auxilium efficax, RECEPIT TAMEN AVXILIVM SVFFICIENS, per quod ſimpliciter loquendo, potuit orare.

Id. ib. tom. 2. *ad art.* 1. *quæſt.* 86. *col.* 2. Sententia *quæ dicit excæcatis & obduratis negari auxilia ſufficientia ad agendum pœnitentiam*, communiter damnatur, tanquam maximè temeraria, & proxima errori.... Vt jacet etiam erronea mihi videtur.

IANSENIVS.

2. Propoſit. *Interiori gratiæ per Chriſtum in ſtatu naturæ lapſæ nunquam reſiſtitur.*

Ibid. Fides eſt, ita vt oppoſitum ſit hæreſis, quòd omnis homo, dum eſt in via poteſt ſimpliciter loquendo pœnitentiam agere, atque adeò quòd omnibus dantur auxilia ſufficientia, vt poſſint pœnitere.

Ibid. Quòd dicitur, illuminat omnem hominem, &c. intelligitur etiam de ILLVMINATIONE SVPERNATVRALI.

Ibid. pag. 64. Apoſtolus cùm dicit, *Tu autem ſecundùm duritiam tuam & impœnitens cor tuum theſaurizas tibi iram, in die iræ,* LOQVITVR VNIVERSALITER..... Et nihil valet ſolutio, quòd excipiantur ab iſta regula EXCÆCATI ET OBDVRATI.

Ibid. Etiam Pharao habuit multa auxilia, quibus potuit credere & conuerti.

Ibid. pag. 65. *col.* 1. Qui non recipit auxilium efficax, eſt potens ad operandum, etiam PER PRINCIPIVM INTRINSECVM, ejuſdem ordinis cum operatione ſupernaturali: idcirco non excuſatur à peccato.

Ibid. Veniens ad vſum rationis peccat contra legem naturæ, non ſe conuertendo, quia ad iſtam conuerſionem habet principium ſufficiens; *Hinc colligitur quoties exiſtimet hic Auctor ab hominibus reſiſti interiori gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ.*

PETRVS LEDESMA.

HIc *quoque, vt in ſuperiori propoſitione monſtratum eſt, tenendum putat* ſecundùm fidem dari auxilium ſufficiens diſtinctum ab efficaci, & illud eſſe ſufficiens IN OMNI RIGORE, & eſſe ſupernaturale intrinſecum, & eleuare potentiam ad operationem ſupernaturalem, & dari in omni occaſione, quâ vrget obligatio præcepti, ad cujus obſeruationem neceſſarium eſt. *Igitur quicumque peccat non obediendo præceptis hujuſmodi, reſiſtit interno & ſupernaturali auxilio, juxta Ledeſmam.*

Adde quod dicit art. 13. *pag.* 276. Ex quibus locis conſtat Deum extendere manum, pulſare ad oſtium cordis, & alia ſimilia facere, quod eſt præbere auxilium ſufficiens, vt homines poſſint conuerti: ET TAMEN ALIQVANDO RESISTVNT.

Ibid.

Ibid. pag. 277. Multi peccant, EO QVOD DESINT GRATIÆ DEI: *Et paulò antè*, qui permittitur peccare, habet auxilium ad non peccandum. *Reſiſtunt igitur auxilio, ad non peccandum dato.* IANSENIVS. 2. Propoſit.

Ibid. art. 16. *col.* 1. Reſiſtere contingit dupliciter, vno modo poſitiuè, quia homo illuminatur ab ipſo Deo & excitatur per diuinam gratiam, ET RESISTIT HOMO ILLI poſitiuè, opponendo impedimentum Diuinæ gratiæ. Alio modo poteſt eſſe reſiſtentia, non quidem poſitiua, ſed negatiua, &c. *Interiori gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ nunquam reſiſtitur.*

Ibid. ad 3. Pharaonem habuiſſe ſimile auxilium atque Nabuchodonoſorem, vt poſſet conuerti.

Ibid. Etiam induratis tribuere Deum auxilium intrinſecum. *At Pharao & indurati ſequunturne impulſum hujuſmodi auxilii? Reſiſtunt igitur interiori.*

BALTHASAR NAVARRETE.

AD *quæſt.* 19. 1. *par. ar.* 8. *controu.* 19. Licèt auxilium ſufficiens ſæpenumero præcedat tempore actualem operationem, tamen non tribuitur per modum habitus, ſed per modum impellentis ex parte ſua ad operationem, CVI TAMEN IMPVLSVI MVLTOTIES RESISTIT; Aſſerit ergo noſtra propoſitio, quòd collato auxilio ſufficienti SI HOMO NON RESISTAT, Deus ex ſua liberalitate confert auxilium efficax, tanquam complementum actuale.

IOANNES A SANCTO THOMA
tom. 2. *in* 1. *par. antea citato.*

AD *quæſt.* 23. *Diſp.* 10. *art.* 3. *num.* 41. *pag.* 423. Non eſt in dictis D. Thomæ contrarietas; quia in primo inſtanti vſus rationis, omnes accipiunt ſufficiens auxilium ad acceptandam legem, & ad res fidei implicitè tunc propoſitas.... Sed non omnibus proponuntur res fidei in particulari & determinatè, & ſic non accipiunt ſufficiens auxilium ad explicitè & parti-

ANSENIVS. . Propoſit. *Interiori ratiæ in ſtatu naturæ apſæ nunnam reſiſtiur.*

culariter credendum ; neque ſub motiuo fidei Diuinæ : & hoc ex culpa ſua, quia RESISTVNT priori auxilio, nec volunt acceptare legem, neque conuerti ad Deum.

Et antea nu. 27. *pag.* 419. *col.* 1. Intrinſeca neceſſaria ad conſtituendum auxilium ſufficiens. ſunt duo, ex parte intellectus, notitia : ex parte voluntatis, facultas, ſeu proportionatæ vires vt ſufficientiam & poteſtatem quis habere dicatur ad aliquid faciendum. Nam voluntas nihil poteſt operari, niſi præſupponendo cognitionem ex parte intellectus, & in ſe habendo virtutem & adjutorium proportionatum operi ſupernaturali faciendo, & ſic vtrumque eorum pertinet ad ſufficiens auxilium.

Adde quod dicit poſtea nu. 42. *pag.* 423. Auxilium ſufficiens viatorum eſſe affectiuum & influxiuum in voluntatem. *Loquitur autem de auxilio ſufficienti, prout ab efficaci diſtinguitur, vt conſtat ex nu.* 27. *pag.* 418. *Datur ergo auxilium ſufficiens intrinſecum, illuminatiuum & affectiuum, quod caret effectu. Et licèt dicat aliquos inſigniter obſtinatos impedire ſe ne recipiant affectiuum illud auxilium in voluntate; ſupponit tamen multos hoc non impedire, ac proinde hi reſiſtunt etiam auxilio in voluntate recepto. Obſtinati verò illi habuèrunt auxilium proximè ſufficiens, etiam in voluntate, vt non ita obſtinarentur & Dei gratiam repellerent.*

Et antea Diſput. 5. *art.* 6. *pag.* 216. *col.* 1. *nu.* 54. Reſpondeo non fruſtrari auxilium ſufficiens à nobis, quoad ſuum effectum formalem, quem præbet nobis, ſed FRVSTRARI QVOAD SVVM FINEM, PROPTER QVEM DATVR NOBIS ſecundùm voluntatem Dei antecedentem. Hoc enim manet fruſtratum. Quia ipſum auxilium dat potentiam ad actum, ET CARET ACTV; fruſtratur ergo fine, licèt non effectu formali.

Et antea Diſp. 3. *ar.* 5. *pag.* 98. *col.* 2. *nu.* 27. *Diſcrimen Caluini errantis à Thomiſtis ita explicat.* Caluinus autem quia potentiam liberam negauit, & totam operationem ita voluit eſſe à gratia, quòd non à nobis liberè operantibus, ideo ante efficaciam gratiæ, potentiam denegauit liberam, NEC VOLVIT ESSE ALIVD AVXILIVM SVFFICIENS, QVAM EFFICAX.

Diſp. 5. *art.* 6. *pag.* 218. *col.* 1. *nu.* 60. Quòd ſi Deus noluerit

dare auxilium efficax, iſte non manebit potens, diſtinguo; ſi noluerit dare abſolutè & ex ſe tollendo illud, concedo: ſi non dederit ex aliquo impedimento voluntario, putà ex eo quòd voluntariè homo occupatur circa alium, & habet applicationem quoad illum, nego. Tunc enim Deus non denegat auxilium illud efficax, niſi propter impedimentum voluntarium ipſius hominis. *Et deinde.* Vndè imputatur ſibi, ſi operetur contra præceptum, etiam ſi non habeat auxilium efficax ad illud. Quia non habere eſt ex impedimento quod voluntariè præſtat, occupando ſe circa aliud voluntariè & reddendo ſe incompoſſibilem & repugnantem illi auxilio efficaci, &c.

IANSENIVS. 2. Propoſit. *Interiori gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ nunquam reſiſtitur.*

Idem paulò antè nu. 58. Deficere applicationem illam, quæ fit per auxilium efficax, deficientiâ voluntariâ, ideóque ESSE IN MANV MEA, & ſic non deficere ſimpliciter aliquid requiſitum ad illum primum actum, niſi quia volo.

Diſp. 5. *ar.* 7. *pag.* 202. *col.* 2. *nu.* 10. Quare ſi illa probatio Concilii (Senonenſis) aliquam vim habet, dicendum eſt quòd reuera probationem ſumit non ex reſiſtentia facta auxilio efficaci (hoc enim ſtare non poteſt) ſed facta auxilio ſufficienti: & vis illius reducitur ad hoc. DE FACTO RESTITERVNT IVDÆI SPIRITVI SANCTO EOS MONENTI PER AVXILIVM SVFFICIENS: Ergo in ſe habet homo potentiam reſiſtendi auxilio ſufficienti; ſed hanc potentiam non lædit auxilium efficax ..... Ergo cum auxilio efficaci manet potentia reſiſtendi.

Ex his conſtat Thomiſtas gratiæ per ſeipſam efficacis Defenſores vnanimi conſenſu putare dari gratiam actualem, internam, ſupernaturalem, per quam conſtituatur proxima bene agendi potentia, cui homines reſiſtant, cùm poſſint conſentire: Atque hoc putare cum principiis fidei neceſſariò connexum eſſe. Itaque damnandam cenſere ſecundam Ianſenii propoſitionem.

IANSENIVS.

3. Propoſit. *Ad merendum & demerendum in ſtatu naturæ lapſæ non requiritur in homine libertas à neceſſitate, ſed ſufficit libertas à coactione.*

DIDACVS ALVAREZ
in tract. de Auxiliis Diuinæ Gratiæ.

DISP. 92. nu. 8. *Concilium Senonenſe & Tridentinum definiuiſſe dicit contra hæreſim Lutheranorum*, quòd IN INSTANTI in quo liberum arbitrium mouetur à Deo efficaciter, manet in eo LIBERA ET EXPEDITA FACVLTAS, qua poteſt non operari, ſi velit.

Idem 2. Reſponſ. c. 1. nu. 54. Senſus compoſitus non eſt ille, qui in argumento inſinuatur, quòd videlicet quando gratia eſt in voluntate, non poſſit voluntas non agere actum illum, ad quem determinatur, ablata verò motione poſſit non agere, hic enim ſenſus CONFICTVS FVIT A CALVINO, &c. Quando ergo S. Thomas & ejus diſcipuli dicunt, &c..... Nihil aliud intelligunt quàm motionem illam efficacem & actualem diſſenſum non poſſe ſimul poni in eodem arbitrio.

Ibid. cap. 4. nu. 9. dicit, Caluinum in eo deceptum, quia putauit illam propoſitionem, *Liberum arbitrium motum à Deo gratia efficaci non poteſt diſſentire in ſenſu compoſito*, nihil aliud ſignificare, niſi quòd poſtquam jam gratia efficax in voluntate poſita eſt, non poſſit liberum arbitrium diſſentire ac refragari; ablatâ verò gratiâ, poſſit..... Nos autem multò aliter intelligendum eſſe compoſitum ſenſum illius propoſitionis contendimus. Non enim per illam ſignificatur, quòd quando eſt motio efficax in homine, tunc non poſſit diſſentire ac refragari, ablatâ verò motione, poſſit. Si enim hoc ſemel concederetur, ABSQVE DVBIO EVERTERETVR LIBERTAS ARBITRII, nec poſſet per diſtinctionem illam ſenſus compoſiti & diuiſi concordari cum decreto abſoluto voluntatis Diuinæ, prædeterminantis omnes actus bonos futuros: nec cum efficacia auxilii præoperantis gratiæ. Senſus ergo legitimus illius propoſitionis in ſenſu compoſito acceptæ eſt, hæc duo ſimul eſſe incompoſſibilia, quòd ni-

mirum auxilium efficax ad conſentiendum ſit in homine, & homo diſſentiat.

IANSENIVS. 3. Propoſit. *Ad merendum & demerendum in ſtatu naturæ lapſæ non requiritur in homine libertas à neceßitate, ſed ſufficit libertas à coactione.*

Idem diſp. 117. *de auxil. nu. ii.* Ad 3. Reſpondetur quòd potentia poteſt dupliciter dici proxima & expedita ad operandum, primò, quia nihil aliud requiritur ex parte ipſius potentiæ, quo in actu primo conſtituatur ad actualiter operandum, ſiue ad volendum & nolendum, & hoc modo liberum arbitrium poſitis omnibus requiſitis ad operandum poteſt POTENTIA PROXIMA ET EXPEDITA operari & non operari, velle & nolle. Vnde S. Th. 1. p. quæſt. 83. ar. 2. ad 2. ait quòd facultas nominat quandoque potentiam EXPEDITAM ad operandum; ET SIC PONITVR IN DEFINITIONE LIBERI ARBITRII: ſecundo modo poteſt dici facultas proxima & expedita ad operandum; quia in ſua operatione non dependet ab alia priori cauſa, tribuente ipſam cooperationem, vel actualiter concurrente: & in hoc ſenſu, nulla cauſa ſecunda quantumuis ponatur perfecta, eſt ſecundùm ſe & ſecluſâ præmotione diuinâ expedita ad operandum.

Idem lib. 4. *Reſponſ. cap.* 1. *nu.* 10. Cæterùm in voluntate hominis cum omnibus prærequiſitis etiam ex parte Dei vt actualiter velit, tale objectum per judicium rationis ſibi propoſitum, ſtat ſimul & conſeruatur illæſa vera facultas, quâ poteſt nolle idem objectum aut velle contrarium, vt dictum eſt; & ideo tam agere, quàm non agere eſt in poteſtate voluntatis..... Nec enim vt voluntas agens medio judicio rationis indifferenti poſſit non agere, ſi velit, requiritur quod varietur tale judicium, vel auferatur, vt argumentum ſupponit. Nam CVM EODEM IVDICIO & omnibus prærequiſitis vt voluntas conſentiat in tale objectum, manet in eadem voluntate EXPEDITA FACVLTAS, QVA POSSIT DISSENTIRE, SI VELIT.

Ibid. nu. 13. Quia ergo cum auxilio efficaci præmouente ad aliquam actionem ſaluatur in libero arbitrio EXPEDITA facultas, qua poſſit diſſentire ſi velit, ideo poteſt illi imputari & imputatur ad culpam, ſi non abſtineat ab actu prohibito, vel ſi non operetur actum bonum & pium, qui eſt in præcepto, quem tamen per auxilium ſufficiens poteſt facere, ſi velit, & ſuâ culpâ noluit facere.

Iterum diſp. 23. *de auxiliis nu.* 28. Ad id autem quod dicitur

IANSENIVS. 3. Propoſit. *Ad merendum & demerendum in ſtatu naturæ lapſæ non requiritur in homine libertas à neceſſitate, ſed ſufficit libertas à coactione.*

quia poſt receptam motionem efficacem, voluntas neceſſariò prodit in opus, ita vt non poſſit non operari; Reſpondetur quòd ſimpliciter loquendo non exit voluntas in opus NECESSARIÒ, ſed liberè, etiam poſt acceptam motionem: ET SIMPLICITER POTEST NON OPERARI TOTO TEMPORE, QVO HABET ILLAM MOTIONEM. NAM MOTIO PRÆDETERMINANS NON AVFERT A VOLVNTATE PROXIMAM POTENTIAM AD ACTVM OPPOSITVM.

Adde quòd diſp. 95. nu. 9. diſertè negat amorem beatificum eſſe actum liberum libertate arbitrii, defectu proximæ hujus indifferentiæ: & quod ad primam propoſitionem ſuprà relatum eſt, ſine auxilio ſufficienti ad immediatè credendum, non poſſe imputari peccatum incredulitatis.

GONÇALEZ DE ALBELDA.

DISP. 57. *in* 1. *p. nu.* 48. Conſtantiſſimè aſſerimus CONTRA HÆRETICOS CALVINISTAS, quòd voluntas noſtra poteſt non ſequi ſi velit motionem efficacem Dei. Efficacia enim diuinæ motionis non conſiſtit in hoc quòd tollat à voluntate noſtra liberam & expeditam facultatem eam abjiciendi, ſi velit: ſed in eo quòd de facto eam non abjiciat, cùm poſſit. Vult enim Deus decreto ſuo abſoluto vtrumque, videlicet quòd liberum arbitrium noſtrum ſequatur motionem ejus efficacem, & quòd habeat liberam & expeditam facultatem ad non ſequendum, ſi velit.

Ibid. nu. 51. *Ly* poteſt, *cùm dicitur voluntas poſſe diſſentire motioni efficaci*, ſumi ſemper pro potentia PROXIMA ET EXPEDITA.

Ibid. nu. 54. *dicit neceſſitatem agendi, quæ ſequitur ex ſuppoſitione gratiæ efficacis*, eſſe tantùm cum habitudine ad noſtrum liberum arbitrium, VT EXPEDITA INDIFFERENS AD OPPOSITVM: Et liberum arbitrium eſſe PROXIMÈ ET EXPEDITE INDIFFERENS AD VTRVMLIBET.

Diſp. 58. *Sect.* 3. *nu.* 34. Illud verbum, *cùm dicitur voluntas poſſe diſſentire gratiæ efficaci*, non denotare quòd ſemotâ præmotione efficaci, proximè & expeditè poſſit diſſentire, ſi velit: ſed de-

notare, quòd etiam ſtante illâ, POTEST PROXIME ET EXPEDITE DISSENTIRE, SI VELIT.

Ibid. nu. 36. Cùm liberum arbitrium ſic excitatum, ſit proximè & expeditè indifferens ad vtrumlibet (aliàs liberum arbitrium non eſſet) NON IMPLICAT ABSOLVTE, SIMVL PONI DISSENSVM CVM ILLO SIC EXCITATO.

Ibid. nu. 38. Non inclinat determinatè ad vnum, quaſi per modum naturæ, ſed CVM INDIFFERENTIA LIBERA ET EXPEDITA AD OPPOSITVM..... Ita mouet vt concurrat per modum libertatis CVM INDIFFERENTIA EXPEDITA ad oppoſitum.

Ibid. diſp. 61. *nu.* 5. Liberum arbitrium tam in Deo, quàm in hominibus definitur, quòd ſit poteſtas rationis & voluntatis vnum præ alio eligendi, aut vnum & idem acceptandi & reſpuendi...... Ex eo autem quòd dicitur vnum præ alio, habetur hanc poteſtatem debere eſſe CVM INDIFFERENTIA, quæ maneat ex parte principii, ETIAM DVM EXERCETVR ACTIO..... Contra rationem liberæ facultatis eſſe, vt ad agendum, ſiue ex parte principii formaliter, ſiue ex parte conditionis, requiratur aliquid præuium, quo poſito, indifferentia omnis tollatur. Patet ex dictis, quia libertas formaliter in hac præuia, ſeu per modum principii POTESTATE INTRINSECE INDIFFERENTI ſita eſt. Quidquid ergo præuiè omnino determinat ad vnum, & omnino indifferentiam intrinſecam aufert, libertatem tollit.

Ibid. diſp. 75. *Sect.* 2. *nu.* 41. Ex his colliges, candide Lector, quòd immeritò Aduerſarii, cum quibus hîc agimus, nobis imponunt, quòd aſſeramus gratiam præuenientem prædeterminare OMNINO ad vnum voluntatem noſtram...... cùm potiùs firmiſſimè teneamus oppoſitum: Nempe voluntatem noſtram per gratiam præuenientem efficacem, qua à Deo excitatur & mouetur, NON PRÆDETERMINARI OMNINO AD VNVM, & ejuſmodi gratiam præuenientem non tollere à voluntate noſtra POSSIBILITATEM PROXIMAM ET EXPEDITAM ad oppoſitum, ETIAM STANTE TALI GRATIA PRÆVENIENTE EFFICACI.....

Et hinc facilis via aperitur ad conuincendos & reducendos

IANSENIVS 3. Propoſit. *Ad merendum & demerendum in ſtatu naturæ lapſæ non requiritur in homine libertas à neceßitate, ſed ſufficit libertas à coactione.*

ad operandum facultatem, poſſitque ſeipſam ad agendum applicare, aut ſe ab agendo continere IN VNO ET EODEM INSTANTI, licèt non pro eodem.

IANSENIVS. 3. Propoſit. *Ad merendum & demerendum in ſtatu naturæ lapſæ non requiritur in homine libertas à neceſſitate, ſed ſufficit libertas à coactione.*

Addit ibidem, habere potentiam PROXIMAM ad exercitium ſuæ libertatis, quia poſitis omnibus ad agendum requiſitis, poteſt agere & non agere, agere hoc vel illud.

Ibid. quæſt. 20. *art.* 4. *controu.* 2. Deus cauſas neceſſarias ita mouet, vt neceſſitate quadam ad vnum determinet. Has verò (*liberas*) nullâ impoſitâ neceſſitate præmouet ad ſingulos actus determinatè. Ita vt non in ſolius Dei poteſtate & operatione, SED IN AGENTIS LIBERI FACVLTATE POSITA SIT actionis determinatio.

Ibid. Hoc ipſo quòd Deus conſtituit dare influxum juxta modum & naturam liberi arbitrii, conſtituit etiam dare. 1. offert & dat influxum SIMPLICITER INDIFFERENTEM, quia vt modificatur libertate voluntatis indifferens eſt, quamuis in ordine ad diuinæ voluntatis efficacitatem ac prouidentiam Dei infallibilem non ſit indifferens, ſed infallibilis, & ideo determinatus determinatione, non deſtruente libertatem.

Ibid. quæſt. 22. *ar.* 4. Nedum in ſenſu diuiſo, ſed etiam in ſenſu compoſito, voluntas cum tali motione eſt INDIFFERENS AD VTRVMQVE OPPOSITVM.

Ibid. Diuinus influxus impellit ad mouendum ſimul cum voluntate ſeipſam mouente: & licèt inferat actum infallibiliter, poteſt tamen voluntas, antequam ſit per actualem impulſum in actu ſecundo, RESISTERE, ET EFFECTVM ILLIVS IMPEDIRE, CVM SIT INDIFFERENS AD VTRVMQVE OPPOSITVM.

Ibid. ad quæſt. 14. *ar.* 13. *controu.* 6. Ex dictis ſequitur neceſſitatem ſenſus compoſiti, QVÆ EST ETIAM NECESSITAS SVPPOSITIONIS, non ſic eſſe intelligendam, vt ſtante v. c. præſcientia Dei de locutione futura, nulla maneat contingentia, indifferentia ſiue libertas in cauſa, videlicet in voluntate ad loquendum, vel non loquendum. Hic enim ſenſus nedum falſus eſt, SED ETIAM HÆRETICVS. Nam quid prodeſt quòd mea voluntas abſolutè, ſiue ſecundùm naturam ſuam conſiderata, libera ſit ad legendum, vel non legen-

IANSENIVS. 3. Propoſit. *Ad merendum & demerendum in ſtatu naturæ lapſæ non requiritur in homine libertas à neceſſitate, ſed ſufficit libertas à coactione.*

dum cras, ſi ſuppoſita præſcientia Dei de lectione cras futura, non poteſt non legere, ſed eſt omnino determinata ad legendum? Sic enim nunquam voluntas ſua vteretur libertate, & ex conſequenti, nullus eſſet effectus liber. Igitur neceſſitas, quam habet propoſitio ſumpta in ſenſu compoſito, in eo conſiſtit, quòd ſuppoſitio exigit vt effectus, putà loquutio, certò ponatur & non ejus oppoſitum; non autem efficit vt non potuerit ſimpliciter ejus oppoſitum poni per eandem cauſam, quæ libera eſt. Cum hoc autem, vt dicimus, remanet integra libertas. Non enim de ratione libertatis eſt vt poſſit in oppoſitum ſimul pro eodem inſtanti.

Ibid. Video nunc te ſedentem, & ſuppoſito quòd videam te ſedentem, neceſſariò ſedes; ſed quoniam hæc ſuppoſitio certæ viſionis eſt connexa cum eo objecto, quod eſt in poteſtate tua, potes enim ſedere & non ſedere; ideo hæc ſuppoſitio non tollit ſeſſionis tuæ libertatem, ſeu contingentiam, ſed remanet ſimpliciter libera, ſiue contingens. Cùm itaque ſuppoſitio certæ diuinæ præſcientiæ ſit connexa per quandam habitudinem cum effectu contingente, tanquam effectu ſecundario, qui effectus contingens eſt in poteſtate cauſæ ſecundæ, ſequitur quòd ſuppoſitio diuinæ præſcientiæ non tollit libertatem, vel contingentiam effectus futuri.

DIDACVS NVGNES CABEZVDO tract. de auxil. ad quæſt. 72. 3. par.

Q*Væſt.* 2. *pag.* 82. *edit. Veneta an.* 1612. Liberum arbitrium hominis ſecundùm ſe ET ESSENTIALITER eſt indifferens ad vtramque partem contradictionis: ergo per ſolam comprehenſionem, ſupereminentem ipſius liberi arbitrii creati, non cognoſcitur certò & infallibiliter determinatio ejus ad alteram partem, etiam ſi conſtituatur homo in illo ordine rerum cum talibus circunſtantiis & auxiliis. Quia neque ille ordo rerum, neque illæ circunſtantiæ determinant liberum arbitrium. ERGO CVM SECVNDVM SE SIT INDIFFERENS, SEMPER MANET ET COGNOSCITVR INDIFFERENS.

Ibid. pag. 99. *col.* 1. Ratio eſſentialis libertatis per ſe 1. conſiſtit in productione actus, qui regulatur per cognitionem indifferentiæ mediorum; & ex hoc ſequitur quòd potentia ſic operans poſſit OPERARI ET NON OPERARI.

His adde quæ ſunt allata ad duas propoſitiones præcedentes, Ei qui non orat ideo imputari, quòd non oret, quia habet auxilium ſufficiens ad orandum: *Et in vniuerſum, ideo reos eſſe qui carent auxilio efficaci ad vitandum peccatum*: quia per auxilium ſufficiens habent potentiam completam, non ligatam, non impeditam; Et eſſe manifeſtam hæreſim hoc negare, etiam in obduratis & excæcatis.

Adde quod ibidem dicit pag. 86. Amorem beatificum non eſſe liberum, *ea ſcilicet libertate, quæ ad meritum requiritur, hoc eſt libertate arbitrii.*

IANSENIV 3. Propoſit. *Ad merendum & demerendum in ſtatu naturæ lapſæ non requiritur in homine libertas à neceſſitate, ſed ſufficit libertas à coactione.*

PETRVS LEDESMA.

ART. 1. *de Auxiliis pag.* 214. *col.* 1. Voluntas libera, vt libera eſt, determinatur juxta modum ſuæ libertatis taliter, quòd abſolutè & ſimpliciter manet indifferens. *Igitur vt libera, poſtulat ita determinari vt maneat indifferens, ac proinde vt excludat neceſſitatem agendi, contrariam indifferentiæ. Ledeſma verò non agit de alia indifferentia, quàm de illa, quæ requiritur ad imputabilitatem bonarum & malarum actionum. Significat inſuper cujuſmodi ſit illa neceſſitas, quam excludit hæc indifferentia libertati intrinſeca; ea ſcilicet eſt, quæ reperitur in beatis, qui vident Deum, qui quidem, inquit,* neceſſariò diligunt illum, *ibid. pag.* 215. *Vnde dicit poſtea pag.* 226. Beatos non eſſe liberos ad non peccandum.

Ibid. pag. 223. Illa definitio (*Cauſa libera eſt illa, quæ poſitis omnibus*, &c.) vt bona ſit, debet intelligi de requiſitis ex parte potentiæ, quæ conſtituunt ipſam potentiam in ratione virtutis & potentiæ in actu primo, & priùs naturâ, quàm intelligatur ipſe actus ſecundus, vt dicit etiam Suares. Igitur poſitis omnibus illis EST NECESSARIVM quòd poſſit operari & non operari. *Et ideo mox ſubdit*, auxilium prædeterminans non ſe tenet ex parte potentiæ, nec conſtituit illam in actu primo, neque complet actum primum. Itaque non impedit quominus in

ANSENIVS. ;. Propoſit *Ad merendum & demerendum n ſtatu naturæ lapſæ non requiritur in homine libertas à neceſſitate, ſed ſufficit libertas à coactione.*

actu primo completo libera voluntas ſit indifferens.

Ibid. pag. 225. Ad 12. dicendum eſt quòd per illam determinationem receptam ab ipſo Deo in voluntate, voluntas determinatur ad operandum, nihilominus tamen non amittit PROXIMAM INDIFFERENTIAM ACTIVAM AD VOLENDVM ET NOLENDVM, quam voluntas habet ſimpliciter & abſolutè.

Ibid. ar. 13. *pag.* 273. Ante omnia, hæretici noſtri temporis affirmant dari auxilium efficax. . . . . Et vocant auxilium efficax motionem quandam diuinam, quæ ita determinat voluntatem, VT NECESSITATEM ILLI INFERAT. *Atqui hoc ipſum dicit Ianſenius, habet igitur locum ex Ledeſma inter hæreticos noſtri temporis.*

Ibid.pag. 275. Prima concluſio contra primum errorem, Certiſſimum eſt ſecundùm fidem, quòd non datur auxilium efficax in ſenſu expoſito ab ipſis hæreticis, taliter quod dicit diuinam motionem, quæ ita prædeterminat voluntatem, VT EI NECESSITATEM INFERAT. *Quippe Ledeſma non putat* ſaluari *libertatem, quam hæretici deſtruunt, niſi diuina motio indifferentiam relinquat agendi, vel non agendi.*

Ibid. ar. 14. *pag.* 298. Quando homo non habet iſtud auxilium, non deeſt illi aliquid neceſſarium ex parte potentiæ, ſed ipſa potentia eſt PERFECTA ET COMPLETA, ET NON LIGATA ſine illo, & propterea homo obligatur diuinis præceptis. *Nimirum aliter non obligaretur, quia non haberet potentiam ad vtramlibet: id eſt indifferentiam, neceſſitati ad vnum determinanti contrariam. Et huc ſpectant alia quædam ſimilia dicta hujus Auctoris, allata contra* 1. *propoſitionem, & quæ afferentur contra quartam.*

Et tamen addendum quod dicit art. 10. *pag.* 229. *col.* 1. Conſiderandum, quòd illa prædeterminatio etiam ſi phyſica ſit, non conſtituit cauſam naturalem, quæ non poſſit CONSENTIRE, VEL DISSENTIRE, VEL ABIICERE MOTIONEM..... ITAQVE STANTE TALI MOTIONE efficaci, voluntas manet libera & non determinata naturaliter; Vnde abſolutè POTEST DISSENTIRE, SI VELIT. *Iterum:* Etiam ſtante illo auxilio poteſt diſſentire. *En in quo diſtinguat cauſam liberam contra naturalem, in eo quòd libera poſſit conſentire vel diſ-*

ſentire. Et hoc ſtare vult cum prædeterminatione, propterea quòd cum IANSENIVS
„ *illa ſtare debeat libertas.* Atqui Ianſenius diſertè negat in de- 3. Propoſi
„ fenſione tertiæ propoſitionis id eſſe neceſſarium.

Ad merendum & demerendum in ſtatu naturæ lapſæ non requiritur in homine libertas à neceſſitate. ſed ſufficit libertas à coactione.

BALTHAZAR NAVARETE.

AD *quæſt.* 19. *ar.* 8. 1. *par. controu.* 20. Reſpondetur ergo ad omnia argumenta ſimul, quòd quamuis auxilium efficax ſit determinatum ad vnum actum intrinſecè, tamen actuat liberum arbitrium, RELINQVENDO IN EODEM INSTANTI FACVLTATEM EIDEM VT POSSIT RESISTERE tali auxilio, atque adeò ex ipſo modo actuandi ſequitur, vt ſi liberum arbitrium velit, NON SE SVBIICIAT AVXILIO. Quod ſi non reſiſtat ſtatim idem auxilium ex ſuo intrinſeco modo, tribuit ei efficaciam & determinationem ad vnum. Quo fit vt abſolutè poſſit liberum arbitrium IN ILLO INSTANTI NON ADMITTERE AVXILIVM EFFICAX; ſi tamen non reſiſtat, ſequitur per conſequentiam neceſſariam, actus. Itaque auxilium efficax denotat voluntatem diuinam, non quidem indifferentem ad vtrumlibet, ſed determinatam ad vnum : atque adeò licèt ex vi talis determinationis non habeat voluntas indifferentiam ad vtrumlibet in operando, habet tamen illam ex vi actualis concurſus Dei, quo voluntati actualiter tribuitur POSSE OPERARI VEL NON OPERARI IN EODEM INSTANTI, in quo voluntas non reſiſtit. Quapropter ex voluntate & auxilio, tanquam ex principio totali conſurgit libertas & determinatio ad operandum, & determinatio libera in operando. Nam actuando auxilium efficax voluntatem & liberum arbitrium conformiter ad ſuam naturam, non actuat ex modo, quo forma naturalis actuat ſubjectum, ſcilicet attendendo in ſubjecto ad ſolam potentiam naturalem, ſed potiùs attendendo AD INDIFFERENTIAM EXPLICATAM: ET RELINQVENDO POTENTIAM AD RESISTENDVM IN EODEM INSTANTI.

Ibid. pag. 311. Quando Deus concurrit cum cauſa libera, mouendo eam efficaciter ad operandum, communicat eidem

SVAM INDIFFERENTIAM mediâ actuali indifferentiâ, quam cauſa ipſa habet in eodem inſtanti, in quo mouetur efficaciter.

Item ibid. Deum præmouendo conſeruare libertatem; quia CAVSAT ACTVALEM INDIFFERENTIAM, & quando efficaciter incipit mouere, RELINQVERE LIBERTATEM AD RESISTENDVM. *Potuitne clariùs ad conſtituendam libertatem arbitrii, indifferentia requiri & excludi neceſſitas illi oppoſita? Et, poteſtne non eſſe proxima indifferentia illa, quæ eſt in eodem inſtanti, cum prædeterminatione ad abjiciendam ipſam prædeterminationem?*

IOANNES A SANCTO THOMA.

DIsp. 3. *ar.* 5. *pag.* 93. *col.* 2. *nu.* 7. Duplex ergo efficacia in Deo, reſpectu noſtri liberi actus poteſt conſiderari; vna quæ ſolum velit determinatum actum, ſed non ejus modum libertatis; alia quæ & ſubſtantiam actus & modum libertatis velit & cauſet. Efficacia prima SINE INDIFFERENTIA DATA, & non cauſans aut non curans de libertate, ſed ſolùm de determinatione actus tolleret libertatem.

Columna priore ibid. Caluinus poſuit decretum Dei, neceſſitans nos ſeu determinans vt neceſſariò faciamus, non vt liberè.

Ibid. diſp. 4. *pag.* 110. *nu.* 2. Libertas eſt propria intellectualis naturæ; quia ex ſua vniuerſaliſſima indifferentia in judicando petit etiam hanc INDIFFERENTIAM IN VOLENDO ET OPERANDO.

Ibid. Liberum eſt quod habet dominium ſui actus, & POTEST AGERE ET NON AGERE.

Ibid. pag. 111. *col.* 1. Deum reſpectu ſuæ bonitatis habere AMOREM NECESSARIVM; reſpectu aliorum habere AMOREM LIBERVM.

Ibid. ar. 4. *pag.* 121. *col.* 1. *nu.* 13. Secundò collige hanc indifferentiam & libertatem eſſe in Deo maximè intrinſecam & formalem.

Ibid. ar. 5. *pag.* 122. *col.* 2. *nu.* 1. Dicimus veriſſimum eſſe quòd

in Deo non poteſt dari indifferentia penes egredi & non egredi à potentia voluntatis; ſed dari indifferentiam actus PENES TANGERE, VEL NON TANGERE IPSVM OBIECTVM CREATVM.

Ibid. pag. 123. *col.* 1. Si verò intelligatur quòd vt aliquid ſit liberum, exigitur quod poſſit abeſſe & adeſſe quaſi actiuè, id eſt, quòd poſſit facere vt adſit, vel abſit objectum, quod habet pro effectu, ſic verum eſt, quòd actus ille (Dei) eſt liber & indifferens actiuè...... entitatiuè paſſiuè non eſt indifferens, entitatiuè actiuè eſt indifferens.

Ibid. ar. 6. *pag.* 132. *col.* 1. *num.* 12. Secunda ratio denegandi Deo etiam ſimplicem complacentiam de rebus poſſibilibus ſumitur ex eo quòd nec liberè nec neceſſariò poteſt diuina voluntas ferri in illas.

Ibid. ar. 7. *pag.* 143. *nu.* 1. Dico 1. Seipſum & quidquid formaliter diuinum eſt & intra Deum DEVS DILIGIT NECESSARIÒ: eſt ſententia communis. *Loquitur de neceſſario, prout diſtinguitur contra liberum, vt patet ex inſcriptione articuli;* Quæ objecta velit Deus neceſſariò, quæ liberè.

Diſp. 5. *ar.* 5. *pag.* 190. *col.* 2. *num.* 2. Tum ſeruatur contingentia & libertas, quando ſic fit vnum, quod oppoſitum ſeu non eſſe illius adhuc eſt poſſibile. *Et antè*: NON EST POSSIBILITAS CONTINGENTIÆ ET LIBERTATIS, SI ITA EST POSSIBILITAS AD VNVM, QVOD SIT IMPOSSIBILITAS AD OPPOSITVM.

Ibid. ar. 6. *pag.* 203. *col.* 1. *nu.* 12. Vnde ſumitur explicatio legitima ſenſus compoſiti & diuiſi, ex ipſa doctrina S. Thomæ, non vt putant aduerſarii, quòd ſenſus compoſitus ſit, poſito auxilio, & ſenſus diuiſus, ſublato ..... ſed D. Thomas ſumit ſenſum diuiſum, etiam ſtante auxilio, & voluntate, & prædeſtinatione Dei, ita quòd illo poſito ſequitur in ſenſu diuiſo, actum eſſe liberum.

Ibid. col. 2. *nu.* 13. Id quod in nobis cauſat illa voluntas efficax, eſt aperire cor, &c. conſeruando potentiam ad oppoſitum, in quo ſtat modus libertatis, ſeu tollere indeterminationem, & conſeruare INDIFFERENTIAM POTESTATIS ET DOMINII QVOD HABET AD VTRVMQVE ACTVM, AD FACERE ET NON FACERE.

IANSENIV. 3. Propoſi[tio]

Ad merendum & demerendum in ſtatu naturæ lapſæ non requiritur in homine libertas à neceſſitate, ſed ſufficit libertas à coactione.

ANSENIVS. Propoſit. *Ad merendum & demerendum n ſtatu naturæ lapſæ non requiritur in homine libertas à neceſſitate, ſed ſufficit libertas à coactione.*

Ibid. pag. 204. *col.* 2. *nu.* 17. Reſpondemus Concilium validiſſimè alliſiſſe totam Caluiniſtarum hæreſim. Quia Caluinus ....negauit excitantem gratiam cum excitatione indifferenti .....Concilium ergo ad extirpandam hanc hæreſim à ſua radice, definiuit dari in nobis excitantem gratiam.... Et hanc ita tangere cor hominis cum indifferentia, quòd homo aliquid agat eam recipiens & poſſit abiicere. Qua definitione poſita, corruit tota hæreſis Caluini, quia non ſic impellitur voluntas noſtra vt neceſſitetur & non excitetur, ſiquidem datur excitans gratia tali indifferentia, quod poteſt abiici à nobis.

Ibid. nu. 18. Et ita manet EXPEDITA LIBERTAS AD VTRVMQVE ex parte potentiæ, NEC LIGATVR FACVLTAS per determinationem Dei, ſed aperitur cor, &c. Doctrina iſta de indifferentia excitationis de potentia rejiciendi illam & diſſentiendi, ſi velit, potentia antecedenti & in ſenſu diuiſo, omni Dei auxilio etiam ſpecialiſſimo, communis eſt.

Ibid. pag. 213. Per determinationem ad vnum actum non impediri facultatem voluntatis ad oppoſitum.

Ibid. pag. 215. *col.* 2. *nu.* 51. Potentiæ non liberæ remanent ſub potentia antecedenter tantùm ad aliam formam, SED NON INDIFFERENTIA DOMINATIVA & ex arbitrio ſe mouente.

Ibid. diſp. 7. *ar.* 4. *pag.* 308. *col.* 1. *nu.* 40. Nec currit ſimilis ratio in illuminante aut in viſione beatifica voluntatem rapiente, quia tàles cauſæ non ſolùm antecedunt, ſed etiam non cauſant ex parte rei cauſatæ libertatem & liberu m modum agendi, ſed coarctantur & coarctant ad vnum tantùm modum operandi, Diuina verò voluntas, &c.

Ex his dictis conſtat Thomiſtas vno ore damnare 3. Ianſenii Propoſitionem: quatenus negat indifferentiam ſeu potentiam agendi & non agendi neceſſariam eſſe ad libertatem arbitrii, & admittit neceſſitatem etiam talem, qualis eſt in beatis ad amandum Deum: Indifferentiam autem illam quæ neceſſaria eſt, eſſe proximam & expeditam, putaréque ita eſſe ſentiendum, vt vitetur error Caluini & Lutheri.

Doctrina Thomiſtarum ſuperiùs expreſſa contra tertiam propoſitionem Ianſenii, huic etiam quartæ contraria eſt, quatenus aſſerit in ſecunda parte

parte Semipelagianos in hoc fuiſſe hæreticos, quòd talem admitterent interiorem gratiam præuenientem, cui poſſet humana voluntas reſiſtere vel obtemperare.

IANSENIVS. 4. Propoſit. *Semipelagiani admittebant præuenientis gratiæ interioris neceſſitatem ad ſingulos actus, etiam ad initium fidei: Et in hoc erant hæretici quòd vellent eam gratiam talem eſſe, cui poſſet humana voluntate reſiſtere vel obtemperare.*

DIDACVS ALVAREZ.

SEQVITVR *enim inde Semipelagianum fuiſſe Didacum Aluarez quando dixit loco ſuperiùs allato, ex mente Concilii Senonenſis & Tridentini.* Quòd in inſtanti in quo liberum arbitrium mouetur à Deo efficaciter, manet in eo libera & expedita facultas, qua poteſt non operari ſi velit. *Diſp. 91. de auxil. nu. 8.*

Item. Senſum eſſe Caluini, quòd videlicet quando gratia efficax eſt in voluntate, non poſſit voluntas non agere actum illum, ad quem determinatur, ablatâ verò motione poſſit non agere. 1. *Reſp. cap. 1. nu. 34.*

Item. Caluinum in eo deceptum, quia putauit illam propoſitionem, liberum arbitrium motum à Deo gratia efficaci non poteſt diſſentire in ſenſu compoſito, nihil aliud ſignificare, niſi quòd poſtquam jam gratia efficax in voluntate poſita eſt, non poſſit liberum arbitrium diſſentire ac refragari, ablatâ verò gratiâ poſſit..... Et ſi hoc ſemel concederetur, ſine dubio euerteretur libertas arbitrii, nec poſſet per diſtinctionem illam ſenſus compoſiti & diuiſi concordari cum decreto abſoluto voluntatis Diuinæ, prædeterminantis omnes actus bonos futuros; nec cum efficacia auxilii præoperantis gratiæ. *Ibid. cap. 4. nu. 9.*

Ibid. Liberum arbitrium poſitis omnibus requiſitis ad operandum poſſe potentiâ proximâ & expeditâ operari & non operari, velle & nolle. *Diſp. 117. de auxil. nu. ii.*

Idem. In voluntate hominis cum omnibus prærequiſitis etiam ex parte Dei vt actualiter velit tale objectum per judicium rationis ſibi propoſitum, ſtare ſimul & conſeruari illæſam veram facultatem, quâ poteſt nolle idem objectum aut contrarium: Et ideo tam agere quàm non agere eſſe in poteſtate voluntatis. Et cum judicio rationis indifferenti & omnibus prærequiſitis vt voluntas conſentiat in tale objectum, manere in eadem voluntate expeditam facultatem, quâ poſſit

IANSENIVS. diſſentire, ſi velit. 4. *Reſp. cap.* 1. *num.* 10.

4. Propoſit. *Item.* Cum auxilio efficaci præmouente ad aliquam actionem ſaluari in libero arbitrio expeditam facultatem, qua poſſit diſſentire, ſi velit. *Ibid. nu.* 13.

Item. Simpliciter loquendo voluntatem non exire in opus neceſſariò, ſed liberè, etiam poſt acceptam motionem & ſimpliciter poſſe non operari toto tempore, quo habet illam: nec auferri potentiam proximam ad actum oppoſitum. *Diſp.* 23. *de auxil. nu.* 28. *& Diſp.* 22.

Idem eſt voluntatem poſſe reſiſtere vel obtemperare etiam illi gratiæ quæ eſt efficax, ac poſſe illi conſentire vel diſſentire, poſſe agere vel non agere, illâ ſuppoſitâ, quod toties & tot modis Didacus aſſerit; Ac proinde vel illud non eſt Semipelagianum, vel Semipelagianus eſt Didacus.

Semipelagiani admittebant præuenientis gratiæ interioris neceſſitatem ad ſingulos actus, etiam ad initium fidei: Et in hoc erant hæretici quòd vellent eam talem eſſe, cui poſſet humana voluntas reſiſtere vel obtemperare.

GONCALEZ DE ALBELDA.

IDEM *erit dicendum de Ioanne Gonçalez, nam etiam inculcare non ceſſat indifferentiam & poteſtatem agendi expeditam & proximam eſſe ad libertatem neceſſariam, ac proinde manere cum gratia & ſub gratia efficaci, vt monſtratum eſt in ſuperiori proxima propoſitione.*

Recolendum eſt illud ex diſp. 57. *ſect.* 3. *nu.* 48. Contra Hæreticos Caluiniſtas conſtantiſſimè aſſerendum, quòd voluntas noſtra poteſt non ſequi, ſi velit, motionem efficacem. Efficaciam enim diuinæ motionis non conſiſtere in hoc quòd tollat à voluntate noſtra LIBERAM ET EXPEDITAM FACVLTATEM eam abjiciendi, ſi velit, ſed in eo quòd de facto eam non abjiciat; cùm tamen poſſit. Velle enim Deum decreto ſuo abſoluto vtrumque, quòd liberum arbitrium noſtrum ſequatur motionem ejus efficacem, & quòd habeat LIBERAM ET EXPEDITAM FACVLTATEM ad non ſequendum, ſi velit.

Et nu. 51. *Ly*, poteſt, *cùm dicitur liberum arbitrium poſſe diſſentire, interpretandum de potentia proxima expedita.*

Et nu. 54. Ex ſuppoſitione gratiæ efficacis ſequi neceſſitatem agendi tantùm cum habitudine ad noſtrum liberum arbitrium, vt expeditè indifferens ad oppoſitum, *quod ter, aut quater repetit num.* 55. *&* 56. *Et nu.* 63. Relinqui potentiam proximam & li-

beram facultatem ad determinandum ſe ad hoc potiùs, quàm illud.

Diſp. 58. *ſect.* 1. *nu.* 7. Prædeterminari voluntatem per modum libertatis, manente intrinſeca indifferentia PROXIMA ET EXPEDITA ad vtrumlibet.

Ibid. ſect. 3. *nu.* 34. Illud verbum, quo dicitur liberum arbitrium poſſe diſſentire, non denotare quòd ſemotâ præmotione efficaci, poteſt proximè & expeditè diſſentire, ſi velit; ſed denotare, quòd ETIAM STANTE ILLA POTEST PROXIME ET EXPEDITE DISSENTIRE, SI VELIT.

Et num. 36. Non dici diſſenſum impoſſibilem libero arbitrio excitato per gratiam efficacem, quia implicet abſolutè poni ſimul diſſenſum cum libero arbitrio, ſic excitato. Hoc enim falſum eſſe. Et ſi ſic excitatum NON ESSET PROXIME ET EXPEDITE INDIFFERENS AD VTRVMLIBET, NON FORE LIBERVM.

Et nu. 38. Gratiam efficacem non inclinare determinatè ad vnum, quaſi per modum naturæ, ſed cum indifferentia libera & expedita ad oppoſitum..... ET NON ADÆQVARE TOTAM VIM RESISTENDI, QVAM HABET VOLVNTAS.

Et diſput. 75. *ſect.* 3. *nu.* 41. Firmiſſimè teneri à Thomiſtis, voluntatem noſtram per gratiam præuenientem efficacem, quâ à Deo excitatur & mouetur, non prædeterminari OMNINO ad vnum; NEC TOLLERE POSSIBILITATEM PROXIMAM ET EXPEDITAM ad oppoſitum, etiam ſtante tali gratia.

Denique Gonçalez citatis locis quinquies ſupra vigeſies, requirit PROXIMAM ET EXPEDITAM FACVLTATEM AD VTRVMLIBET OPPOSITORVM, *vt ſaluetur libertas, & contendit ſtare illam cum gratia efficaci, quod eſt dicere cum illa gratia conjungi τὸ poſſe diſſentire, ſeu non conſentire, ac proinde reſiſtere. Eſt igitur etiam ille Semipelagianus, ſi vera eſt propoſitio Ianſenii.*

IANSENIVS. 4. Propoſit, *Semipelagiani admittebant præuenientis gratiæ interioris neceſſitatem ad ſingulos actus, etiam ad initium fidei: Et in hoc erant hæretici quòd vellent eam gratiam talem eſſe, cui poſſet humana voluntas reſiſtere vel obtemperare.*

IANSENIVS.

4. Propoſit. *Semipelagiani admittebant prævenientis gratiæ interioris neceſſitatem ad ſingulos actus, etiam ad initium fidei: Et in hoc erant hæretici quòd vellent eam gratiam talem eſſe, cui poſſet humana voluntas reſiſtere vel obtemperare.*

IOANNES PAVLVS NAZARIVS.

NIHILO *magis excuſari poterit Ioannes Paulus Nazarius, qui etiam ipſe intrinſecam eſſe putat libero arbitrio indifferentiam, & promptam atque expeditam facultatem agendi & non agendi, & conſequenter reſiſtendi vel obtemperandi etiam gratiæ efficaci, ſiquidem cum illa ſtat libertas. Conſtat hoc ex iis quæ dicit ad art.* 20. *quæſt.* 19. 1. *part. controu. vnica. Definitionem liberi arbitrii ſic poſſe conſtrui.* Liberum arbitrium eſt voluntas, prout eſt electiua, ex judicio rationis, AD DIVERSA INDIFFERENTI, POTENS AGERE ET NON AGERE. Eſſe etiam communiter receptam ab omnibus illam definitionem, Potentia libera eſt illa, quæ poſitis omnibus ad agendum requiſitis, poteſt agere & non agere hoc vel illud: Et cùm dicitur poſſe agere & non agere, & agere hoc vel illud, nihil aliud eſſe, quàm habere potentiam contradictionis & contrarietatis; nec quamlibet potentiam contradictionis ſatis eſſe, vt ſit potentia libera, ſed requiri potentiam contradictionis, quæ in eodem inſtanti, non tamen pro eodem conjunctim, ſed diuiſim habeat in ſua facultate VTRAMQVE CONTRADICTIONIS PARTEM .... Eam enim potentiam quæ ſucceſſiuè tantùm potens eſt ad agendum & non agendum, vt ſcilicet nunc poſſit agere, & poſteà poſſit non agere, non eſſe potentiam liberam. Debere potentiam liberam, poſitis omnibus ad agendum requiſitis, IN EODEM INSTANTI, habere PROMPTAM ET EXPEDITAM ad operandum facultatem; poſſéque ſeipſam ad agendum applicare, aut ſe ab agendo continere.

Item ad quæſt. 20. *art.* 4. *controu.* 2. Deum quidem cauſas neceſſarias ita mouere, vt ad vnum determinet neceſſitate quadam: liberas autem NVLLA IMPOSITA NECESSITATE præmouere ad ſingulos actus determinatè; ita vt non in ſolius Dei poteſtate & operatione, ſed in agentis liberi facultate poſita ſit agentis determinatio.

Item ad quæſt. 22. *art.* 4. Diuinum influxum impellere ad mouendum ſimul cum voluntate ſeipſam mouente, & licèt inferat actum infallibiliter, poſſe tamen voluntatem antequam ſit

per actualem influxum in actu ſecundo RESISTERE ET EFFECTVM ILLIVS IMPEDIRE, cùm ſit indifferens ad vtrumque oppoſitum.

Item ad quæſt. 14. *art.* 13. *controu.* 6. ESSE SENSVM HÆRETICVM, ita intelligere neceſſitatem ex ſuppoſitione, vt eâ ſtante nulla maneat contingentia, indifferentia ſiue libertas in voluntate ..... Ita enim voluntatem numquam exercere ſuam libertatem; nec ex conſequenti ſupereſſe vllum effectum liberum: & debere voluntatem poſſe non facere id ad quod determinatur.

Vides totam hanc Nazarii doctrinam hoc ſtabilire quod Ianſenii propoſitio Semipelagianum pronuntiat.

DIDACVS NVGNES CABEZVDO.

RECOGNOSCENDA *pariter ſunt ea quæ producta ſunt ex Cabezudo, vt conſtet ipſum quoque Semipelagianiſmi damnatum eſſe à Ianſenio, cùm dicit tract. de Auxiliis ad quæſt.* 72. 3. *part. quæſt.* 2. liberum arbitrium ſecundùm ſe & eſſentialiter eſſe indifferens ad vtramque partem contradictionis, *pag.* 82. *edit. Venetæ.*

Item. Auxilium efficax præſupponere potentiam OMNINO COMPLETAM, NON LIGATAM, NON IMPEDITAM AD VTRVMLIBET. *pag.* 83.

Item pag. 99. Rationem eſſentialem libertatis per ſe primò conſiſtere in productione actus, qui regulatur per cognitionem indifferentiæ mediorum. Et ex hoc ſequi quòd potentia ſic operans POSSIT OPERARI ET NON OPERARI.

Ex iis manifeſtè ſequi auxilium efficax, datum ab ipſo Deo, & exiſtens ſimul tempore & prius naturâ, quàm noſtra operatio, nullo modo tollere vel minuere libertatem illius, propterea quòd non tollat cognitionem indifferentiæ mediorum.

Vnde inferas, cùm diuina gratia non tollat libertatem, conſequenter eſſe talem, vt ei creata voluntas poſſit reſiſtere vel obtemperare: ac proinde Semipelagianam eſſe Cabezudi doctrinam, ſi Ianſenii Catholica eſt.

IANSENIV[S]

4. Propoſi[tio]

Semipelagi[a]ni admitt[e]bant præu[e]nientis gr[a]tiæ interior[is] neceſſitatem ad ſingulos [a]ctus, etia[m] ad initium [fi]dei: Et in h[oc] erant hæret[i]ci quòd ve[l]lent eam gr[a]tiam talem eſſe, cui po[ſ]ſet humana voluntas re[ſi]ſtere vel ob[tem]perare.

PETRVS LEDESMA.

HVC *quoque referenda ſunt quæ ſunt allata ſuperiùs ex Ledeſma de neceſſitate indifferentiæ, ad conſtituendam libertatem.* Et quòd illa retineatur etiam ſub gratia efficaci, & quòd ſint hæretici qui hoc negant. *Nam cùm indifferentiam retineri ſit idem ac retineri poteſtatem non conſentiendi, quod eſt reſiſtere impulſui diuinæ gratiæ, ſequitur ex Ledeſma voluntatem reſiſtere poſſe gratiæ efficaci, & ſi hoc Semipelagianum eſt, Semipelagianum eſſe Ledeſmam, qui ex aduerſo Caluiniſtas vocat eos qui contradicunt. Hæc inter alia notari poſſunt.*

Ar. 1. *pag.* 49. Ex eo quòd ſit neceſſarium vt voluntas prædeterminetur ab ipſo Deo per auxilium, non colligitur quòd non ſit in poteſtate voluntatis conſentire vel diſſentire.

Art. 10. *pag.* 225. *col.* 2. Voluntas libera eſt abſolutè loquendo & ABSOLVTE POTEST RESISTERE DEI AVXILIO, quamuis non in ſenſu compoſito, quia determinatur ſecundùm conditionem ſuæ naturæ. *Eſt igitur illa naturalis conditio cauſa libera.*

Ibid. pag. 229. *col.* 1. Itaque ſtante tali motione efficaci, voluntas manet libera & non determinata naturaliter, vnde abſolutè POTEST DISSENTIRE SI VELIT, etiam STANTE ILLO AVXILIO POTEST DISSENTIRE.

Ibid. ar. 13. *pag.* 284. Auxilium efficax relinquit potentiam in qua recipitur habilem vt poſſit ACTVM VITARE, CONSENTIRE, DISSENTIRE, & voluntatem poſſe ei RESISTERE abſolutè loquendo.

Ibid. 285. Ad auxilium efficax conſequi actum infallibiliter, non tamen INEVITABILITER. *Poteſt igitur euitari conſenſus. Et quid hoc aliud eſt, quàm liberum arbitrium poſſe conſentire vel diſſentire diuinæ gratiæ; quod Ianſenio in quarta propoſitione Semipelagianum videtur?*

BALTHAZAR NAVARETTE.

EX dictis ab hoc Authore contra tertiam propoſitionem hîc tantùm repetenda ſunt iſta. Auxilium efficax actuare liberum arbitrium relinquendo in eodem inſtanti facultatem eidem vt poſſit reſiſtere tali auxilio: Ex iſto modo actuandi ſequi, vt ſi liberum arbitrium velit, non ſe ſubjiciat auxilio: Abſolutè poſſe liberum arbitrium in illo inſtanti non admittere auxilium efficax: Habere indifferentiam ex vi actualis concurſus Dei, quo voluntati actualiter tribuitur poſſe operari vel non operari in eodem inſtanti, in quo eadem voluntas non reſiſtit: Auxilium efficax actuare liberum arbitrium conformiter ad ſuam naturam, attendendo ad indifferentiam explicatam & relinquendo potentiam ad reſiſtendum in eodem inſtanti; Deum mouendo efficaciter cauſam liberam communicare illi indifferentiam, conſeruare libertatem, quia cauſat actualem indifferentiam, & quando incipit efficaciter mouere, relinquere libertatem ad reſiſtendum. *Non poteſt expreſſiùs contradici Ianſenianæ propoſitioni quartæ.*

IANSENIVS. 4. Propoſit. *Semipelagiani admittebant prævenientis gratiæ interioris neceſſitatem ad omnes actus, etiam ad initium fidei: Et in hoc erant hæretici, quòd vellent eam gratiam talem eſſe, cui poſſet humana voluntas reſiſtere vel obtemperare.*

IOANNES A SANCTO THOMA

tom. 2. in 1 part. antea citato.

DISPVTAT. 3. *art.* 5. *pag.* 98. *col.* 1. *nu.* 25. Secunda propoſitio: Suppoſito decreto efficaci de ſe ſolo, non poſſumus non velle diſſentire, aut reſiſtere, apud Thomiſtas ſecundùm Catholicam doctrinam habet hunc ſenſum; non poſſumus diſſentire aut reſiſtere POTENTIA ANTECEDENTI, EST FALSVM ET HÆRETICVM: potentia conſequenti, eſt verum & Catholicum; Potentia antecedens eſt potentia ſine actu reſiſtentiæ, SED CVM POTESTATE RESISTENDI... Poſitâ ergo efficaciâ Dei, dante actum & libertatem actus, MANET POTESTAS RESISTENDI ANTECEDENS, id enim conſeruat gratia, conſeruando libertatem.

NSENIVS. Propoſit. *nipelagia- admitte- ſt przue- ntis gra- interioris ceſſitatem omnes a- s, etiam initium fi- i: Et in hoc ant hæreti- quòd vel- t eam gra- m talem e, cui poſſet mana vo- ntas reſi- re vel ob- mperare.*

Ibid. diſput. 5. *pag.* 178. *col.* 1. *nu.* 16. Sicut aquæ non reſiſtunt diuiſioni, quæ manu hortulani fit, ita etiam cor Regis MANENTE POTESTATE ET LIBERTATE SVA ANTECEDENTI AD RESISTENDVM de facto non reſiſtit Deo, mouenti quocumque voluerit.

Ibid. art. 6. *pag.* 202. *nu.* 9. *col.* 1. Gratia Dei quantumcumque efficax non tollit poſſe ſibi reſiſti, & diſſentiri, & deficere.

Ibid. pag. 204. *col.* 2. *nu.* 17. Si homo poteſt abjicere gratiam excitantem, poteſt conſequenter diſſentiri gratiæ efficaci.

Ibid. nu. 18. Quare Concilium non definiuit quòd poſſumus reſiſtere auxilio ſufficienti tantùm, omiſſo efficaci, in quo faciunt vim Caluiniſtæ, SED ETIAM EFFICACI POSSVMVS DISSENTIRI.

Diſput. 7. *art.* 4. *pag.* 307. *col.* 1. *num.* 36. Voluntas Dei prædefinitioni & operationi reſiſtere poteſt potentiâ antecedenti, quia hoc ipſum Deus illi tribuit, vt ſic poſſit oppoſitum; non potentiâ conſequenti, quia ſic mouet, vt de facto non reſiſtat.

Ibid. pag. 308. *col.* 1. *nu.* 39. Quantum ad modum iſtius infallibilitatis, reſpectu effectus, NVLLAM NECESSITATEM INFERT DEVS, ſicut infert Sol, quia iſte eſt cauſa omnino coarctata, &c.

Huc ſpectant omnia quæ ſunt allata ſuperiùs ad probandum indifferentiam includi in ratione liberi, ſi enim manet indifferentia cum gratia efficaci, ſicut manet libertas, conſequenter manet etiam poteſtas reſiſtendi.

Ex his conſtat Thomiſtas gratiæ per ſeipſam efficacis defenſores conuenire omnes ad damnandam ſecundam partem quartæ Propoſitionis Ianſenii, ac putare pertinere illam ad errorem recentium hæreticorum: Primam etiam partem diſertè rejiciunt ex jam citatis Ledeſma art. 13. *pag.* 275. *& Nauarette controu.* 12. *Qui fatentur Semipelagianos etiam negaſſe neceſſitatem interioris gratiæ ſufficientis ad initium fidei.*

IANSENIVS. 5. Propoſit. *Semipelagianum eſt dicere Chriſtum pro omnibus omnino hominibus mortuum eſſe, aut ſanguinem fudiſſe.*

DIDACVS ALVAREZ.

DISPVT. 71. *de Auxil. du.* 7. Appellat autem S. Auguſtinus vocationem ſecundùm propoſitum eam, quæ procedit ex oppoſito ſeu decreto abſoluto & efficaci voluntatis diuinæ conuertendi, vel ad ſe per piam operationem trahendi, vel juſtificandi hominem: aut etiam ſaluandi & glorificandi: vocationem verò non ſecundùm propoſitum eam dicit, quæ procedit ex voluntate Dei antecedente, QVA VVLT OMNES HOMINES SALVOS FIERI, & ad cognitionem veritatis venire.

Item nu. ii. relatis D. Th. verbis ſuper cap. 26. Matth. Ex his deſumitur argumentum, Paſſio Chriſti ſatisfecit pro omnibus hominibus, quantum ad ſufficientiam, & pro aliquibus quantum ad efficaciam. Ergo ſimiliter gratia quam nobis per paſſionem meruit, DISTINGVI POTEST ET DEBET IN GRATIAM SVFFICIENTEM, per quam poteſt homo piè operari ET SALVARI, & in gratiam efficacem, per quam reipſa piè operatur & ſaluatur.

Ibid. nu. 6. poſt allata verba Concilii Arauſicani can. 25. Quibus verbis apertè docet omnes exiſtentes in gratia, per Dei auxilium poſſe perſeuerare, ſi velint, & ea quæ ad ſalutem pertinent adimplere. *Et poſt allata verba Trid.* Ergo, *inquit*, ſecundùm Tridentinum datur gratia ſufficiens, qua poteſt homo ſeruare omnia diuina mandata.

Ibid. num. 7. Ex Auguſtino auxilium ſufficiens procedere ex voluntate Dei antecedente, qua vult omnes homines ſaluos fieri.

Et anteà diſp. 33. *num.* 1. *poſt allatas tres explicationes ſancti Auguſtini in illud, Deus vult omnes homines ſaluos fieri.* Quarta explicatio, *inquit*, docet loqui Apoſtolum de voluntate Dei antecedente, quæ eſt voluntas ſigni & voluntas ſecundùm quid .... Hanc explicationem etiam tradit S. Auguſtinus ad ar. ſibi falſò impoſitos, & cap. 15. de corrept. & grat. & S. Thomas &c.

Et ante diſput. 30. *num.* 7. Ad ſecundum reſpondetur quòd omnes homines ordinantur ad beatitudinem ſuper-

IANSENIVS. 5. Propoſit. *Semipelagianum eſt dicere Chriſtum pro omnibus omnino hominibus mortuũ eſſe, aut ſanguinem fudiſſe.*

naturalem voluntate antecedenti: voluntate autem conſequenti ſeu beneplaciti, ſolùm prædeſtinati ordinantur ad illam.

Et Diſp. 33. *num.* 4. Sed contrà, quilibet dum eſt in via poteſt per auxilium gratiæ ſaluari: Ergo Deus vult voluntate beneplaciti vt omnes ſalui fiant, niſi per eos ſteterit. Reſpondetur negando conſequentiam; ſolùm enim infertur DEVM VELLE VT OMNES SALVARI POSSINT: Quod quidem veriſſimum eſt, quia quantum eſt ex parte ſua, paratus eſt omnibus gratiam dare, vt diſp. 112. & 113. manifeſtum fiet.

Ibid. Diſp. 34. *num.* 5. Quarta concluſio: Voluntas antecedens importat formaliter actum conditionatum, quo vult ſalutem omnium, niſi ex hoc impediretur pulchritudo vniuerſi & bonum vniuerſale diuinæ juſtitiæ & miſericordiæ.

Ibid. Deus amore actuali amicitiæ amat reprobum, dum exiſtit in gratia; ERGO VOLITIONE FORMALI VVLT ILLI BEATITVDINEM...... Ergo eſt formaliter volitio conditionalis ex parte objecti voliti, videlicet ſi perſeuerauerit vſque in finem.

Adde quæ docet diſp. 112. *n.* 5. 6. 7. Deum omnibus OFFERRE QVANTVM EST EX SE AVXILIA INTRINSECA SVFFICIENTIA AD SALVTEM, quòd Chriſtus pro omnibus mortuus ſit. Et deinde omnibus adultis conferre auxilium ſupernaturale intrinſecum ad implenda præcepta naturalia, quæ ſuppoſito peccato per vires naturæ impleri non poſſunt; Et illud auxilium recipi ab omnibus pro loco & tempore, quo præceptum obligat; Et præſertim dari omni homini ad vſum rationis venienti; Et ſi eo bene vtatur, infallibiliter dandum auxilium ſufficiens ad immediatè credenda myſteria fidei.

Et num. 9. Pro quolibet momento poſſe quemlibet peccatorem, quandiu eſt in via, habere ſpeciale auxilium ſufficiens: & HANC POTENTIAM FVNDARI IN VIRTVTE CHRISTI ET MISERICORDIA DEI: & in hoc eſſe differentiam inter viatores & damnatos.

Et lib. 3. *Reſp. c.* 5. *num.* 5. Voluntatem creatam per habitus infuſos, & motionem gratiæ excitantis habere ſufficiens auxilium, QVO POSSIT PIE OPERARI ET PERSEVERARE

VSQVE IN FINEM, ET SALVARI SI VELIT, etiam ſi non recipiat præmotionem efficacem, quâ piè operetur, perſeueret vſque in finem, & ſaluetur.

Ibid. num. 10. Per auxilium ſufficiens poſſe ſaluari dum ſunt in via, ETIAM ILLOS, QVI DE FACTO NON SALVABVNTVR; non ſequi quòd non poſſit ſaluari etiam ille, qui non habet donum perſeuerantiæ, ſed ſolùm quòd reipſa non ſaluabitur. *Et num.* 27. Potentiam, quæ per hujuſmodi auxilium ſufficiens conſtituitur, ITA ESSE PROXIMAM, VT NIHIL MEDIET, QVOD TRIBVAT SVBIECTO POTESTATEM, SEV VIRTVTEM IN ACTV PRIMO.

IANSENIVS 5. Propoſit. *Semipelagianum eſt dicere Chriſtum pro omnibus omnino hominib. mortuum eſſe, aut ſanguinem fudiſſe.*

Ex his omnibus conſtat iuxta Didacum eſſe in Deo formalem actum voluntatis, quo velit omnes homines ſaluos fieri, quandiu ſunt in via, qui quamuis ſit conditionatus, & voluntas ſecundum quid, non deſinit tamen eſſe efficax, quantum ad hoc quod eſt dare media extrinſeca iis, qui extrinſecorum tantùm ſunt capaces, vt ſunt infantes: intrinſeca verò & ſupernaturalia iis, qui eorum capaces ſunt, vt ſunt adulti, quibus omnibus dantur auxilia, per quæ poſſunt, vel immediatè credere diuina myſteria, vel immediatè tollere impedimenta, & ponere diſpoſitiones ad habenda vlteriora illa ad immediatè credendum auxilia, idque ob eam cauſam, quia Chriſtus pro omnibus mortuus eſt, & quia virtus paſſionis ejus eſt infinita. Et non eſſe talem voluntatem circa eos, qui ſunt extra viam in ſtatu damnationis.

IO. GONCALES DE ALBELDA.

DISP. 73. *in* 1. *ſect.* 3. *num.* 24. Electio efficax aliquorum antecedens præuiſionem meritorum non eſt contraria vllo modo SINCERÆ VOLVNTATI DEI GENERALI, QVA VVLT OMNES HOMINES SALVOS FIERI. Quia ad ſinceritatem hujus voluntatis ſufficit communis prouidentia ſupernaturalis, quâ OMNIBVS VVLT AVXILIA SVFFICIENTIA, VT ÆTERNAM POSSINT, SI VELINT, CONSEQVI SALVTEM.

Ibid. reſp. 77. *ſect.* 3. *num.* 24. Quartò dico, ſi auxilia ſufficientia ad ſalutem conſiderentur in generali, omnibus conferuntur à Deo ejuſmodi auxilia, quia pro omnibus mortuus eſt Chri-

—— ſtus: & pro omnibus inſtituit Sacramentum regenerationis, & ſuis Apoſtolis juſſit, vt prædicarent Euangelium omni creaturæ. Et ita quandiu quis manet in hac vita, excluſus non eſt à remedio ſalutis æternæ, ſiue adultus ſit, ſiue paruulus, cui per alios ſubueniri poteſt.

Ibid. Illi qui in Scriptura peculiariter dicuntur, deſerti à Deo, NON IDEO TALES DICVNTVR, QVIA AVXILIIS SVFFICIENTIBVS PRIVENTVR PRO LOCO ET TEMPORE, QVO INSTAT OCCASIO ADIMPLENDI PRÆCEPTVM; ſed quia etiamſi auxilia ſufficientia habeant, non tamen efficacia, ... ſic deſertis per quandam exaggerationem dicitur impoſſibilis ſalus, quia valde difficilis, aut impoſſibilis ſolùm impoſſibilitate, ſequenti permiſſionem & præſcientiam Dei, QVÆ NVLLO MODO TOLLIT AVT MINVIT INTRINSECAM FACVLTATEM AD OPPOSITVM.

Adde quæcumque ſunt allata ſuperiùs de auxilio ſufficienti, quod nemini deeſt ad perſeuerandum, nec ad pœnitendum ſuo tempore, nec ad alia implenda præcepta. Habetur enim ex meritis Chriſti, & conſtituit expeditam facultatem bene viuendi & ſeruandi mandata, quâ ratione poſſent etiam qui damnantur ad vitam ingredi, quandiu ſunt in via.

NSENIVS. Propoſit. *Semipelaianum eſt ... ere Chri... m pro omnibus omnibus hominibus ... ortuum eſ... aut ſan... inem fu... ſſe.*

IOANNES PAVLVS NAZARIVS.

AD *quæſt. 19. 1. part. art. 6. controu. 1.* Cùm Deus vniuerſos homines propter beatitudinem fecerit, dicitur voluntate antecedente, omnium ſalutem velle. Sed quia nonnulli propriæ aduerſantur ſaluti, ob quem defectum eos ad ſalutem diuinæ Sapientiæ diſpoſitio venire non patitur, implet in eis alio modo id quod ſuam condecet bonitatem, juſtè illos condemnans; atque ita à primo deficientes diuinæ voluntatis ordine, in ſecundum labuntur, & dum Dei voluntatem non faciunt, impletur in eis diuina voluntas.

Ibid. Secundò ſciendum eſt, quòd licèt, vt diximus, Deus vniuerſos homines & Angelos propter beatitudinem creauerit, atque adeò VERE ET REALITER ILLIS OMNIBVS ÆTERNAM BEATITVDINEM VELIT CVM OMNIBVS AD EAM CONSEQVENDAM MEDIIS NECESSARIIS, non tamen hæc voluit abſolutâ voluntate, ſed ſub conditione, vt dicit

Ambroſius, ſi ipſi voluerint..... Ea verò conditione, videlicet, ſi ipſi voluerint, id eſt, ſi per ipſos non ſteterit, comprehenduntur nedum adulti, ſed ETIAM INFANTES, ratione tamen diuerſa. Nam adulti includuntur immediatè & per ipſos, infantes mediantibus aliis ſaltem primis parentibus.

IANSENIVS. 5. Propoſit. *Semipelagianum eſt dicere Chriſtum pro omnibus omnino hominibus mortuum eſſe, aut ſanguinem fudiſſe.*

Ibid. Auguſtinus (*ſuis interpretationibus circa illud*, QVI VVLT OMNES HOMINES SALVOS FIERI) non excludit interpretationem Damaſceni, quæ priùs fuit Chryſoſtomi, imò & Ambroſij. Illa igitur prima voluntas, QVA VVLT OMNES HOMINES SALVOS FIERI, ABSOLVTA EST, SED INEFFICAX: conditionata verò dicitur, quia ſub conditione continet efficacem voluntatem.

Ibid. Etiam ſi ſit voluntas ſecundùm quid, ESSE TAMEN FORMALITER IN DEO, ET ESSE VOLVNTATEM BENEPLACITI.

Ibid. ad quæſt. 23. *art.* 3. *controu.* 1. In eo inſtanti, ſiue ſigno, in quo præuidet Deus peccatum originale, priori modo (*id eſt prout eſt in Adam, aut etiam prout præcisè ab eius poſteris contractum, non tamen vt perſeuerans finaliter*) non intelligitur excluſiſſe ab æterna beatitudine eos omnes, qui de facto tamen excluduntur. Nam in illo eodem ſigno ſtatuit Deus humano generi DE SVFFICIENTI REMEDIO SALVTIS PROVIDERE. Igitur in eo ſigno nullum excluſit à regno. Item in illo ſigno, VOLVIT QVANTVM EST EX SE OMNES HOMINES SALVTEM CONSEQVI.

Ibid. Obſeruandum eſt Deum decreuiſſe illis quos elegit, dare remedia & auxilia efficacia, quibus infallibiliter ſalutem conſequerentur; illis autem, quos non elegit, ſtatuit AVXILIA TANTVM CONFERRE SVFFICIENTIA, non autem efficacia.

Ibid. ad quæſt. 23. *art.* 3. *controu.* 2. Secunda concluſio. Quilibet homo viator habet auxilium gratiæ NECESSARIVM ET SVFFICIENS AD SALVTEM CONSEQVENDAM. Ex hac concluſione ſequitur, quòd Deus det omnibus hominibus auxilium ſufficiens ad ſalutem, ſi vtamur verbo *dare*, PROVT RELATIVVM EST AD ACCIPERE. Tertia concluſio. Deus omnibus dat, ſiue offert auxilia extrinſeca ſufficientia ad ſalutem, licèt non omnes ea recipiant. Probatur, quia Deus vult omnes homines ſaluos fieri. 4. Concluſio. Omnibus venientibus ad vſum rationis Deus confert ſupernaturale auxilium intrinſecum, inſtigans ad bonum.

NSENIVS. Propoſit. *mipelagia- m eſt dice- Chriſtum o omnibus nnino bo- inibus mor- um eſſe aut nguinem d'ſc.*

Hæc concluſio eſt D. Thomæ 1. 2. quæſt. 89. art. 6.

Ibid. Quinta concluſio. S. Auguſtinus & S. Thomas NON INTENDVNT NEGARE CONFERRI A DEO AVXILIVM SVFFICIENS ETIAM OBDVRATIS ET OBCÆCATIS, VT A PECCATO RESVRGANT.

Ibid. Septima concluſio. Paruulis omnibus prouidit Deus auxilium ſupernaturale ſufficiens, non tamen immediatè in ſeipſis, ſed per alios.

Ibid. ar. 5. controu. 3. Falſum ſupponitur in eadem minori, videlicet ſecundùm hanc noſtram ſententiam Deum non velle dare reprobis media ſufficientia, cujus oppoſitum ſuprà latè ſtabiliuimus. *Pag.* 880. *col.* 1.

Dei voluntas circa hominum ſalutem, & voluntas Chriſti mortem ſuam offerentis, ſunt parallelæ; & media ſufficientia illa, quæ dicuntur reprobis data, non aliunde ſunt quàm ex meritis mortis Chriſti. Ergo ſicut Deus vult omnes homines ſaluos fieri voluntate ſubminiſtrante media ſufficientia; ita neceſſariò concedendum eſt Chriſtum voluiſſe meritum Paſſionis ſuæ offerre ad eadem media impetranda.

DIDACVS NVGNES CABEZVDO.

TOM. 2. *in* 3. *part. ad ar.* 1. *quæſt.* 86. *pag.* 64. *editionis Venetæ, an.* 1612. *in* 2. *concluſione.* Impoſſibile eſt quòd peccatores ſaluentur, niſi agant pœnitentiam; SED OMNIBVS DAT DEVS AVXILIVM SVFFICIENS AD SALVTEM, ergo etiam ad pœnitentiam. Minor patet Ioan. 3. Sic Deus dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret, vt omnis qui credit in ipſum non pereat, ſed habeat vitam æternam. Et 1. Ioan. 3. Ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris, non pro noſtris autem tantùm, ſed etiam pro totius mundi. Et 1. Tim. 4. Saluator omnium, maximè fidelium.

Ibid. quæſt. 1. hujus 3. partis art. 2. Probatur Chriſtum ſatisfeciſſe pro omnibus quantum ad ſufficientiam; HOC ENIM EST DEDISSE OMNIBVS AVXILIVM SVFFICIENS vt agant pœnitentiam.

Vnde quæ allata ſunt antea, hæreſim eſſe manifeſtam, negare quòd omnis homo dum eſt in via & compos rationis, po-

teſt ſimpliciter loquendo agere pœnitentiam de peccatis, atque adeò quòd omnibus datur auxilium ſufficiens, vt poſſint pœnitere; & nihil valere ſolutionem, quòd excipiantur excæcati & obdurati ab hac regula.

Item. Venientem ad vſum rationis habere principium intrinſecum ſufficiens, vt ſe in Deum conuertat; quòd ſi faceret, habiturum ſufficiens ad immediatè credendum.

Item. Etiam infantes, qui pereunt in vtero materno, ſecundùm potentiam ordinariam poſſe baptizari, & ſaluari.

IANSENIV 5. Propoſit *Semipelagia num eſt dice re Chriſtu pro omnib omnino ho minibus mo tuum eſſe, aut ſangui nem fud ſi*

PETRVS LEDESMA.

ART. I. *de auxiliis, pag.* 51. *col.* I. Ad ſextum argumentum negatur ſequela, & ad probationem quòd tales admonitiones & exhortationes non ſint ſimulatæ & fictæ, ſed veræ. quia licèt non procedant à voluntate Dei conſequente quam Deus poterat habere & non habet, circa ſalutem hominum in particulari, procedunt A VOLVNTATE ANTECEDENTE QVAM DEVS HABET DE SALVTE OMNIVM HOMINVM, ET QVAM IPSI ETIAM REPROBI CONSEQVI POSSENT PER AVXILIA SVFFICIENTIA QVÆ DEVS ILLIS CONFERT; Vnde ſicut voluntas Dei antecedens non eſt fictitia & ſimulata, ita neque admonitiones & exhortationes, & vocationes ejus; Et ita multa ſunt teſtimonia ſacræ Scripturæ quæ pertinent ad iſtam rem quæ verificantur SECVNDVM VOLVNTATEM DEI ANTECEDENTEM, QVA DEVS VVLT OMNES SALVARE, ET QVOD NON CARENT AVXILIO NECESSARIO AD SVI CONVERSIONEM. Et etiam verificantur. Quia dat Deus OMNIBVS SVFFICIENTIAM AD SALVTEM & tempus pœnitentiæ. Et ſufficit dediſſe auxilium ſufficiens VT PECCATOR POSSIT CONVERTI. Quòd ſi non fecerit, ſuâ culpâ perit.

Adde quod dicitur art. 13. *pag.* 276. Ex eo quòd datur auxilium ſufficiens juſto, imputari ad culpam quòd non perſeueret in bono. Et qui peccare permittuntur habere auxilium ad non peccandum.

IANSENIVS 5. Propoſit. *Semipelagianum eſt dicere Chriſtum pro omnibus omnino hominibus mortuum eſſe, aut ſanguinem fudiſſe.*

Ibid. ar. 16. *pag.* 237. Eſſe probabile quòd omnibus detur auxilium intrinſecum ad ſalutem.

Et antea ar. 13. *pag.* 277. *Diſtinctio.. n auxilii in ſufficiens & efficax dicit* habere fundamentum in ſimili loquutione antiquorum Theologorum de merito & redemptione Chriſti. Dicunt enim quòd ſatisfecit pro omnibus, quantum ad ſufficientiam ſatisfactionis, non tamen quantum ad efficaciam. *Quo dicto ſignificat iis impetraſſe auxilia ſufficientia, pro quibus dicitur quantum ad ſufficientiam ſatisfeciſſe.*

BALTHAZAR NAVARETTE.

AD *quæſt.* 23. *controu.* 36. In inſtanti ſequenti præuiſionem peccati originalis, Deus tribuit hominibus infectis maculâ originalis peccati remedium illud VNIVERSALISSIMVM Incarnationis & Paſſionis Filii ſui, & Sacramenta atque alia remedia..... Hoc ſuppoſito, rejicienda eſt ſententia Gregorii, tenentis Deum non velle voluntate etiam antecedenti illos paruulos qui decedunt in vteris maternis, ſaluos fieri: Etenim Apoſtolus VNIVERSALITER LOQVITVR I. Tim. 2. qui vult omnes homines ſaluos fieri. Qui locus non ſolùm intelligitur de voluntate, quam Deus habet ante peccatum originale, SED ETIAM DE ILLA QVAM HABVIT POST PECCATVM ORIGINALE.

IOANNES A SANCTO THOMA
tom. 2. in 1. par. S. Th. edit. Lugdun.

DIP. 5. *ar.* 6. *pag.* 205. *nu.* 19. De auxiliante autem gratia ſic intelligitur (quod dicit Concilium Trid. neminem à Deo deſeri) quòd Deus de ſe paratus eſt ſemper eam dare & perficere opus ſuum quod incœpit, niſi per nos ſteterit, &c.

Ibid. pag. 207. *col.* 1. *nu.* 24. Ad illud teſtimonium Iſ. 5. *Quid vltrà debui facere vineæ meæ & non feci*, &c. Reſpondeo quòd loqui-

loquitur DE OMNIBVS PERTINENTIBVS AD AVXILIVM SVFFICIENS ET AD POSSE FACERE: Nihil enim Deus ſubtrahit de neceſſariis; non tamen dat omnia etiam vltrà neceſſaria.

IANSENIVS 5. Propoſit. Semipelagianum eſt dicere Chriſtum pro omnibus omnino hominibus mortuum eſſe, aut ſanguinem fudiſſe.

Ibid. pag. 232. *col.* 2. *num.* 15. Deus vult multos peccatores conuerti, & de ſe ponit media ad id ſufficientia, per prædicationes, per exempla, per miracula, quæ omnia ordinantur ad conuerſionem peccatoris, quæ tamen non eſt futura, & ſic neque efficaciter volita, ſicut prædicauit & fecit miracula apud Iudæos multos qui non ſunt conuerſi, vt conqueritur Matth. 11. & 23. *Quoties volui*, &c. Ezech. 18. *Nolo mortem*, &c. Iſ. 5. *Quid vltrà debui*, &c. Ergo ORDINAT ET VVLT DEVS CONVERSIONEM PECCATORVM ETIAM QVI CONVERTENDI NON SVNT. Et patet, quia ponit eis præceptum conuertendi, monet illos, inſtigat alios vt maneant, &c. Hæc autem ordinatio & præceptum, & admonitio, & VOLVNTAS IN DEO FORMALITER EST IN ORDINE AD CONVERSIONEM; IDEO enim inſpirat & mouet quia illa conuerſio placet illi: Ergo placet aliquid Deo de facto, NEC PLACET SOLA POSSIBILITAS, quia complacentia ſi datur in Deo, eſt communis omnibus poſſibilibus; Hæc autem conuerſio PLACET DEO VT FIAT, ET AD ID CAVSAS ORDINAT, QVÆ AD POSSIBILITATEM SOLAM ORDINANTVR. Et tamen eſt inefficax voluntas reſpectu principalis intenti, ſcilicet conuerſionis, licèt habeat adjunctam aliquam voluntatem efficacem circa ordinationem cauſarum; quia de facto ponit inſpirationem & admonitionem, & DE FACTO DAT SVFFICIENTIA AVXILIA; ſed hoc eſt habere voluntatem efficacem quoad aliquid adjunctum, inefficacem verò quoad principale intentum.

Ibid. art. 8. *pag.* 237. *col.* 1. *num.* 32. Expoſitiones Auguſtini, (circa illud, qui vult omnes homines ſaluos fieri) non contradicunt expoſitioni Damaſceni, ſed vtraque procedit in diuerſo ſenſu & diuerſa ratione...... Et verum eſt quòd Deus voluntate ANTECEDENTE ET INEFFICACI VVLT OMNES SIMPLICITER, NVLLO EXCEPTO, SALVOS ESSE, & verum eſt quòd non vult omnes voluntate efficaci. *Et dein-*

IANSENIVS. *de*, voluntatem illam antecedentem nos non negamus Deo conuenire, nec fictitiam dicimus, &c.

. Propoſit. *Semipelagia.* *num eſt dice-* *re Christum* *pro omnibus* *omnino ho-* *minibus* *mortuum eſ-* *ſe, aut ſan-* *guinem fu-* *diſſe.*

Diſput. 10. *ar.* 2. *pag.* 410. *nu.* 53. Ad 3. Replicam dicitur voluntatem Diuinam SALVANDI OMNES non contrariari voluntati reprobandi ſeu non eligendi aliquos.... NEC SINCERITATEM DIVINAM OBNVBILARE.

Ibid. art. 3. *pag.* 419. *num.* 30. *col.* 2. Nihilominùs in hac difficultate duo dico. Primum eſt, ſi loquamur de auxilio ſufficienti communi & ex parte ipſius remedii quod datur & proponitur à Deo, tum in Sacramento pro paruulis, tum in Sacramentis & doctrina ATQVE OBLATIONE VIRIVM SVFFICIENTIVM PRO ADVLTIS, omnibus paratum eſt & donatum à Deo auxilium ſufficiens, vel in ſe proximè, vel in ſuis cauſis, vt in meritis & virtute Paſſionis Chriſti.

Ibid. pag. 420. *col.* 1. *num.* 31. Primum dictum negari non poteſt ſalua fide, cùm innitatur vniuerſaliſſimæ virtuti Redemprionis Chriſti, vniuerſalitati Eccleſiæ Catholicæ, vniuerſalitati illuminarionis Diuinæ, tam in ordine naturali, quàm ſupernaturali, vniuerſalitati prædicationis Apoſtolorum & aliorum miniſtrorum, & aliis ſimilibus cauſis, quæ in omnes de ſe influxiuæ ſunt, ſaltem remorè, NISI HOMINVM AVT NEGLIGENTIA AVT PECCATIS IMPEDIANTVR. NAM REDEMPTIO CHRISTI PRO OMNIBVS HOMINIBVS FACTA EST quoad ſufficientiam, & Sacramenta omnibus propoſita, & ad omnes qui virtutem habent, ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris, non pro noſtris aurem rantùm, ſed eriam pro totius mundi. Qui dedit redemptionem ſemetipſum pro omnibus. Si vnus pro omnibus mortuus eſt, ergo omnes mortui ſunt, & pro omnibus mortuus eſt Chriſtus, vt pro omnibus guſtaret mortem.

Ex dictis conſtat Thomiſtas omnes gratiæ per ſeipſam efficacis defenſores id docere quod Ianſenio videtur Semipelagianum, Deum ita velle antecedenter omnes homines ſaluare, vt ex illa voluntate ſequantur media ſufficientia pro cujuſque capacitate omnibus collata; Et quòd ad adultos ſpectat, vel dari omnibus vel offerri auxilia

etiam intrinſeca ſufficientia, ita vt per ipſos ſtet quòd non ſaluentur: Atque hoc maximè verum eſſe de iis qui vixere aliquamdiu in ſtatu gratiæ, quibus non defuerunt auxilia ſufficientia ad perſeuerandum: Hæreſim eſſe ab eo numero excludere etiam induratos, ex quo fit vt reſtrictio illa quæ Ianſenius Dei voluntatem contrahit ad ſaluandos tantùm prædeſtinatos, nullo modo admitti poſſit juxta ſenſum Thomiſtarum. Iam Chriſtus Dominus mortuus eſt & ſanguinem fudit pro ſalute illorum omnium quos Deus ſaluari voluit. Quod negatur in hac quinta propoſitione.

CAVILLI IANSENIANORVM

CONTRA

LATAM IN IPSOS

A SEDE APOSTOLICA

SENTENTIAM.

SEV

CONFVTATIO

LIBELLI TRIVM COLVMNARVM

ET ALIARVM CONIECTVRARVM,

queis Ianſeniani obtinere conantur vt non videantur eſſe damnati.

ADMONITIO AD LECTOREM, & Nota in Diarium Santamorii.

PROMVLGATA Innocentii X. Conſtitutione contra Quinque Propoſitiones, Ianſeniani qui ſe de cælo tactos eſſe ſenſere, non poteſt dici quàm varia quámque perturbata inierint conſilia. Quinque-viri qui cauſam illam Romæ tunc ſuſtentabant, ad primam ſuæ damnationis auram, veriti ne ſuſcribere cogerentur, cogitare cœperunt, ſi qua ratione illam à ſe neceſſitatem amoliri poſſent. Agebatur tantùm de propoſitionibus à D. Corneto, vt ſolent dicere, fabricatis, hoc eſt, de illis ſolis de quibus adhuc quæſtio perſeuerat. Ergo ſi vrgerentur vt earum damnationi ſubſcriberent, mirabili inter ipſos conſenſu erexerunt ſcalam illam, quam deſcribit Auctor Diarii, vt non ſubitò ſed pedetentim & per gradus ad ſummam contumaciam aſcenderent. Reſponſuros enim primò ſubſcriptionem imperantibus, Nullam ſibi factam ab Epiſcopis à quibus erant miſſi ſubſcribendi facultatem. Secundò, objicientibus ipſoſmet Epiſcopos, ſi fortè tunc Romæ reperirentur, ad ſubſcribendum adigendos: Dicturos, ſuæ illos voluntatis eſſe dominos, cauendum autem Procuratoribus, ne commiſſæ procurationis limites excedant. Tertiò, ſi diceretur, non agi cum ipſis tanquam cum Procuratori- *Journal par 6. ch. 27. pa. 531.*

bus, ſed tanquam cum priuatis Doctoribus; ac Sacerdotibus Eccleſiæ Capiti ſubjectis; Reſponſuros, ſe Romæ nullam aliam exhibere figuram, quàm ſimplicium Procuratorum. Quartò, ſi quis inſtaret Summum Pontificem abſolutam ab illis obedientiam exigere; nec pati velle vt id genus diſtinctionibus imperium eludant: Reſponſuros *obſeruantiam & animi affectum,* quem ſe debere fatebantur S. Pontifici, non adimere ipſis jus perſtandi intra præfixos ſuæ procurationi limites. Quintò demum, ſi prædicta minimè ſatisfacerent, eſſétque non obſcura ſuſpicio vim paſſuros niſi parerent; tunc ſubſcriptionem oblaturos duplici adhibitâ conditione, nempe vt ſarta tecta maneat doctrina de Gratia per ſeipſam efficaci, itémque authoritas Sancti Auguſtini in iſtiuſmodi quæſtionibus.

Aduerte, Lector, Procuratores iſtos nullam hactenus habuiſſe à ſuis auctoribus ſubſcribendi facultatem, in primo, ſecundo, tertio & quarto hujus ſcalæ gradu. In tranſitu verò à quarto ad quintum, en illam tibi ſubitò Pariſiis miſſam, per motum videlicet *inſtantaneum.* Iterum aduerte eorundem modeſtiam, in ea quam præſeferunt circa bonum Eccleſiæ vniuerſum ſollicitudine. Catholica de Gratia efficaci doctrina, & recepta per totam Eccleſiam S. Auguſtini Auctoritas viſa eſt illis periclitari, ſub tutela Romani Pontificis: & ideo ad ſuam ipſorum prouidentiam pertinere judicarunt, non aliter parendum præcepto ſubſcribendi, quàm illa duplici conditione ligando Pontificem, vt videat ne quid detrimenti vel Apoſtolica doctrina, vel SS. Patrum auctoritas capiat.

Sed

Sed quid ſi tam inepta ſubſcriptio, támque injurioſa Chriſti vicario rejiciatur, imperetur verò pura & ſimplex, cum comminatione debitæ pœnæ? Hîc Quinque-viri quaſi jam in ſupremo contumaciæ gradu conſtituti, nihil ampliùs ſibi ſupereſſe rati niſi præcipitium, ruendum ſtatuerunt in extrema quæ à ſummo in rebelles imperio timeri poſſunt ſupplicia, idque cum tanta cæcitate, vt non dubitarent affore ſibi Gratiam efficacem ad exequenda tam nefaria conſilia. Diceres illos falſa Chriſtianæ atque heroïcæ conſtantiæ vmbra illudente martyrii palmam quaſi manu jam tangere. Et erat ſpes illa ſatis conſentanea votis Eccleſiæ Regioportuenſis, vt quia non deſunt illi quos inter cælites colat & inuocet, nouæ creationis Confeſſores & Virgines: non deeſſent quoque Martyres, quos ſuis faſtis inſcriberet ad annuam memoriam & venerationem. Fuiſſet enimverò hæc longè efficaciſſima veri Martyrii probatio, cùm dicerentur Romæ paſſi, in perſecutione Innocentii Decimi Epiſcopi Romani, Vicarii Chriſti, & S. Petri ſucceſſoris legitimi, pro tuenda impoſſibilitate mandatorum Dei: concordia neceſſitatis antecedentis cum libertate arbitrii ſine agendi indifferentia: & contracta Dei & Chriſti voluntate circa hominum ſalutem ad ſolos prædeſtinatos cæteris omnibus excluſis, &c.

Et parce que nous conſiderions qu'il ſe pourroit meſme faire qu'on ne ſe contenteroit pas de noſtre ſouſcription avec cette clauſe, & qu'on nous la demanderoit pure & ſimple, nous nous reſolumes de ſouffrir pluſtoſt les dernieres extremitez, que de ne les point appoſer. *Iournal p. 6. c. 27. p. 532.*

Hæc erat Ianſenianorum animi præparatio decimo tertio Iunii, dum vocati à Summo Pontifice ad palatium pergerent, cùm paulo antè, hoc eſt, decimo nono Maii, in illa longa Declamatione, quâ legendo, dicendo, recitando & illum & compoſitam ab eo ad hoc negotium Cardinalium Doctorúmque Con-

Diarii p. 6. c. 22. pag. 473.

gregationem, ad ſilentium & inuictam quatuor horarum patientiam adegerant, vnius dicendi finem alterius exordio excipiente, hæc legiſſent ex libello *variorum ſenſuum*, hoc eſt *Trium columnarum*, Profitemur,
» Beatiſſime Pater, coram ipſo, nos & vniuerſos S. Au-
» guſtini Diſcipulos ac Defenſores .... pro indubitata
» tanti Doctoris atque adeò Eccleſiæ doctrina, prædi-
» ctas propoſitiones, vt à nobis ſuperiùs expoſitæ ſunt
» perpetuò defenſuros, quandiu de iis expreſſè vt à no-
» bis ſuperiùs expoſitæ ſunt intellectis, prolatum non
» erit (quod à S. V. poſtulamus) ſolemne definitiuúm-
» que judicium: QVO NOBIS APERTE CONSTET,
» EAS IN SENSV QVEM ASSERIMVS CATHOLI-
» CVM, ESSE DAMNATAS .... QVÆ OMNIA
» CORRECTIONIS VESTRÆ IVDICIO SVBIICI-
» MVS.

Vnde intelligis, Optime Lector, hoc ipſo quòd conſtaret Quinque-viris, propoſitiones D. Cornet fuiſſe damnatas (nihil enim aliud timebant, & hoc ſolum ſupponebant in illa quam dixi trepidatione vt patet ex Diario) conſtitiſſe pariter, fuiſſe damnatas *in eo ſenſu* quem *aſſeruerant eſſe Catholicum*. Si enim hoc illis non conſtabat, quod tantum ſcelus in ſubſcriptione pertimeſcere poterant, vt carceres & ſupplicia præoptarent? Iterum, ſi pro eodem habebant, damnatas eſſe abſolutè quinque propoſitiones, & eſſe damnatas in eo ſenſu quem ipſi contendebant eſſe *legitimum*, diuerſúmque ab eo *quem non habent, & qui malignè eis affingitur*, vt ipſimet loquuntur, quid facient, ne ſe mendacem, & infidam coram Chriſti Vicario fidei ſuæ profeſſionem edidiſſe conuincantur?

Quid enim eſt, ſe perpetuò propoſitiones illas in ſenſu ab ipſis expoſito defenſuros, *donec apertè conſtet* in eodem ſenſu eſſe damnatas, quàm, ſi hoc conſtet, ſe ſenſum hujuſmodi reuocaturos? Et quid aliud ſignificabat clauſula illa, qua *hæc omnia correctionis S. S. judicio ſubjiciebant*?

Poterat, inquam, aliquis tali quadam argumentatione compellare Doctores iſtos: Timor quem timebatis euenit vobis. Propoſitiones quas Cornetinas dicitis, proſcriptæ damnatæque ſunt. Veſtrum eſt modò definire, an illa damnatio cadat in ſenſum in quo eas ſuſtinuiſtis, nec-ne. Si cadit, præſtate quod promiſiſtis, & judicio Sedis Apoſtolicæ veſtrum *corrigite*: & quia veſter erat ille ſenſus, *donec conſtaret de illis eſſe prolatum ſolemne definitiuúmque judicium*, jam quia prolatum conſtat, non ſit in poſterum, qui hactenus fuit veſter ſenſus. Si verò, quæ facta eſt abſoluta & definitiua damnatio illarum propoſitionum, veſtros illos ſenſus minimè petit, O miſeri, quis vos turbo tranſuerſos agit, vt malitis adire carceres & patibula & reſtes, quàm illi condemnationi ſubſcribere, quæ vos, judicio quoque veſtro, indemnes eſſe ſinit? Subſcribite, inquam, veſter antea fuerat ille ſenſus, porro quoque veſter erit, quid timetis?

Sed quod fulguritis hominibus & caſu quodã inexpectato perculſis vſu venit, vt mente moueantur neque ſui compotes ſint, id accidiſſe videtur Quinque-viris: vnde factum vt illa turbatione, nec quid ſentirent, nec quid dicerent ſatis proſpexerint. Non fuit tamen hæc perturbatio diuturna. vbi ſe ipſi ex illo ſtupore collegerunt, ad notas artes reuerſi fingendo, fallendo, damnatáque

fucando mendacia, tantam rerum conuerſionem in animo ſuo, momento ferè temporis effecere, vt è carceribus quos timebant ad triumphos, è vinculis ad coronas, ex cauſa deſperata perditáque ad ſpecioſam victoriam tranſire viſi ſint. Dies erat vt dixi 13. Iunii, quo dum pergerent ad palatium, metuebant ne redeuntes carcer exciperet, illi verò ſuo ipſorum judicio rediêre triumphantes, cùm dicerent, ſe ex iis quæ in eo congreſſu vltro citroque dicta fuerant, certò comperiſſe totius negotii ſcenam eſſe mutatam. Audiendus eſt ſuis verbis qui hæc narrat Auctor Diarii: „ Videtis, inquit, „ Illuſtriſſimi Domini, (ſcribit ad quoſdam Galliæ Epi- „ ſcopos) quinque propoſitiones non alia de cauſa „ fuiſſe damnatas, quàm ob ſenſum peruerſum, qui „ poteſt illis dari, & in quo nos quoque ſemper eas dam- „ nauimus. Senſum verò in quo nos eas & interpreta- „ ri & tueri profeſſi ſumus, aut potiùs propoſitiones „ proprias & particulares quas obtulimus ſuæ Sanctitati „ coram ipſo propugnatas veluti Catholicas, non ſo- „ lùm nullum ex hoc præiudicio damnum pati, quin „ potiùs cenſendas eſſe à ſua Sanctitate approbatas, vt „ ex ſequentibus planum fit.

Vous voyez, Meſſeigneurs, que les cinq propoſitions ne ſont condannées qu'à cauſe du mauuais ſens qu'on leur peut donner, dans lequel nous les auons nous meſme toûjours condamnées: & que le ſens dans lequel nous auons dit que nous les entendions & defendions; ou pluſtoſt que les propoſitions particulieres que nous auons preſenté à S. S. & ſoutenuës deuant elle, comme tres Catholiques, n'en reçoiuent aucun prejudice, mais doiuent meſmes

Iſta ſibi ſomnia fingebant viri boni, ſuo ſenſu victi proſtratique dum ad Palatium pergunt, ouantes verò & victoribus ſimiles dum redeunt. Rationes verò tam mirificæ mutationis ad hanc vnam ferè reducuntur, quòd Pontifex illos humaniter exceperit, audiuerit & dimiſerit. Nempe pro illo quo ſeipſos amore proſequuntur, ſanitatem interpretantur, quæ Medici facilitas & vrbanitas eſt, & ex mollicie faſciarum colligere malunt ſe intactos eſſe, quàm confiteri ſua vul-

nera. Affabilitatem Pontificis de ipſorum contumacia nihil ſuſpicantis in argumenta ducunt approbationis : & conjecturis vſi puerilibus apertiſſimam damnationem eludere nituntur.

passer pour approuvées de S. S. comme il ſe voit par les raiſons qui ſuiuent. *Iournal. p.6. c. 27. pa. 535.*

Hæc cauſa fuit, cur ego vt opellam meam conferrem, ad impediendam, quæ ſimplicibus animis imminebat, illuſionem, Opuſculum hoc ediderim ſub initium anni 1654. inſcriptum, *Cauilli Ianſenianorum contra ſententiam à Sede Apoſtolica in ipſos latam*, & fuiſſe aliquod operæ pretium, vel ex eo intelligi poteſt, quòd ab eo tempore nullum ferè ſcriptum alicujus nominis ab eorum officina prodierit, quo non oſtendant incommodos ſibi eſſe hos cauillos, & quamcumque ſe in partem vertant, ad omnem animi ſui ſitum moleſtiam exhibere.

Sunt verò in eo mirabiles Ianſeniani, quòd ex illis beneuolentiæ ſignis Innocentii X. ſequi putent, & damnatas ab eo propoſitiones in eo ſenſu quem non habent, ſed qui malignè illis affingi poteſt; & quod addunt, *ſe quoque illas eodem modo perpetuò damnaſſe.* Cogunt enim nos vt dicamus, eſſe illos Cenſores iniquiſſimos atque etiam ineptos. Qua enim æquitate damnare vnquam potuere propoſitionem in ſenſu quem non habet ? Numquid damnaturi quoque ſunt hominem, propter crimen quod non commiſit? Si propoſitio non habet ſenſum illum qui damnabilis eſt, damnetur ſenſus & abſoluatur propoſitio, ſicuti damnantur iniqui accuſatores, & abſoluitur reus innocens. Quidni enim pariter ſemper damnauerint fidei profeſſionem, quam facimus omnes Chriſtiani, cùm dicimus, *Credo in Deum Patrem omnipotentem*? Eſt enim hæreticus ſenſus

Diarii. par. 6 c. 22. pa. 469. & ſeq.

quem non habet, ſed qui malignè illi affingi poteſt ab Arriano, cùm intelligit Patrem Omnipotentem eſſe majorem filio, ortu poſteriore, cùm ſenſus legitimus & Catholicus intelligat Patrem Omnipotentem eſſe Patrem filii coæui & coæqualis. Damnent igitur & damnabile dicant fidei Catholicæ Symbolum. Quòd ſi horret animus, ſicut Arrianum ſenſum abominantur, ſaluâ integrâ atque abſolutâ veneratione Symboli, quid eos mouet, vt non etiam ſanctas, vt ipſi putant, propoſitiones diſtinguant ab hæretico ſenſu quem non habent, vt hunc damnent, illas approbent? Et cùm hæc eorum agendi ratio abſurdiſſima ſit, in eamdem abſurditatem conantur pertrahere ſummum Pontificem, dum contendunt veriſſimas propoſitiones & maximè Catholicas ab eo eſſe damnatas propter ſenſum quem non habent. Hoc illi grati animi teſtimonium rependunt humanitati & gratiæ qua ſunt ab eo excepti.

Creſcit autem injuria dum volunt abſurdam hanc iniquitatem admiſiſſe Pontificem ab ipſis monitum rogatúmque ne faceret. Sunt enim hæc eorum verba
» dicta ſcriptóque relicta in ejus manibus. De propo-
» ſitionibus autem non in ſenſu alieno ad quem trahi
» poſſent, quique à nobis reſpuitur, ſed in ſenſu legi-
» timo, qui à nobis defenditur, atque adeò de fide Ca-
[…]iarii p. 6. 22. p. 469. » tholica in iis contenta controuerſia eſt; DE QVE IIS
» SIC SVMPTIS DISTINCTVM ET PERSPICVVM
» IVDICIVM EXPECTAMVS. Hoc expetebant, hoc expectabant Quinque-viri 19. Maii & 13. Iunii ſequenti, gaudent, exultant, triumphant quòd non obtinuerint, quia inde ſequi putant approbatam eſſe

ipſorum doctrinam.

Mirabilius eſt quod ſequitur, Quinque-viri eodem tempore Pontifici diſertè ſignificant, votum eſſe Epiſcoporum Galliæ, vt de iis quæ inter ipſos & aduerſarios in controuerſiam vocata ſunt, expreſſam ſententiam ferat, NON DE IIS DE QVIBVS NVLLA FVIT CONTENTIO, NVLLA QVÆSTIO, NVLLA DIFFICVLTAS EXORTA. *Addunt*, De propoſitionibus non in ſenſu alieno ad quem trahi poſſunt, & quem ipſi rejiciunt; ſed in ſenſu legitimo quem ipſi defendunt, eſſe controuerſiam. Nullam de Caluinianis Lutheraniſve hæreſibus (hic eſt ſenſus quem alienum vocant) inter ipſos & Aduerſarios fuiſſe quæſtionem. Si eas illi anathematizant, inquiunt, & nos anathematizamus, ſempérque anathematizauimus: neque cùm de iis quæſtio non ſit, eorum impugnationem contra nos ſuſcipere poſſunt, niſi vt nos calumnientur &c. Iterum atque iterum, Beatiſſime Pater, Sanctitati veſtræ CVM OMNIBVS GALLIÆ EPISCOPIS humillimè ſupplicamus, vt DE RE PROPOSITA ET CONTROVERSA CLARAM FIRMAMQVE PROFERAT SENTENTIAM.

ib.

Ib. pa. 473.

Quod dicunt de *omnibus Galliæ Epiſcopis*, neque de illis vndecim intelligi poteſt, qui pro Ianſenianis ſtabant, quippe qui ſuis literis tantùm abeſt vt controuerſiæ definitionem poſtularint, vt conati ſint potiùs à decidendo Pontificem auertere, vt conſtat ex iis quæ referuntur in Diario; neque de illis 85. qui contra Ianſenii doctrinam apertè pugnabant. Quamuis enim illi vehementer vrgerent & examen controuerſiæ & definitionem vltimam, abſit tamen vt cogi-

par. 3. cap. 2 pag. 33.

tarint vnquam de danda Quinque-viris procuratione aliquid agendi aut petendi eorum nomine. Quare quod dicunt, de omnibus Galliæ Epiſcopis, à vero procul abeſt. Sed vt vt ſit, hoc ſemper fixum manet, octoginta quinque Galliæ Epiſcopos contra vndecim inſtitiſſe apud Pontificem, vt controuerſiam de Quinque Propoſitionibus dirimeret. Id enim ipſi apertè ſignificant, ſuis ad eum literis : Decennium eſt, inquiunt, ex quo vehementiſſimis turbis Gallia magno noſtro mœrore commouetur, ob librum poſthumum, & doctrinam R[mi] Cornelii Ianſenii Iprenſis Epiſcopi. Ideóque rogant vt judicium ferat de Propoſitionibus, *de quibus diſceptatio periculoſior & ardentior erat: vt diſcutiat caliginem, vt animas fluctuantes componat, diſsidia prohibeat, Eccleſiæ tranquillitatem ſplendorémque reſtituat.* Hoc pariter fixum ratúmque habemus, Quinque-viros, cùm vidiſſent obtineri non poſſe quod vndecim petierant, vt ab ea diſcuſſione abſtineretur, inſtitiſſe ipſos quoque, vt ferretur judicium *de ſenſu legitimo* & *controuerſo*, non de *alieno, de quo non erat vlla contentio.*

Vnde ſequitur, Innocentium X. ſi controuerſiam dirimere voluit, de germano & legitimo ſenſu pronuntiaſſe, vtraque Parte id poſtulante. Voluiſſe autem controuerſiam dirimere ipſemet apertiſſimè profitetur, dum ſe ad hoc judicium incitatum dicit, *ob exortam in Galliis controuerſiam,* INTER ALIAS IANSENII OPINIONES SVPER QVINQVE EX ILLIS ..... & vt Eccleſia Dei *purgatis prauarum opinionum erroribus tutò militare & tanquam nauis in tranquillo mari ſedatis omnium tempeſtatum fluctibus ac procellis ſecurè nauigare & ad optatum ſalutis portum peruenire poſſet.*

En

En ergo, Amice Lector, quò tota de Quinque Propoſitionibus cauſa refundatur. Colligitantes conueniunt primò, ſe nihil habere de quo diſputent, ſi propoſitiones trahantur ad ſenſum alienum & hæreticum, vtrique enim illas damnant. Conueniunt ſecundò, totam quæ ipſos diuidit controuerſiam, ſpectare propoſitiones legitimè ſumptas, in ſenſu proprio & germano, dum illas Ianſeniani ſuſtinent vt Catholicas, Orthodoxi verò vt hæreticas putant eſſe damnandas. Tertiò igitur conueniunt, vt hanc controuerſiam Summi Pontificis judicio decidendam ſubjiciant. Quartò. Summus Pontifex Innocentius X. cauſam oblatam occupat, & poſt longam & aſſiduam nouem menſium diſcuſſionem, præfatus ſe controuerſiam decidere, atque adeò ſe de propoſitionibus judicium ferre in ſenſu controuerſo, qui ſupponitur eſſe legitimus atque germanus, Quinque Propoſitiones damnat vt hæreticas: itaque cauſam Accuſatoribus adjudicat.

Non eſt ita, inquiunt Defenſores, damnat eas tantùm in ſenſu non controuerſo. Ergo reſtat intacta controuerſia? Ergo fluctus tempeſtatum & procellarum perſeuerare ſinuntur? Ergo nulla ſequi poteſt ex illo judicio maris tranquillitas, nec ſecuritas nauigationis? Quid dicitis Ianſeniani? Titius cum Caio litigant v. g. de ſylua piſtrino contermina. Prætorem adeunt monéntque nullam inter ipſos eſſe de piſtrino controuerſiam, totam eſſe de ſylua quam quiſque ſuam eſſe contendit, de ea rogant vt jus dicat. Prætor cauſam examinat, allegata & probata ſeriò expendit, & conſcenſo tribunali ſpecie judicantis provt

de jure, de piſtrino pronuntiat, de ſilua ſilet. Quid, inquam, dicitis? Ille ſi aliquid ſapit, nec molæ alligandus eſt, ſic judicando non nugatur? non ridet? non illudit collitigantibus? non habet ludibrio munus ipſe ſuum & dignitatem? Similem illi Chriſti Vicarium, Iudicem controuerſiarum de fidei doctrina conſtitutum à Deo fingitis, dum interrogatus ab omnibus ferè Galliæ Epiſcopis in cauſa fidei grauiſſima, ad vnionem animorum & regni pacem ſpectante, vrgente quoque Regis nomine Oratore Regio, profeſſus quæſtionem ſe ſoluere velle, itaque ſerenum reducere, per vos, de re controuerſa ſilet, de non controuerſa reſpondet. Hoc eſt, & Collitigantes, & Epiſcopos, & Regem Chriſtianiſſimum, vel illuſus ipſe, vel illuſor ſpontaneus ludificat. Rogamus, Beatiſſime Pater, inquiunt Ianſeniani, vt de re controuerſa pronunties, res autem controuerſa ſunt propoſitiones in ſenſu proprio & germano quem habent, non in alieno quem non habent. Id ipſum rogamus & nos, inquiunt Anti-Ianſeniani. Hoc quoque mihi propoſitum eſt, inquit Pontifex, & quando controuerſum eſt inter vos, ſint-ne vel non ſint damnandæ, rebus omnibus maturè diúque perpenſis, Iudico & Decerno eſſe damnandas. Reponunt Ianſeniani, Non facit Pontifex quod ſe facere & vult & putat, non facit quod vtrique noſtrûm expetimus & expectamus. Decipit ſe ipſe primus, decipit vos, decipit nos, & pro eodem habet piſtrinum & ſiluam: cúmque putaretur imperaturus ventis & mari, nauem Eccleſiæ fluctibus & procellis ludibrióque ventorum jactandam permittit.

Ianſeniani quovſque tandem? Nullus-ne vnquam

erit veſtrorum ludorum finis? Nullus præſtigiarum quibus infatuatos veſtris erroribus animos perditum itis? Si quid ſupereſt candoris, ſi quæ pudoris reliquiæ; non veremini vel ſilente lingua cordatorum omnium tacita occultáque judicia? Tanti ſcilicet erat, poſt acres decem annorum contentiones, poſt acerba Theologorum diſſidia, poſt curas Epiſcoporum hinc & inde Sedem Apoſtolicam conſulentium, poſt interpoſita Principum officia, indicere Cardinalium & celebrium Doctorum numeroſas Congregationes, Conſultationes habere frequentiſſimas, preces ad Deum fundere atque aliorum implorare, ad impetrandam lucem cauſæ maximi momenti finiendæ neceſſariam, tanti inquam erat, tam longo támque operoſo apparatu præludere ſolemni judicio, quo decernitur, nihil? Quærimus enim de lite quid concluſum eſt? nihil, inquiunt. Quid reſponſum Epiſcopis deciſionem controuerſiæ poſtulantibus? Nihil. Quid Regi Chriſtianiſſimo ab hoc judicio pacem datum iri Eccleſiis & Scholis Galliæ ſperanti? Nihil. Quid Orbi Chriſtiano in exitum tantæ támque celebris cauſæ intento? Nihil. Quid igitur ſtatuit Conſtitutio illa de Quinque Propoſitionibus per totam Eccleſiam miſſa & vbique recepta? Continet, inquiunt, præclara multa, ſed de re propter quam ſolam eſt quæſita conceſſáque, prorſus nihil.

Nec quemquam moueat, quod poſt *Cauillos* editos Ianſeniani dixere, veluti emendaturi Trium Columnarum defectûs, Propoſitiones præcisè ſumptas, proprium habere ac legitimum ſenſum, illum ſcilicet quem Quinque-viri vocauere alienum. Hoc enim

non impedit, quo minus ſemper verum ſit, quod iidem quoque ſunt confeſſi, ſenſum hunc ſeu proprium, ſeu alienum, vt volent, nec eſſe nec fuiſſe inter Partes controuerſum. vt enim damnatur ab illis, ita & à nobis: ac proinde damnare propoſitiones in illo ſenſu, idem eſt ac nihil definire quod ſit controuerſum.

Addo, Propoſitiones à Quinque-viris fuiſſe oblatas Pontifici, vt præciſè ſumptas, & abſtractas à doctrina Ianſenii. Fatetur enim Auctor Diarii, *vetuiſſe Pontificem, ne de Ianſenio loquerentur.* Alludit ad id quod in primo congreſſu anni ſuperioris ſignificarat illis Pontifex, non paſſurum ſe, vt Conſtitutio Vrbani VIII. Deceſſoris ſui damnantis in vniuerſum doctrinam Ianſenii vocaretur in controuerſiam. Quare, non aliter prohibebantur de Ianſenio loqui, quàm ne de damnatione illa dubitare aut diſputare, ſibi liberum crederent. Ergo cùm non poſſent de Propoſitionibus agere, vt ſunt contractæ ad doctrinam Ianſenii, conſequens fuit vt de illis agerent vt ſunt præciſæ.

[Margin note: Le Pape nous auoit defendu de parler de Ianſenius. *Iournal par. 6. ch. 1. pag 457.*]

Ergo in illis etiam ſic ſumptis, inuenerunt ſenſum legitimum & germanum, quem ipſi ſuſtinerent, quem Aduerſarii impugnarent: atque adeò ſenſum controuerſum, qui reipſa ſenſus Ianſenianus eſt. Ac proinde ſenſus germanus & proprius quem habent Propoſitiones, ſiue contractæ ad doctrinam Ianſenii, ſiue abſtractæ, cum ſenſu Ianſenii reuera concurrit. Vnde fit vt ſemper verum ſit, ſi Pontifex de controuerſia pronuntiare voluit, ſicuti voluiſſe certiſſimum eſt, vel pronuntiaſſe de ſenſu controuerſo & conſequenter de Ianſeniano, vel feciſſe nihil.

Occaſio jam monebat, vt quæ contra *Cauillos* obje-

ɛ̃ta ſunt diluerem; ſed id abunde præſtitum eſt in aliis Opuſculis Gallicè ſcriptis. Auctor Diarii ſibi blanditur, quòd in hoc libello inuenerit neſcio quæ adjumenta ſuæ cauſæ, vide Lector quæ dicit & quæ refert, & ride. *In Addit. pag. 575.*

Alii valde odioſum mihi crimen impingunt, & grauem conflant inuidiam apud Diſcipulos S. Auguſtini, quòd dixerim S. Pontificem *non intendiſſe in Auguſtinum* &c. quod illi ſic interpretantur, vt idem ſit ac *non attendiſſe ad Auguſtinum*. Condonanda eſſet hæc calumnia inſcitiæ Accuſatorum, niſi eam ſibi potiùs vendicaret iniquitas odii & malignitas, qua excæcati vndecumque colligunt quod hoſtibus objiciant ſine delectu. Non aduertunt quantum ſit diſcriminis inter *intendere in aliquid* quod finem agenti propoſitum deſignat, & *attendere ad aliquid*, quod ſpectat ad electionem & aptitudinem mediorum: Concilium Tridentinum non *intendit in Auguſtinum* vt ejus authoritatem ſanciret, quando damnauit impoſſibilitatem mandatorum, quia hoc non erat illi propoſitum: non attendiſſe autem, adeò non eſt verum, vt damnationem illam ipſiſſimis S. Auguſtini verbis expreſſerit. Et non pudet Ianſenianos objicere nobis quòd velimus iſtarum controuerſiarum Iudices auertere à cogitatione Auguſtinianæ doctrinæ, cùm omnia ferè quæ de hoc argumento contra illos ſcripta ſunt, iiſdémque Iudicibus inculcata S. Auguſtini auctoritate denſiſſimiſque teſtimoniis fuerint ſemper communita: vt neceſſe fuerit, ſi mens erat ſubtrahere Iudicibus doctrinam Auguſtini, ſubtrahere quoque illis ſcripta noſtra omnia & probationes contra Ianſenianos. *Vide infrà c.4* *Vide infrà c.3 §. addo quod attinet &c.*

ol. 4. p. c. 39. 2. Reſtat quod dixi cap. 5. & quod nuperus Apologiſta rebellium virginum vehementer vrget de Propoſitionibus quas dixi apud Ianſenium *totidem verbis contineri.* Non vult vidiſſe nec audiuiſſe quod ſæpius reſponſum eſt, præſertim in libro cui titulus eſt, *La Conduite de* p. à cap 6. 10. *l'Egliſe.* Solutam difficultatem recoquit, atque vt hoc faciliùs exequatur, textum quem producit pro ſuo & aliorum Ianſenianorum more euiſcerat & corrumpit. Verba mea ſunt, *Propoſitiones damnatæ conſtant verbo & ſignificatione. Si verba ſpectemus, ſunt propoſitiones indiuiduæ ac ſingulares totidem verbis apud Ianſenium contentæ :* ET DE PRIMA QVIDEM IPSIMET FATENTVR, DE CÆTERIS DEMONSTRATVM EST CAP. I. *Ac proinde ſiqua eſt* &c. Apologiſta verba iſta *ac proinde* immediatè ſubjicit illis, *apud Ianſenium contentæ*, & quæ ſunt intermedia ſupprimit. Quippe hoc erat illi neceſſarium, vt eſſet locus acerbæ declamationi quam ſubjungit; quæque alioqui inſulſa redditur & euanida; facile eſt Ianſenianis Scriptoribus impedire ſeſe beneficio laruarum ſub quibus latent, ne erubeſcant, ſed num ſuam quoque conſcientiam ita fallunt, vt toties tam mala fide, tot verſutiis & fraudibus irritata, neque latret intus neque mordeat?

LECTORI.

QVia fieri poterit, Amice Lector, vt quæ ſequuntur in hoc opuſculo conferre velis cum iis, quæ in Conſtitutione Summi Pontificis, contra Janſenium continentur : ne cogaris eam procul quærere, ecce illam tibi in ipſo limine, vnà cum Apoſtolico reſcripto ad Epiſcopos Galliæ.

CONSTITVTIO

SANCTISSIMI IN CHRISTO PATRIS

AC D. N. D. INNOCENTII

Diuinâ Prouidentiâ Papæ X.

Quâ declarantur, & definiuntur quinque Propoſitiones in materia Fidei.

INNOCENTIVS EPISCOPVS

SERVVS SERVORVM DEI.

Vniuerſis Chriſti fidelibus ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

CVM occaſione impreſſionis libri, cui titulus, *Auguſtinus Cornelii Ianſenii Epiſcopi Jprenſis*, inter alias ejus opiniones orta fuerit, præſertim in Galliis, controuerſia ſuper quinque ex illis, complures Galliarum Epiſcopi apud Nos inſtiterunt, vt eaſdem Propoſitiones Nobis oblatas expenderemus, ac de vnaquaque earum certam, & perſpicuam ferremus ſententiam.

Tenor

Tenor verò præfatarum Propoſitionum eſt prout ſequitur.

Prima: *Aliqua Dei præcepta hominibus iuſtis, volentibus, & conantibus ſecundùm præſentes, quas habent vires, ſunt impoßibilia; deeſt quoque illis gratia, quâ poßibilia fiant.*

Secunda: *Interiori gratiæ, in ſtatu naturæ lapſæ nunquam reſiſtitur.*

Tertia: *Ad merendum, & demerendum in ſtatu naturæ lapſæ non requiritur in homine libertas à neceßitate, ſed ſufficit libertas à coactione.*

Quarta: *Semipelagiani admittebant præuenientis gratiæ interioris neceßitatem ad ſingulos actus, etiam ad initium fidei, & in hoc erant hæretici, quòd vellent eam gratiam talem eſſe, cui poſſet humana voluntas reſiſtere, vel obtemperare.*

Quinta: *Semipelagianum eſt dicere, Chriſtum pro omnibus omnino hominibus mortuum eſſe, aut ſanguinem fudiſſe.*

NOS, quibus inter multiplices curas, quæ animum noſtrum aſſiduè pulſant, illa inprimis cordi eſt, vt Eccleſia Dei nobis ex Alto commiſſa, purgatis prauarum opinionum erroribus, tutò militare, & tanquam nauis in tranquillo mari, ſedatis omnium tempeſtatum fluctibus, ac procellis, ſecurè nauigare, & ad optatum ſa-

lucis portum peruenire poſſit.

Pro rei grauitate, coram aliquibus S. R. E. Cardinalibus ad id ſpecialiter ſæpius congregatis, à pluribus in ſacra Theologia Magiſtris, eaſdem quinque Propoſitiones, vt ſuprà nobis oblatas, fecimus ſingillatim diligenter examinari, eorúmque ſuffragia, tum voce, tum ſcripto relata maturè conſiderauimus, eoſdémque Magiſtros, variis coram nobis actis Congregationibus, prolixè ſuper earum qualibet differentes audiuimus.

Cùm autem ab initio hujuſcemodi diſcuſſionis ad Diuinum implorandum auxilium multorum Chriſti fidelium preces, tum priuatim, tum publicè indixiſſemus, poſtmodum iteratis eiſdem feruentiùs, ac per nos ſollicitè imploratâ ſancti Spiritus aſſiſtentiâ, tandem Diuino Numine fauente, ad infraſcriptam deuenimus declarationem, & definitionem.

Primam prædictarum Propoſitionum: *Aliqua Dei præcepta hominibus juſtis, volentibus, & conantibus, ſecundùm præſentes, quas habent vires, ſunt impoſſibilia; deeſt quoque illis gratia, quâ poſſibilia fiant*: Temerariam, impiam, blaſphemam, anathemate damnatam, & hæreticam declaramus, & vti talem damnamus.

Secundam: *Interiori gratiæ, in ſtatu naturæ lapſæ nunquam reſiſtitur*: hæreticam declaramus, & vti talem damnamus.

Tertiam : *Ad merendum , & demerendum in ſtatu naturæ lapſæ non requiritur in homine libertas à neceſſitate , ſed ſufficit libertas à coactione :* hæreticam declaramus ; & vti talem damnamus.

Quartam : *Semipelagiani admittebant prauenientis gratiæ interioris neceſſitatem ad ſingulos actus , etiam ad initium Fidei : & in hoc erant hæretici , quòd vellent eam gratiam talem eſſe , cui poſſet humana voluntas reſiſtere , vel obtemperare :* falſam & hæreticam declaramus , & vti talem damnamus.

Quintam : *Semipelagianum eſt dicere , Chriſtum pro omnibus omnino hominibus mortuum eſſe ; aut ſanguinem fudiſſe ;* falſam, temerariam, ſcandaloſam : & intellectam eo ſenſu , *vt Chriſtus pro ſalute dumtaxat Prædeſtinatorum mortuus ſit* , impiam, blaſphemam, contumelioſam, diuinæ pietati derogantem , & hæreticam declaramus , & vti talem damnamus.

Mandamus igitur omnibus Chriſti fidelibus vtriuſque ſexus, ne de dictis Propoſitionibus ſentire , docere , prædicare aliter præſumant , quàm in hac præſenti noſtra declaratione , & definitione continetur, ſub cenſuris, & pœnis contra hæreticos , & eorum fautores in jure expreſſis.

Præcipimus pariter omnibus Patriarchis , Archiepiſcopis , Epiſcopis , aliíſque locorum Ordinariis , nec non hæreticæ prauitatis Inquiſitoribus , vt contradictores , & rebelles quoſcumque

per cenſuras, & pœnas prædictas, cæteráque juris, & facti remedia opportuna, inuocato etiam ad hoc (ſi opus fuerit) auxilio brachii ſæcularis, omnino coërceant, & compeſcant.

Non intendentes tamen per hanc declarationem, & definitionem ſuper prædictis quinque Propoſitionibus factam, approbare vllatenus alias opiniones, quæ continentur in prædicto libro Cornelii Ianſenii. Datum Romæ apud ſanctam Mariam Majorem, anno Incarnationis Dominicæ 1653. pridie Kal. Iunii, Pontificatus noſtri anno nono.

HI. DATARIVS.

G. GVALTERIVS.

P. CIAMPINVS.

Anno à Natiuitate D. N. IESV CHRISTI *milleſimò ſexcenteſimo quinquageſimo tertio, Indictione ſexta, Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris & D. N.* INNOCENTII *Diuina Prouidentia Papæ X. anno ejus nono, die verò nona menſis Iunii ſupradicta Conſtitutio affixa, & publicata fuit in Eccleſia Lateranenſ. ac Baſilica Principis Apoſtolorum de Vrbe, nec non Cancellariæ Apoſtolicæ valuis, ac in acie Campi Floræ per me Hieronymum Maſcellam Sanctiſſimi D. N. Papæ Curſorem.*

LITTERÆ
INNOCENTII PAPÆ X.
AD EPISCOPOS GALLIÆ.

INNOCENTIVS PP. X.

Venerabiles Fratres; ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Rectè, atque ordine facit Fraternitatum veſtrarum pietas, quæ cùm in Eccleſiis iſtis propoſitionum, de quibus ad Nos ſcripſiſtis, occaſione turbas ingentes excitari cerneret, aſcendit ad locum hunc ſanctum, quem elegit Dominus, vt Catholicam ſuper his veritatem à nobis quæreret. Nos igitur poſt longam accurati examinis indaginem, & preces luminum Patri Deo enixè porrectas, quid ſentiendum ſit de propoſitionibus illis declarauimus, ac definiuimus hac conſtitutione, quam his literis ad vos mittimus. Ex ea ſententiam orthodoxæ Fidei in graui hoc negotio à Nobis audietis, nec dubitamus quin futura ſit cùm populis Chriſtianis ſalutaris, tum ſummopere grata inſigni zelo Fraternitatum veſtrarum, quibus benedictionem Apoſtolicam peramanter impartimur. Datum Romæ apud ſanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris, die XXXI. *Maii* M. DC. LIII. *Pontificatus noſtri anno nono.* F. FLORENTINVS.

IANSENIANORVM CAVILLI CONTRA LATAM IN IPSOS A SEDE APOSTOLICA SENTENTIAM.

PERCVSSVS error Ianſenii nupera Sedis Apoſtolicæ Conſtitutione, ſed non extinctus eſt. Ianſeniani diſſimulare malunt vulnera, quàm ſanari. Et cùm mutatâ ſententiâ facilè poſſent innocentem reddere cenſuram; malunt incolumes videri, quàm fieri. Nimirum in illa fulminatione non modò intactam manſiſſe doctrinam ſuam, ſed inſuper, *tacitè ſaltem*, fuiſſe approbatam prædicare non verentur. Eſtque inter eos quidam, quantum conjicere poſſum, Legiſperitus, qui ſolam Ieſuitarum doctrinam decreto illo Innocentii X. proſcriptam contendit, authoritate ſcilicet Digeſtorum, & Codicis. Nihil equidem neceſſe erat refigendis hiſce cauillis immorari, ſi conſilium eſſet cordatis tantùm hominibus facere ſatis. Vident enim ſtatim has eſſe artes exacerbat animi & recalcitrantis: ſed ſubueniendum eſt incautis atque

ſimplicibus, & prouidendum ne imperitis illudat ingenioſus error & contumax. Et quia in illa potiſſimum trium Columnarum diſtinctione, quam ſe obtuliſſe dicunt Summo Pontifici, latebras quærunt, diſcutiendum eſt paucis quid inde præſidii expectare Ianſeniani poſſint; quod fiet ſolutione ſequentium quæſtionum, quibus quæritur

1. An Quinque Propoſitiones fabricatæ ſint à Sorbonicis Doctoribus, an ex Ianſenio ipſo deſumptæ.

2. An, & quo ſenſu damnatæ ſint Ianſenianæ Propoſitiones.

3. Quid ſignificet exceptio, quâ declarauit Summus Pontifex non eſſe mentis ſuæ damnare doctrinam S. Auguſtini; nec attingere controuerſiam de Gratia per ſeipſam efficaci.

4. Quid probent aliæ quædam conjecturæ Ianſenianorum circa mentem Summi Pontificis.

5. An Quinque Propoſitiones damnatæ ſint tantùm in genere.

6. An ſeruatus ſit ordo legitimus in hoc negotio, dum recurritur ad Summum Pontificem, non præmiſſo Epiſcoporum Galliæ concilio.

7. Tertia columna Ianſenianorum examinatur.

8. Quæ ſit vera columnarum diſpoſitio ad repræſentandam Ianſenianorum doctrinam, & Cenſuræ Pontificiæ vim intelligendam.

CAP. I.

CAPVT I.

An damnatæ propoſitiones fabricatæ ſint à Sorbonicis Doctoribus, an ex ipſo Ianſenio deſumptæ.

IANSENIANORVM ſolenne eſt, centies inculcata diſſimulare, centies confutata contritáque reponere. A pleriſque jam erat demonſtratum, damnatis quinque propoſitionibus præcipua Ianſenii Dogmata de libero arbitrio & diuinæ gratiæ abundantia efficaciáque, atque ipſam veluti doctrinæ medullam contineri. Pergunt tamen illi propoſitiones illas vocare *fabricatas* nimirùm à Sorbonicis Doctoribus, qui eas ex Ianſenio excerpſere; in eóque notant artificium vnius ex partiariis vt vocant Molinæ, qui propoſitiones *ambiguas, æquiuocas, captioſas*, ad cenſuram concepit & exhibuit. Primam tantùm excipiunt, quippe quam negare non poſſunt totidem verbis apud Ianſenium haberi. Sed queruntur eſſe *doloſè auulſam à loco ſuo.* In quo equidem ridendi ſunt. Nam quod accuſant auulſam à loco ſuo, quid quæſo, volunt? exhibendum fuiſſe totum librum ad examinandum? atqui tunc quoque auellendæ ſigillatim erant propoſitiones, quæ in controuerſiam vocantur. Et quod addunt, *doloſè* id factum, tunc probauerint, quando conſtabit auulſæ atque vnitæ ſenſum eſſe diuerſum. Interea conceſſis vtamur, & dicamus propoſitionem primam, quæ à Sede Apoſtolica declaratur eſſe *temeraria, impia, blaſphema, anathemate damnata, atque hæretica, & vt talis damnatur*, Ianſenianam eſſe propoſitionem, quippe apud Ianſenium expreſſam, aſſertam, probatam & defenſam. Et ſi reſpondeant, bonum illam ſenſum habere apud Ianſenium; erit ipſorum ſapientiæ, quæ magna eſt, judicare, num deceat Catholicum Epiſcopum, ſenſum etiam bonum exprimere per blaſphemam & impiam & damnatam anathemate, & hæreticam propoſitionem.

Sed oſtendo cæterarum quoque propoſitionum non alium eſſe fabrum, quàm eundem Ianſenium. Tertiam intueamur quæ eſt hujuſmodi:

Ad merendum & demerendum in ſtatu naturæ lapſæ non requiritur in homine libertas à neceſſitate, ſed ſufficit libertas à coactione.

Hæc, inquiunt, fabricata & exhibita eſt à ſectatore Moliniſtarum. Eſt igitur ſectator Moliniſtarum Ianſenius. Illum audiamus. Et primò quòd loquatur de libertate arbitrii ad merendum & demerendum neceſſaria, & de ſtatu naturæ lapſæ, Ianſeniani nobiſcum conſentiunt. Quo ſuppoſito, componere oportet damnatam propoſitionem cum Ianſenianis.

Tertia propoſitio damnata.

Ad merendum & demerendum in ſtatu naturæ lapſæ non requiritur in homine libertas à neceſſitate, ſed ſufficit libertas à coactione.

IANSENII PROPOSITIO Tom. 3. l. 7. cap. 5.

Vt igitur diuiſionis ipſius natura percipiatur, memoria repetendum eſt id quod tam prolixè ex Auguſtino, Bernardo, cæteriſque tum Patribus, tum Scholaſticis aſſeruimus, libertatem arbitrii generalem & naturalem NON ESSE ALIAM NISI A NECESSITATE, per quam patet eos SOLAM COACTIONEM intellexiſſe. Ex quo fit vt apud eos liber actus idem ſit, qui non coactus: *Et in alio loco eiuſdem libri ſeptimi.* Quæ ſi vera ſunt, ſicut juxta Sanctiſſimi Doctoris principia vera ſunt, non poterit ampliùs de ejus mente dubitari, quâ eum ſentire & conſtanter docere diximus, libertati arbitrii SOLAM NECESSITATEM COACTIONIS ſeu quæ etſi nolumus, efficit id quod poteſt, eſſe contrariam, omnémque actum voluntarium ſeu ſpontaneum hoc ipſo eſſe liberum.

Qui dicit *ſolam neceſſitatem coactionis* contrariam eſſe libertati, quid magis minuſve dicit, quàm qui dicit, ſufficere ad libertatem, quòd ſit libertas à coactione? Et qui dicit omnem actum Voluntarium, ſeu Spontaneum *hoc ipſo eſſe liberum*, &, liberum actum eundem eſſe ac *non coactum*, quid magis

minuſve dicit, quàm qui dicit, ad liberum actum non requiri libertatem ab alia neceſſitate, quàm à neceſſitate coactionis: & vt ſit liber actus, ſufficere, quòd non ſit coactus? Ergo quidquid eſt in illa tertia propoſitione controuerſum, & cenſuræ ſubjectum, nimirùm, non requiri ad meritum, libertatem ab alia neceſſitate quàm à neceſſitate coactionis, & ſufficere vt actus ſit liber, quòd non ſit coactus, etiamſi aliâ quâdam neceſſitate ſit expreſſus; expreſſiſſimum eſt apud Ianſenium.

Idem clariùs explicat in l. 6. c. 38. vbi negat, *Immutabilem neceſſitatem* impedire libertatem, ſed SOLAM *neceſſitatem coactionis & violentiæ*, &, *Nullam immutabilitatis, ineuitabilitatis, vel quocumque voces nomine, ſed* SOLAM *coactionis neceſſitatem ei repugnare.* Item, *Eſſe impoſſibile, vt omnis omnino voluntas, hoc eſt volitio, non ſit libera*, &, *Solam coactionis neceſſitatem ei* repugnare; Quæ ſi quis attentiùs inſpexerit, dicere cogetur, id quod accuſatur in tertia propoſitione ad cenſuram exhibita, diſtinctiùs exprimi ac copioſiùs apud Ianſenium, quàm exprimatur in ipſa propoſitione: & qui eam concepit, vno tantùm modo *fabricaſſe*, quod fuerat à Ianſenio multis modis *fabricatum* priùs: eſſéque impoſſibile, vt ejuſmodi propoſitionem vlla feriat cenſura, quæ non feriat eadem Ianſenianas, eáſque multas. Supereſt vt opponamus quintam damnatam cum Ianſeniana.

Quinta propoſitio damnata.

Semipelagianum eſt dicere Chriſtum pro omnibus omnino hominibus mortuum eſſe, aut ſanguinem fudiſſe.

PROPOSITIO IANSENIANA
to. 3. lib. 3. cap. 21.

Nec enim juxta Doctrinam antiquorum, pro omnibus Chriſtus paſſus aut mortuus eſt, aut pro omnibus omnino tam generaliter ſanguinem fudit. Cùm hoc potiùs tamquam errorem à fide Catholica abhorrentem doceant eſſe reſpuendum.

Satiſne diſtinctè, Lector, videtur tibi Ianſenius negare Chriſtum pro omnibus omnino hominibus mortuum eſſe, aut

ſanguinem fudiſſe ? Sed quæris fortè quorum errorem intelligat, cùm dicit, contrarium *eſſe errorem à fide Catholica abhorrentem*; hoc autem conſtat, ex initio capitis, vbi dicit argumentum illud ſumptum ex vniuerſitate redemptionis, *jam olim ad nauſeam vſque à Pelagianis, præſertimque Maſſilienſibus fuiſſe inculcatum*, &c, *mirum eſſe recentiores tanto ſtudio trita hæreticorum arma colligere*. Et capite præcedenti, vbi generalem Dei voluntatem ſaluandi omnes omnino homines refutat, eo nomine refutat quòd aſſerta fuerit ab *hoſtibus gratiæ Pelagianis & Semipelagianis, & ab Auguſtino tunc tantùm approbata, quando in Semipelagianorum errore fuit*. Et iterum cap. 21. Auguſtinum, Proſperum, Fulgentium, & antiquam Eccleſiam, ſententiam illam *veluti machinam à Semipelagianis erectam repudiaſſe*. Ergo tota illa propoſitio, *Semipelagianum eſt dicere, Chriſtum pro omnibus omnino hominibus mortuum eſſe, & ſanguinem fudiſſe*, quoad ſingula verba, & minimos apices, Ianſeniana eſt. Ac proinde qui *fabricatam* dicunt, non alium debent appellare *fabrum* quàm ipſum Ianſenium : & conſequenter propoſitio quæ judicio Sedis Apoſtolicæ *falſa, temeraria, & ſcandaloſa eſt*, Ianſenii propoſitio eſt.

Sed vlteriùs reſpexit Apoſtolica Sedes, ſuppleuitque quod in exhibita propoſitione deerat ad expreſſionem integram Ianſeniani erroris, dum addidit, *Intellectam eo ſenſu, vt Chriſtus pro ſalute duntaxat prædeſtinatorum mortuus ſit, impiam, blaſphemam, diuinæ pietati derogantem, & hæreticam declaramus, & vti talem damnamus*. Quâ in re facillimè oſtendi poteſt, & eo ſenſu intellectam eſſe propoſitionem à Ianſenio, & ſi *fabricatum* dicunt, quod ſuppletur, ab eodem eſſe *fabricatum*. Opponamus hæc duo.

Damnatus error.	*IANSENII SENTENTIA* to. 3. lib. 3. cap. 21.
Chriſtus pro ſalute duntaxat prædeſtinatorum mortuus eſt.	Per illa occultiſſimè juſta, & juſtiſſimè occulta conſilia ſua, quibuſdam hominibus dare prædeſtinauit fidem, charitatem, & in ea vſque in finem perſeuerantiam, quos abſolutè prædeſtinatos, electos, &

ſaluandos dicimus : aliis charitatem ſine perſeuerantia, aliis fidem ſi-

ne charitate Pro primi generis hominibus tamquam veris ouibus ſuis, vero populo ſuo, tamquam abſolutè ſaluando, ſemetipſum dedit ac tradidit: pro iſtorum peccatis omnibus omnino delendis, & æternâ obliuione ſepeliendis propitiatio eſt: pro iſtis in æternum viuificandis mortuus eſt: pro iſtis ab omni malo liberandis rogauit patrem ſuum, NON PRO CÆTERIS QVI A FIDE ET CHARITATE DEFICIENTES IN INIQVITATE MORIVNTVR. *Et iterum.*

Vanum eſt & ſtultum pro eo irritando vel auertendo rogare Deum, quod immutabili decreto ſancitum & prædeſtinatum eſſe jam noſti: vanum eſt etiam pro talibus ſaluandis, ſeriâ voluntate pati ac mori: vanum pro talibus à perditione decreta liberandis, offerre patri vota, preces, mortem, ac ſanguinem ſuum. *Et iterum.*

Quæ ſanè cùm in Auguſtini Doctrina perſpicua certáque ſint, nullomodo principiis ejus conſentaneum eſt, vt Chriſtus Dominus, vel pro infidelium in infidelitate morientium, VEL PRO IVSTORVM NON PERSEVERANTIVM ÆTERNA SALVTE MORTVVS ESSE, SANGVINEM FVDISSE, SEMETIPSVM REDEMPTIONEM DEDISSE, PATREM ORASSE SENTIATVR. Addit, Iuxta Sanctiſſimum Doctorem, non magis Patrem pro æterna liberatione ipſorum, QVAM PRO DIABOLI, DEPRECATVM ESSE. *Et iterum.*

Sicut non voluit (Auguſtinus) voluntatem Dei ad ſalutem omnium omnino hominum extendi, SED ILLORVM DVMTAXAT qui ex omni gente & lingua, ex omni hominum genere PRÆDESTINATI SVNT: ita nec voluit effectus illius voluntatis, hoc eſt, mortem, ſanguinem, redemptionem, propitiationem, orationem Chriſti, ad omnes homines dilatari, &c.

Cæcum eſſe neceſſe eſt, qui non videt ſenſum illum quem Sedes Apoſtolica damnauit, variis modis expreſſum eſſe à Ianſenio. Nam quòd Pontifex, dum ſalutem prædeſtinatorum nominat; ſalutem æternam intelligat, inſanus ſit qui dubitet: æternæ verò ſalutis voluntatem Ianſenius ad prædeſtinatos *duntaxat* locis allatis ſæpe reſtringit; ſenſus ergo ratione cujus Sedes Apoſtolica quintam Propoſitionem *impiam, blaſphemam, contumelioſam, diuinæ pietati derogantem & hæreticam* declarat, ipſius Ianſenii ſenſus eſt.

Ex his patet quinque propoſitionum à Sede Apoſtolica damnatarum, Primam, Tertiam, & Quintam, à Ianſenio reuera fabricatas eſſe, & à Sorbonicis Doctoribus, atque etiam ab Epiſcopis Galliæ tantùm exhibitas; cum quibus Secunda & Quarta tam neceſſariam, támque indiſſolubilem habent connexionem, vt fruſtra ſit contendere illas quoque Ian-

ſenianas eſſe. Ne tamen quiſquam putet, id eſſe difficile, juuat illas etiam committere cum Ianſenianis.

Secunda propoſitio damnata.

PROPOSITIO IANSENII t.3.l.2.c.11. vbi approbat id quod imputat Auguſtino.

Interiori gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ numquam reſiſtitur.

Hominem operanti Deo per gratiam non poſſe reſiſtere. *Ibid.*

Tales de gratiâ cogitationes, nempe, vt ſit quædam potentialis gratia cum qua homo credat, conuertatur, operetur ſi velit, ſin autem nolit, nullus ſequatur voluntatis aut operationis effectus, jam olim conuellit Auguſtinus. *Iterum cap.* 27.

Auguſtinus nullam aliam agnouit actualem Chriſti gratiam, nec agnoſcere potuit, præter efficacem. *Iterum cap.32.*

Veram Chriſti gratiam ſemper agere & peragere effectum ſuum: & quæ hoc non facit, relegari ab Auguſtino ad legem atque doctrinam.

De ſtatu naturæ lapſæ loquitur Ianſenius, atque etiam de Gratia interiori, vt conſtat ex toto ipſo tractatu. Iam quid diſcriminis eſt inter hæc duo, *Illi gratiæ nunquam reſiſti*, &, *Deo per talem gratiam operanti non poſſe reſiſti*, niſi quòd poſterior oratio, quæ Ianſeniana eſt, pejor videtur quàm illa prior, quæ eſt condemnata? Eadem propoſitio, vt vides, à Ianſenio aliis verbis explicatur; nam, *Numquam reſiſti gratiæ*, &, *nullam eſſe Chriſti gratiam quæ non ſit efficax; Nullam eſſe, quæ non agat & peragat ſuum effectum: Nullam eſſe, cum qua homo operetur ſi velit, & ſi nolit, nullus ſequatur effectus*; adeò ſunt germanæ, vt nihil vni negari poſſit, quod alteri conueniat: ac proinde ſi vna eſt *hæretica*, non poteſt alia non eſſe. Idem prorſus eodémque modo dicendum de quarta.

Quartæ propoſitionis damnatæ

PRIMA PARS.

PROPOSITIO IANSENII tom.1.lib.8. de hæreſi Pelag.

Semipelagiani admittebant præuenientis gratiæ interioris ne-

Tertia gratia generalis Maſſilienſium eſt, actualis interna & ſufficiens ad credendum, non ad operandum, &c.

Nam & illi (Maſſilienſes) ipſiſſimam

ceſsitatem ad ſingulos actus, etiam ad initium fidei.

ipſam Adæ gratiam libero arbitrio NECESSARIAM ESSE ſtatuebant, quacrederet ſi vellet.

En tibi neceſsitatem internæ, ſiue interioris gratiæ ad credendum, hoc eſt, ad fidem: *nec dubium quin Ianſeniani libentiſsimè ſuppleant*, incipientem, *hoc eſt*, etiam ad initium fidei: *atque ita pars illa prima propoſitionis tota eſt Ianſenii.*

SECVNDA PARS Quartæ propoſitionis damnatæ.

Sed in hoc erant hæretici, quòd vellent eam gratiam talem eſſe, cui poſſet humana voluntas reſiſtere, vel obtemperare.

PRO SECVNDA PARTE
Ianſenius tom.3. lib.3. c.4.

Clariùs fortaſſe dici poteſt quòd gratia ſanæ voluntatis in ejus libero arbitrio relinqueretur, vt eam ſi vellet desereret, aut ſi vellet, vteretur; Gratia verò lapſæ ægrotæque voluntatis nullomodo in ejus relinquatur arbitrio, vt eam deſerat aut arripiat, ſi voluerit, ſed illa ſit potiùs illa poſtrema gratia quæ inuictiſſimè facit vt velit & à voluntate non deſeratur. Quod diſcrimen tradit Auguſtinus in lucubrationibus quas aduerſus hoſtes gratiæ exarauit, vt impoſsibile ſit legenti non aduertere.

En tibi hoſtes gratiæ à ſancto Auguſtino debellatos, ac proinde hæreticos, qui dicerent, in eo conuenire Medicinalem Chriſti gratiam cum gratia Adami, quòd vtraque poſſit ab homine, hoc eſt ab humana voluntate vel deſeri, ſi velit, vel arripi & eâ vti. *Deſerere* Chriſti gratiam internam illam & actualem, & *illi reſiſtere* apud Ianſenianos, vt opinor, nihil differunt, nec pariter gratiam illam *arripere*, *atque ea vti* diuerſum quid eſt ab eo quod eſt *illi obtemperare?* Supereſt igitur vt (juxta Ianſenium) in eo fuerint hæretici Maſſilienſes ſeu Semipelagiani, quòd vellent talem eſſe interiorem gratiam, cui poſſet humana voluntas reſiſtere vel obtemperare: Ergo Ianſeniana eſt quarta Propoſitio, eique vt tali conuenit cenſura Sedis Apoſtolicæ, quòd ſit *falſa & hæretica*; falſa nimirum, quoad primam partem; hæretica, quoad ſecundam.

Ex his conſtat quinque damnatas Propoſitiones vel ipſiſſimas eſſe Ianſenii, vel Ianſenianis adeò germanas, vt impoſſibile ſit de vnis quidquam pronuntiare, quod aliis eodem prorſus modo non conueniat. Colligamus hæc ergo, & demus interea Ianſenianis quod ab illis mox repetendum erit, ſed demus *verum*, *Auguſtinianum*, & *Catholicum* eſſe ſenſum, quo & Ianſenius propoſitiones illas defendit, & illi ſe defendere profitentur. Attamen ſemper ſequitur, Ianſenium, Magiſtrum illum traditionis incomparabilem, illum interpretem Auguſtini fideliſſimum, Domitorem illum Pelagianiſmi renaſcentis, illum Reformatorem Scholaſticæ Theologiæ, jam à multis ſæculis corruptæ, illum Expurgatorem Catholicæ fidei Philoſophicis principiis & humanis rationibus inquinatæ, Ianſenium inquam talem ac tantum virum, tam ingenioſum, tam perſpicacem, tam eruditum, tam ſapientem, ſenſum verum, Auguſtinianum, & Catholicum expreſſiſſe Propoſitionibus, irrefragabili judicio Sedis Apoſtolicæ, *falſis, temerariis, ſcandaloſis, contumelioſis, impiis, blaſphemis, anathemate damnatis, diuinæ pietati derogantibus, & hæreticis*, quod eſt Ianſenianos magiſtri ſui veſtigiis inſiſtentes, & Auguſtini doctrinam, & fidem Catholicam explicare execrando & abominabili ſermone. Hoc, inquam, vt minimùm ſequitur, licèt admittatur excuſatio, qua illi declinare conantur Eccleſiaſticæ Cenſuræ fatalem ictum.

CAPVT II.

Quo ſenſu damnatæ ſint Ianſenianæ Propoſitiones?

IANSENIANI damnatarum propoſitionum duos ſenſus diſtinxere: vnum alienum, ad quem trahi poſſent, & quem ipſi reſpuunt; alium legitimum, quem dicunt à ſe defendi veluti fidem Catholicam. Hæc ſunt eorum verba in eo ſcripto quod tradidere Summo Pontifici ante damnatas propoſitiones. *De propoſitionibus autem non in* SENSV ALIENO, *ad quem trahi poſſent, quique à nobis reſpuitur*, SED IN SENSV LEGITIMO, *qui à nobis defenditur, atque adeò de fide Catholica in iis contenta controuerſia eſt.*

Sen-

Senſus *legitimus* prout opponitur *alieno*, non poteſt eſſe alius, quàm ſenſus *proprius*; idémque vt opponitur ſenſui, ad quem Propoſitiones trahi poſſent, non poteſt eſſe alius, quàm ſenſus naturalis, ſeu germanus, quem propoſitiones habent, nullâ vi verbis illatâ, ſed ex ipſa vocum inſtitutione, & communi atque vſitata inter homines acceptione. Et verò paulò pòſt eoſdem ſenſus vocant *veros & germanos*. Atque ita faſſi ſunt, pro ea quâ valent prudentiâ & perſpicaciâ, ſe damnatas propoſitiones tueri juxta *legitimum*, hoc eſt, *verum, proprium, naturalem, ſeu germanum, communémque* earum ſenſum. Et vt damnationis fulmen auertant, dicunt cadere illud in ſenſum *alienum*, ad quem trahi poſſent. Hæc illi in libello trium columnarum, cujus ſpecimen hîc exhibendum eſt in prima propoſitione, eadem erit de cæteris ratio.

PRIMA PROPOSITIO.

Aliqua Dei præcepta hominibus juſtis volentibus & conantibus, ſecundùm præſentes quas habent vires, ſunt impoſſibilia: deeſt quoque iis gratia, qua poſſibilia fiant.

Senſus hæreticus,

Qui primæ propoſitioni malignè affingi poſſet; quem tamen legitimè ſumpta non habet.

Iuſtis omnibus quantumlibet volentibus & conantibus ſecundùm præſentes, quantaſcumque vires, quæ à gratia magna & efficaci habentur, man-

PRIMA PROPOSITIO vt à nobis defenditur.

Aliqua Dei præcepta aliquibus juſtis volentibus & conantibus inualidè & imperfectè, ſecundùm, præſentes quas habent vires, paruas ſcilicet & infirmas: ſeu auxilio efficaci ad plenè volendum & operandum neceſſario deſtitutis, impoſſibilia ſunt proximè & complete, ſeu ab iis adimpleri proximè non poſſunt: deeſt quoque illis gratia efficax, quâ præcepta illis proximè poſſibilia fiant: ſeu deeſt illis ſpeciale illud auxilium, ſine quo juſtificatus, vt ait Concilium Tridentinum, in

Propoſitio prima contraria vt ab Aduerſariis defenditur.

Omnia Dei præceſta juſtis volentibus, &c.

Iiii

data Dei ſunt impoſſibilia: deeſt quoque illis ſemper & quandiu viuunt gratia, quâ poſſint vel vnum ex mandatis Dei adimplere.

Hæc propoſitio eſt hæretica, Caluiniana, aut Lutherana, & à Concilio Tridentino damnata.

juſtitia, id eſt in obſeruatione mandatorum Dei perſeuerare non poteſt.

Suſtinemus, ac demonſtrare parati ſumus hanc propoſitionem ad fidem Eccleſiæ pertinere, & in ſancti Auguſtini Doctrina indubitatam eſſe, atque à Concilio Tridentino definitam.

In prima columna vt vides, eſt ſenſus hæreticus, quem propoſitio non habet, vt dicunt, ſed ad quem *malignè trahi poſſet*, ideóque vocant ſenſum *alienum*. In ſecunda columna eſt ſenſus, quem illi *vti fidem Catholicam defendunt*, nos vti damnatam hæreſim impugnamus; In tertia non continetur ſenſus propoſitionis, ſed ponitur propoſitio contraria tum primo tum ſecundo ſenſui, juxta doctrinam, vt ipſi putant, Molinæ ac Semipelagianorum. Ergo damnatam eſſe propoſitionem cùm negare non poſſint, contendunt in ſenſu tantùm primæ columnæ, damnatam eſſe, non in ſenſu ſecundæ, quæ media eſt.

Nolo hîc exagitare auctoris harum columnarum ingenium artemve, nec immorari perſequendis verborum, quibus conſtant, inepta & inutili congerie; Eruditus lector oculos tantùm aduertat ad illas orationis reſtrictiones, limitationes, modificationes, ſtatim videbit ſpecimen eſſe hominum, qui ſermonis candorem, perſpicuitatem, & breuitatem vel ſponte fugiunt, vel ingenii ac ſcientiæ defectu adhibere non poſſunt; & quicumque tandem ſit columnarum iſtarum faber, reuera fabrum eſſe lignarium, an ferrarium, an cæmentarium viderint alii, ſed tamen rudem admodum & imperitum; & quem dicere poſſis cognitos vulgò columnarum ordines omnes ignorare, excepto fortaſſe ruſtico.

Sed iis omiſſis, examinandum eſt id quod dicunt de duplici ſenſu, quo ſunt & non ſunt damnatæ quinque Propoſitiones. Quod ego, quæ ipſius rei facilitas eſt & veritatis euidentia, ita me perfecturum ſpero, vt lector eruditus & ſagax neſcire cogatur, vtri ſtupore majori corripiantur, an qui hæc proponunt ad eludendam Conſtitutionem Pontificiam:

an qui proponentibus aſſentiuntur, ſeque patiuntur ludificari ejuſmodi præſtigiis.

Age igitur: damnata eſt, inquiunt, Propoſitio in ſenſu hæretico primæ columnæ, non in Catholico ſecundæ. Ego in primis ex ore tuo & ex Pontificis te judico. De primo ſenſu, inquis, nulla eſt controuerſia, quia pars vtraque in illius condemnationem conſentit; controuerſia eſt tantùm de ſecundo, quem pars altera Catholicum, altera hæreticum eſſe contendit. Verba tua ſunt; *De Propoſitionibus in ſenſu alieno, in quem trahi poſſent, non eſt controuerſia, ſed de ſenſu legitimo, qui à nobis defenditur.* Rurſus, *Epiſcopi Galliarum petunt vt de iis quæ in Controuerſiam inter nos & aduerſarios vocata ſunt, expreſſam ſententiam ferat* (Sanctitas Veſtra) *non de iis, de quibus nulla contentio, nulla quæſtio, nulla difficultas exorta eſt.* Poſſem ab hoc homine poſtulare vt procurationem oſtenderet ab Epiſcopis Galliarum ad petendum eorum nomine quod à Pontifice petit. Vix enim ſex, ſeptemve nominaret contra octoginta & ampliùs, qui Legatis paulo melioribus, paulóque fidelioribus vti voluerunt. Poſſem & objicere, inter paucos illos quorum nomina prætexuere, non deeſſe qui negent ſe auctores fuiſſe hujúſmodi legationis, querantúrque nomen ſuum fuiſſe ab illis ſuppoſitum. Sed hæc & id genus multa diſſimulanda ſunt. Hoc tantùm manifeſtò conſtat ex dictis, poſtulatum à Pontifice vt de Propoſitionibus pronuntiaret in ſenſu controuerſo; & ſenſum controuerſum eſſe ſenſum ſecundæ columnæ, quem ipſi tuentur.

Addamus jam verba Pontificis, quibus quid ipſe intenderit ſatis oſtendit in ipſamet conſtitutione, Cùm occaſione « impreſſionis libri, cui titulus, Auguſtinus Cornelii Ianſenii « Epiſcopi Iprenſis, inter alias ejus opiniones orta fuerit præ- « ſertim in Gallia controuerſia ſuper quinque ex illis, *&c.* Nos « quibus inter multiplices curas..... illa inprimis cordi eſt, vt « Eccleſia Dei..... purgatis prauarum opinionum erroribus tu- « tò militare & tamquam nauis in tranquillo mari ſedatis om- « nium tempeſtatum fluctibus ac procellis, ſecurè nauigare, & « ad optatum ſalutis portum peruenire poſſit; Pro rei graui- « tate coram aliquibus *&c.* In litteris autem Apoſtolicis ad Epiſcopos Galliæ ſic loquitur: Rectè atque ex ordine fecit «

» Fraternitatum veſtrarum pietas, quæ cùm in Eccleſiis iſtis
» propoſitionum, de quibus ad nos ſcripſiſtis occaſione TVR-
» BAS INGENTES EXCITARI CERNERET; aſcendit ad
» locum hunc ſanctum, vt Catholicam ſuper iis veritatem à
» nobis quæreret.

Ex his verbis nemo eſt, vt opinor, qui non videat quid mouerit Pontificem, & quid ille intenderit. Mouit illum *Controuerſia in Galliis orta* de quinque propoſitionibus, *& ingentes turbæ eâ occaſione excitatæ*. Intendit autem componere turbas illas, atque efficere ſuâ definitione, vt Eccleſia, *Sedatis omnium tempeſtatum fluctibus ac procellis, tanquam nauis in tranquillo mari* curſum ſuum teneret. Hoccine non eſt voluiſſe controuerſiam dirimere, vel de ſenſu controuerſo pronuntiare? Poteſt-ne quidpiam concipi magis ridiculum, quàm poſt apparatum illum & ſpecimen judicis, accincti ad dirimendam litem, totam litigandi cauſam relinquere, déque eo pronuntiare, de quo nulla eſt controuerſia? Hoc eſt ſedare tempeſtates? Hoc diſſipare procellas, & efficere vt tranquillo mari nauigetur? Ergo velint nolint Ianſeniani, fateri debent Pontificis mentem fuiſſe de controuerſia judicare, ſiue de quinque propoſitionibus vt controuerſis: ac proinde vt intellectis in ſenſu controuerſo. Hoc confirmant peculiares ejuſdem Pontificis literæ ad quoſdam Epiſcopos, vt ad Illuſtriſſimum Gratianopolitanum ſcriptæ 29. Septembris anni ſuperioris 1653. In quibus dicitur *lata eſſe ſententia de quinque controuerſis propoſitionibus*, & ad Illuſtriſſimum Nouiodunenſem eodem tempore, in quibus dicitur, *Apoſtolicâ Declaratione ſtatutus de quinque controuerſis propoſitionibus Eccleſiæ Catholicæ ſenſus*. Quomodo enim dici poteſt lata eſſe ſententia de controuerſis propoſitionibus, ſi non eſt lata de ſenſu illarum controuerſo? Neque enim controuerſæ ſunt quoad ſolas voces, niſi velint diſputatum eſſe apud Grammaticos. Ergo ſumi debent voces, vt conjunctæ atque concretæ cum ſignificatione controuerſa. Si enim cum non controuerſa, nec ipſa propoſitio controuerſa dici poteſt.

Iam vide quid ſequatur. Senſus controuerſus, eſt legitimus & germanus quinque propoſitionum ſenſus, quem Ianſeniani vti Catholicum tuentur; Senſus controuerſus eſt ille,

de quo Summus Pontifex intendit pronuntiare : Ergo ſenſus de quo Summus Pontifex intendit pronuntiare, eſt legitimus & germanus quinque propoſitionum ſenſus, quem Ianſeniani vti Catholicum tuentur. Ergo pronuntiando de ſenſu controuerſo, & quem Ianſeniani tuentur vt Catholicum, dicit pontifex primam Propoſitionem eſſe *temerariam*, *impiam*, *blaſphemam*, *anathemate damnatam*, & *hæreticam*. Ianſeniani quid dicitis? Deductio manifeſta eſt: principiorum alterum eſt veſtrum, alterum Pontificis. Eligite vtrum malitis; falli dolatorem trium columnarum, dum fatetur ſenſum legitimum & germanum illum eſſe, qui vocatur in controuerſiam, & quem ipſi Catholicum putaris; an Pontificem, dum ſignificat ſe de ſenſu controuerſo pronuntiare.

Secundò, In primo tantùm ſenſu damnabilis eſt, inquiunt, Propoſitio. Et ille eſt ſenſus *quem legitimè ſumpta non habet: ſed qui malignè illi affingi poſſet.* Quis autem adeò inſaniuit vnquam, vt damnatam vellet propoſitionem, propter ſenſum quem legitimè ſumpta non habet, ſed qui poſſet illi affingi? Si non habet illum ſenſum, nunquid ipſa innoxia eſt? Abſoluatur ergo Propoſitio, & ſenſus damnetur. Quid minus eſt damnare propoſitionem propter ſenſum, quem non habet, ſed qui poſſet ei malignè affingi, quàm accuſatum damnare propter crimen, quod non commiſit, ſed quod ei poſſet malignè imponi? Nunquid hoc eſt Iudicem ipſum accuſare vel ſtuporis horrendi, vel nequiſſimæ voluntatis? Quare inuoluit damnatio noxium crimen cum homine innoxio, ſi ſeparata ſunt? Quare etiam ſenſum hæreticum cum Catholica propoſitione, ſi ſunt ſimiliter diſparata? Et non vident hanc eſſe in judicem ipſum, atque adeò in Pontificem atrociſſimam calumniam, & tetrum conuitium? Et ſperant vllum fore verè Chriſtianum, qui non malit deſipere ipſos, quàm Pontificem? Quòd ſi propter ſenſum quem non habet, ſed qui malignè illi affingi poſſet, *hæretica* & *blaſphema* eſt aliqua Propoſitio, quid facient, ne tota Scriptura ſacra, hæretica & blaſphema dici poſſit? Age, *verba quæ loquutus ſum vobis ſpiritus & vita ſunt*, propoſitio Chriſti eſt. Senſus hæreticus non tantùm illi affingi poteſt, ſed affictus reuera eſt à Caluino, qui putauit his verbis ſignificari ſpiritaliter tantùm accipienda,

quæ de Chriſti præſentia in Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento Catholica docet Eccleſia. Ergo hæretica eſt Chriſti propoſitio illa?

Erit & illa, quâ dixit, *Quia Pater major me eſt*, quia hæreticus eſt ſenſus, quem non habet, & qui tamen illi non ſolùm affingi potuit, ſed affictus eſt ab Ario, cùm diceret ſignificatam æterni Verbi cum æterno Patre inæqualitatem in Natura; Ergo Chriſtus hîc iterum erit damnandus? Damnandum erit & quod dixit, *Ego & Pater vnum ſumus*, propter ſenſum hæreticum, quem illi Sabellius affinxit, cùm diceret ſignificari vnitatem perſonarum in Diuinis, relictâ ſolâ diſtinctione nominum.

Damnandum & quod dixit, *Spiritus qui à Patre procedit*, quia Photius, cum cæteris Græcis Schiſmaticis, negatiuum illi ſenſum, cúmque hæreticum affinxerunt, quo negarent Spiritum Sanctum à Filio procedere.

Damnandum & illud, *Paraclitus autem Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo.* Quia Macedoniani ſenſum hæreticum affinxere, cùm dicerent, ſignificari Spiritum Sanctum inæqualem & minorem Filio, inæquali etiam & minore, Patre ipſo; ac proinde tres perſonas ita ſe habere in Diuinis, ſicut in humanis Sacerdotem, Diaconum, & Subdiaconum.

Apocalypſis tota Beati Ioannis Apoſtoli damnanda, propter ſenſum hæreticum, quem illi attribuunt noſtrates hæretici, Babylonem interpretati Romanam Eccleſiam, & Antichriſtum, Pontificem.

Damnanda propoſitio Sancti Pauli, quâ dixit, *Neminem juſtificari ex operibus legis*, quia Lutherus hæreticum illi ſenſum affinxit, cùm dixit, omnia opera noſtra inutilia eſſe, nec conferre quidquam poſſe ad juſtificationem.

Damnanda propoſitio Dauidis, *Beati quorum remiſſa ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata;* quia idem Lutherus, hæreticum illi ſenſum affinxit, in juſtificatione tegi tantùm peccata, & non imputari; non verò deleri.

Geneſis tota damnanda erit, & Moſis narratio dicenda hæretica: quia Manichæi hæreticum illi ſenſum affinxerunt, cùm dicerent, deſignari Deum veteris teſtamenti, condi-

torem materiæ, Principémque gentis tenebrarum, diuerſum ab alio Noui Teſtamenti Deo.

Denique nihil dixerit Pontifex de quinque propoſitionibus, quod non potuerit perinde dicere de vniuerſa Scriptura. Et ſicut non poteſt vocare Sacram Scripturam hæreticam, ita nec quinque propoſitiones vocare potuiſſe; vel ſi jure potuit quinque propoſitiones hæreticas vocare, potuiſſe ac poſſe eodem jure, & illum & nos ejus exemplo, Scripturam Sacram, hoc eſt, intemeratum Dei verbum, dicere *hæreticum*.

Quin etiam addo, id dictum iri potiori jure de Sacra Scriptura juxta Ianſenianos, quàm dici poſſit de quinque propoſitionibus. Nam Scripturæ, vt vidimus, affictus eſt hæreticus ſenſus ab hæreticis: quinque propoſitionibus hæreticum illum ſenſum quis affinxit? Quis inquam noſtrûm vnquam dixit, primam propoſitionem de impoſſibilitate mandatorum, ſignificare hominem juſtum peccare in quolibet opere bono, quod elicit beneficio gratiæ efficacis? eò enim reducitur implexus ille atque confuſus primæ columnæ ſenſus. Sed quis noſtrûm illi ſenſum hujuſmodi affinxit? Caluinianum nos quidem non affingimus, quia reuera tanquam proprium attribuimus: illum videlicet, quo cenſuit Caluinus hominem juſtum, dum impellente concupiſcentiâ vincitur, neceſſitate vinci atque impoſſibilitate reſiſtendi, in qua tunc reperitur. Hoc contendimus & à Prima Propoſitione propriè ad mentem Ianſenii ſignificatum, & eſſe Caluinianum atque hæreticum. Significari autem hominem juſtum, etiam in opere bono peccare per illam propoſitionem, nec diximus vnquam, nec intelleximus, nec intelligi voluimus. Vnde ita jam licet argumentari, Si damnanda eſt aliqua propoſitio propter alienum ſenſum hæreticum, vt volunt Ianſeniani, euidens eſt, damnari debere potiùs propter ſenſum, qui reuera affingitur, quàm propter illum, qui tantùm affingi poteſt: eo quòd malum actuale & præſens magis vrgeat, quàm quod eſt tantùm poſſibile. Sed propoſitionibus Scripturæ Sacræ ſenſus alienus & hæreticus reuera affingitur: ille verò quem deſignant Ianſeniani, quinque propoſitionibus tantùm affingi poteſt: Ergo ſi valet eorum ratio, dam-

nandæ ſunt potiùs propoſitiones Scripturæ Sacræ, quàm propoſitiones illæ quinque Ianſeniani. Quid dicitis? Videtis in quæ barathra cogitationum veſtra vos principia præcipitent? Quanti apud vos eſt vel Scriptura Sacra, vel Chriſti Vicarius, dum eò rem deducitis, vt definire poſſit hæreticum eſſe verbum Dei, ſicuti definiuit propoſitiones Ianſenii eſſe hæreticas? Si quæ vobis ſupereſt boni ſanguinis gutta, non ſubibit ora rubor?

Atque in ea notandus eſt candor & bona fides, quâ ſunt vſi Quatuor-viri Ianſeniani qui Româ poſt ſuam damnationem ſcripſere ad Epiſcopos Galliæ 16. Iunii, cùm dicunt, cauſam acceleratæ damnationis eam fuiſſe, quòd aduerſarii perſuaſiſſent Conſultoribus & Cardinalibus, Ianſenianos aliud profiteri in Gallia, & aliud Romæ: Et eſſe qui propoſitiones defenderent in malo ſenſu; Itáque nouam hæreſim, à Concilio Tridentino damnatam in Luthero & Caluino, ſpargerent. Hæc ab illis fuiſſe propoſita & voce tenus dum Cardinales & Conſultores inuiſerent, & ſcriptis informationibus quæ in ipſorum deinde manus venere. Nimirum hæc mera calumnia eſt; numquam enim illi qui contra Ianſenianos Romæ pugnarunt, ſenſum illum, quem alienum vocant & hæreticum Ianſenianis attribuerunt, ſed illum potiùs quem & legitimum eſſe iidem fatentur, & vt Catholicum defendunt; Quare nego Ianſenianos apicem vllum vel in ſcriptis Aduerſariorum, vel in eorum libris inuenire poſſe, quo probent quod aſſerunt.

Tertiò, Niſi deueniamus ad hoc principium, Eccleſiam dum propoſitionem aliquam abſolutè damnat, eam damnare juxta propriam & vſitatam, quam communiter habet, ſignificationem, ruit auctoritas omnis Conciliorum in decidendis fidei controuerſiis; neque vim habet vllam, vel ad fidei doctrinam illuſtrandam, vel ad ſoluendas dubitantium difficultates, vel ad componenda diſputantium diſſidia. Quæ enim vſquam eſt Propoſitio, quæ cum proprio germanóque ſenſu, non admittat alienum? Ergo dum abſolutè damnatur, vnde ſciam in proprio-ne an in alieno damnetur? Quò mihi inquam omnia illa Tridentini Decreta, ſi Ianſeniani non delirant? *Si quis dixerit*, inquit, *hominem ſuis operibus abſque diuina gratia poſſe juſtificari, anathema ſit*: bene

Can. 1. Seſſ. 6.

ne

ne habet, intelligo hæreticam eſſe propoſitionem, ſed vnde ſciam hæreticam vocari in proprio ſenſu, & non in alieno & qui affingi poſſet? *Si quis dixerit ad hoc ſolum diuinam gratiam per Christum Ieſum dari, vt homo faciliùs juſtè viuere poſſit, &c.* Eſto inquam, hæreticum ſit hoc dicere, ſed in quo ſenſu? In proprio an in alieno & qui malignè affingi poſſet? *Si quis dixerit ſine præueniente Spiritus Sancti inſpiratione atque ejus adjutorio, hominem credere, ſperare, diligere, aut pœnitere poſſe ſicut oportet, anathema ſit;* Sit inquam anathema, qui hoc dixerit, ſed in quo ſenſu? in proprio, an in alieno, & qui malignè affingi poſſet? Can. 1. Can. 6.

Procliue eſt cætera omnia iſtius Concilii Decreta ex principiis Ianſenianorum eneruare omnino in eum modum, & irrita reddere penitùs ac caſſa. Quódque de Tridentino dicitur, pari modo dicendum erit de Valentino, de Lugdunenſi, de Lingonienſi, déque cæteris omnibus, quorum auctoritate Ianſeniani conantur aliquando errores ſuos communire. Interrogandi enim ſtatim erunt quomodo intelligendas velint propoſitiones, quas objiciunt in illis damnatas; in proprio & legitimo ſenſu, quem habent, an in alieno & qui malignè affingi poſſet? Quid habent quod reſpondeant?

Sed & auctoritas Auguſtini, quem adorare ſe ſimulant, cùm potiùs eum traducant veluti auctorem execrabilium ſententiarum, quid eis proderit? Sint aliquæ propoſitiones, quas ille damnat, ſicuti Pelagianas, concedo: ſed illæ nunquid intelligi quoque poſſunt in ſenſu vel proprio & germano, vel alieno & qui malignè affingi poſſet? Non poteſt contingere propoſitionibus à Sancto Auguſtino damnatis, quod contingit damnatis à Sede Apoſtolica? Ergo ſi damnatæ à Sede Apoſtolica intelliguntur damnatæ in ſenſu tantùm alieno & qui malignè affingi poſſet, non in proprio & legitimo; quidni cum eadem diſtinctione intelligi poſſint damnatæ, quæ damnatæ ſunt à Sancto Auguſtino? Quid igitur fiet tot machinis, quot in Molinam & Moliniſtas erexere? Non vident ab ipſiſmet ſuggeri vnde ſtatim in fumum & cineres redigantur?

Agite inquam Ianſeniani, Molina exterminandus eſt: ille ille hoſtis Diuinæ gratiæ, ille corruptæ, ingratæque naturæ de-

ſenſor, ille interpolator Semipelagianiſmi. Ergo deuoueamus hominem. Sed videndum priùs quis in illum ſententiam dicat. Concilium, inquiunt, Dioſpolitanum, Carthaginenſe, Mileuitanum, Arauſicanum. Illa verò quid tandem dicunt? Damnant, inquiunt, Propoſitiones quæ Molinæ ſunt. Interea tranſeat impoſtura. Sed in quo ſenſu eas damnant, in proprio, an in alieno & qui malignè affingi poſſet? Totus, inquiunt, in illum detonat Auguſtinus. Quid verò dicit? Hæreticas, inquiunt, eſſe illius aſſertiones. Hæc quoque calumnia interim tranſeat. At in quo ſenſu hæreticas dicit, in proprio, an in alieno & qui malignè affingi poſſet? Adeo-ne tardi ſunt Ianſeniani, ne cæcos dicam, vt non intelligant petitiones ipſorum omnes per ipſoſmet irriſas reddi penitúſque inutiles?

Quare niſi prodire volunt in hanc arenam inermes & nudi, omniáque diruere munimenta, quibus cauſam ſuam hactenus tueri conati ſunt; euidens eſt debere nobiſcum in hoc principium conuenire, vt cùm aliqua propoſitio abſolutè damnatur, cenſenda ſit damnari non in alieno ſenſu & quem non habet; ſed in proprio, atque germano juxta communem hominum acceptionem. Figamus igitur hoc principium, & jungamus eorumdem Ianſenianorum confeſſionem, quâ dicunt, ſenſum *controuerſum* in quo ipſi *ſuſtinent* quinque propoſitiones, eſſe *legitimum*, *germanum*, *verum* illarum ſenſum oppoſitum *alieno*, ac proinde *proprium*; inde ſtatim ſequitur damnatas eſſe Quinque Propoſitiones in ſenſu, in quo illas Ianſeniani ſuſtinent. Atque ex his cernere Lector poteſt quomodo Ianſeniani ſuis ſe verbis implicuerint, & ad ſuas ipſi columnas alligati verberentur.

Quartò, qui ſuos nobis ſenſus inculcant, ejuſmodi ſunt, vt de iis ne cogitarint quidem Epiſcopi, qui Propoſitiones Romam ad cenſuram miſere: ſed ne illi quidem, qui vt cenſerentur, inſtitere Romæ. Quid ſentiant, quid non ſentiant, viderint ipſi. De ſenſu Ianſenii actum eſt ſemper; ille controuerſus, ille propoſitus fuit hujus cauſæ judicibus. Fatentur-ne damnatas eſſe propoſitiones in ſenſu Ianſenii nec-ne? Si fatentur, conſulant ipſi ſibi vt volent. Nos enim deinceps de ſenſu ipſorum nihil admodum erimus ſolliciti, niſi vt vi-

deamus quomodo ſuum ipſi à Ianſeniano diſtinguant; ſi non fatentur, legant Apoſtolicam Conſtitutionem: Cùm occa- «
ſione impreſſionis libri cui titulus, Auguſtinus Cornelii Epi- «
ſcopi Iprenſis INTER ALIAS EIVS OPINIONES orta fue- «
rit, præſertim in Gallia, controuerſia ſuper QVINQVE EX «
ILLIS, complures Galliarum Epiſcopi apud nos inſtiterunt «
vt eaſdem propoſitiones nobis oblatas expenderemus, ac de «
vnaquaque earum certam & perſpicuam ferremus ſenten- «
tiam. Quid videtur? Satis-ne declarat Pontifex rem de qua judicat eſſe *opiniones Ianſenii*? Satis-ne monſtrat ſe pro eodem habere *opiniones Ianſenii* & oblatas propoſitiones? Iterum legant: Non intendentes tamen per hanc declarationem & «
definitionem ſuper prædictis quinque propoſitionibus factam, «
approbare vllatenus ALIAS OPINIONES QVÆ CONTI- «
NENTVR IN PRÆDICTO LIBRO CORNELII IANSE- «
NII. Quid eſt *alias opiniones in eodem libro contentas*, relatum ad *prædictas quinque* Propoſitiones? Grammatica Regio-portuenſis poſſet-ne rationem aliquam inuenire ita interpretandi, vt *prædictæ quinque propoſitiones* non intelligerentur eſſe *opiniones in prædicto libro contentæ?* Ergo de opinionibus Ianſenii judicat Pontifex, cùm de Quinque Propoſitionibus judicat. Oſtendant autem Ianſeniani, ſubtiles nimirum Philoſophi, quantum ſit in præſenti materia diſcriminis, inter ſenſus Ianſenii & opiniones Ianſenii. Quòd ſi nullum eſt, fateantur ergo, dum lata eſt de Quinque Propoſitionibus ſententia, latam eſſe ex ejus declaratione qui eam tulit, de opinionibus, déque ſenſibus Ianſenii, ſeu quod idem eſt, latam eſſe de Quinque Propoſitionibus vt Ianſenianis, hoc eſt, vt expreſſiuis ſenſus & mentis Ianſenii: ac proinde opiniones & ſenſus Ianſenii damnatos eſſe in cenſura quinque propoſitionum.

Atque hoc confirmari poteſt ex ſculptore trium columnarum, dum propoſitiones omnes, exceptâ primâ, vocat *fabricatas*. Hoc enim idem eſt ac non contineri apud Ianſenium ſub iiſdem terminis. Nam cùm conſtet nullam propoſitionem attribui poſſe vlli ſcriptori, quæ non ad illum pertineat, vel ratione verborum, quibus conſtat, vel ratione ſignificationis & ſenſus: & quatuor illæ non pertineant ad Ian-

ſenium, ratione verborum quibus conſtant, vt vult columnarum faber; ſupereſt., vt vel nullomodo pertineant, vel pertineant ratione ſignificationis & ſenſus. Pertinere autem, & Epiſcopi Galliarum qui eas miſére cenſendas, & Chriſti Vicarius, qui cenſuit, apertè ſignificant: Ergo pertinent ratione ſignificationis & ſenſus, qui communis eſt illis cum ſimilibus propoſitionibus Ianſenianis. Et quid cogitant qui repugnant? Non erunt iterum ad ſuas columnas ligandi cædendique, ſi contendere pergant Pontificem de cæpis interrogatum, de alliis reſpondiſſe? Controuerſia eſt, inquiunt, de ſenſu Ianſeniano, de controuerſia recurritur ad Pontificem, vt eam dirimat; reſpondet Pontifex de ſenſu non Ianſeniano. Quis hîc non clamet, Ianſeniani ad columnam.

CAPVT III.

Quid ſignificet exceptio quâ vſus eſt Summus Pontifex dum declarauit non eſſe mentem ſuam damnare Doctrinam Sancti Auguſtini, nec controuerſiam attingere de Gratia per ſeip ſam efficaci.

PSEVDO-AVGVSTINIANI vt eludant vim Apoſtolicæ Conſtitutionis contra Quinque Propoſitiones, argumentantur ex eo quod ſe dicunt à Pontifice in priuato quodam colloquio audiuiſſe, non eſſe mentis ſuæ damnare vllo modo Sancti Auguſtini doctrinam: ſed nec controuerſiam attingere de gratia per ſeipſam efficaci, agitatam inter Thomiſtas & Ieſuitas. Vnde ita debent argumentari, ſi aliquid obtinere cupiunt. Damnare Quinque Propoſitiones in ſenſu Ianſeniano, eſt damnare Sanctum Auguſtinum; Sed Pontifex apertè declarauit non eſſe mentis ſuæ damnare Sanctum Auguſtinum: Ergo conſequenter declarauit non eſſe mentis ſuæ damnare Quinque Propoſitiones in ſenſu Ianſeniano. Item, Damnare Quinque Propoſitiones in ſenſu Ianſeniano, eſt

tangere controuerſiam de Gratia per ſeipſam efficaci agitatam ſub Clemente VIII. & Paulo V. eámque definire: Sed Pontifex declarauit ſe controuerſiam illam nec definire velle, nec tangere: Ergo declarauit ſe damnare nolle Quinque Propoſitiones in ſenſu Ianſeniano. Ego breuiter reſpondeo, & viciſſim ſic argumentor. Qui non vult damnare doctrinam Sancti Auguſtini, & damnare vult Quinque Propoſitiones in ſenſu Ianſeniano, conſequenter oſtendit propoſitiones illas in ſenſu Ianſeniano non eſſe doctrinam Sancti Auguſtini: Sed Innocentius X. non vult damnare doctrinam Sancti Auguſtini, & tamen vult damnare Quinque Propoſitiones in ſenſu Ianſeniano: Ergo Innocentius X. conſequenter oſtendit propoſitiones illas in ſenſu Ianſeniano non eſſe doctrinam Sancti Auguſtini. Major per ſe patet, minoris pars prima datur ab aduerſariis, ſecunda jam demonſtrata eſt, & ex ipſo tenore Conſtitutionis patet: conſequentia eſt manifeſta.

Iterum argumentor: Qui vult damnare Quinque Propoſitiones in ſenſu Ianſeniano, & non vult definire controuerſiam de Gratia per ſeipſam efficaci aliàs diſceptatam, ſupponit eſſe differentes controuerſias: Sed Innocentius Decimus vult damnare Quinque Propoſitiones in ſenſu Ianſeniano, & non vult definire controuerſiam de gratia per ſeipſam efficaci, aliàs diſputatam; Ergo Innocentius X. ſupponit differentes eſſe controuerſias, de Gratia per ſeipſam efficaci diſputatam aliàs, & de quinque propoſitionibus. Major per ſeipſam manifeſta eſt: minoris pars prima ſuperiùs demonſtrata eſt: ſecunda conceditur vltrò à Ianſenianis: conſequentia negari non poteſt,

Ianſeniani quid vobis videtur? *Parati ſumus*, inquiunt, *demonſtrare*, Quinque Propoſitiones ad ſenſum Ianſenii, eaſdem eſſe ad ſenſum etiam Auguſtini. Reſpondeo, demonſtratum eſſe à Pontifice vos demonſtrare velle quæ non ſunt: Et cùm dicitis vos quoque demonſtrare paratos hanc eſſe ipſiſſimam controuerſiam de Gratia per ſeipſam efficaci; Reſpondeo pariter demonſtratum à Pontifice vos polliceri demonſtrationes rerum indemonſtrabilium.

Addo, quod attinet ad Sanctum Auguſtinum, Summum Pontificem non intendiſſe aliud definire, quàm quod illi propoſitum fuit. Cùm ergo in propoſitione definiendorum nulla

fuerit facta mentio doctrinæ Sancti Auguſtini; nec intendiſ-ſe ipſum in Auguſtinum, vt ejus doctrinam vel ſanciret, vel damnaret: Sciuiſſe quid eſſet jam in majorum traditione circa propoſitiones oblaras, quive ſenſus præſentis Eccleſiæ, de quo etiam interrogauit præcipuas per orbem Chriſtianum Academias, præter aſſiduam illam per ſeſquiannum à præclaris variorum Ordinum Doctoribus factam diſcuſſionem: Quod definitum eſt, auctoritatem petere non tam à Sancti Auguſtini conſenſu, quàm à præſidio ſpeciali Spiritus Sancti, Chriſti Vicario in Scripturis ſacris promiſſo: Quod eſt, auctoritatem petere ab ipſa Scriptura ſacra, vt Auguſtinus ipſe interpreratur in Epiſtola ad Innocentium I. Si deinde conuinceretur id quod definirum eſt contrarium eſſe quibuſdam aliis ejuſdem Sancti Auguſtini pronuntiatis, deferendam potiùs Auguſtini ſententiam, quàm ſententiam Summi Pontificis, idque auctore atque hortatore ipſomet Auguſtino faciendum; ſed reuera faciendum non eſſe; quod enim definitum eſt, minimè contrarium eſſe Auguſtini doctrinæ: eſſe illi potiùs quàm maximè conſentaneum: Mutandam eſſe tantùm Ianſenianis illam, quâ vſi ſunt in inueſtiganda Theologiæ Auguſtinianæ intelligentia, rationem, perſimilem illi quâ vſus eſt etiam Caluinus, qui ſua omnia de Gratia & libero arbitrio perpetuò prædicat eſſe Auguſtiniana.

Nullam eſſe certiorem viam ad cognoſcendam Auguſtini ſententiam, quàm Eccleſiæ interpretationem: Non licere nobis Auguſtinum interrogare de dubiis, quæ circa ejus ſcripta ſuboriri poſſunt, adire autem Eccleſiam licere. Quid igitur tutius quàm vt præſentem & loquenrem Eccleſiam interrogemus de ſententia Sancti Auguſtini tacentis & abſentis? Eſto, ſcripto loquatur Auguſtinus, non poſſe tamen ſcripto dubia ſoluere, quæ circa ſcriptum ipſum naſcuntur. Si veram putamus ejus ſententiam, cùm ſit certius veram etiam eſſe Summi Pontificis, certò concludendum non intelligi Auguſtinum ab iis, à quibus trahitur in ſententiam Pontifici contrariam.

Circa Gratiam per ſeipſam efficacem, & controuerſiam inter Thomiſtas, & Theologos Societatis diſputatam, ſimiliter dico duas eſſe quæſtiones, in quarum vna conſentientes habemus Thomiſtas, in altera diſſentientes. Eum qui liberè tranſ-

greditur præcepta, habere proximam & expeditam potentiam ad ea ſeruanda; Et conſequenter reſiſtere interiori gratiæ, per quam illa potentia completur; Et eſſe neceſſarium ad libertatem meriti ac demeriti vt facultas libera, ſit eâ ratione in vtramque partem contradictionis expedita, proindéque abſoluta, non ſolùm à neceſſitate coactionis, ſed à quacumque alia, quæ indifferentiam illam impediat; talem igitur eſſe debere gratiam interiùs mouentem, vt voluntas pro ſua libertate poſſit ei vel reſiſtere vel obtemperare: Iuſtificatos denique omnes, qui finaliter cadunt & damnantur, potuiſſe perſeuerare, atque ſaluari: Et Chriſtum eſſe mortuum, vt gratiam per quam hoc poſſent, illis mereretur; Res ſunt de quibus inter nos & Thomiſtas nulla fuit vnquam contentio; vnanimi enim conſenſu ſuppoſuimus illa ſemper tanquam indubitata Catholicórum Theologorum principia. An ea conueniant cum gratia phyſicè prædeterminante ad ſenſum Thomiſtarum, hoc verò eſt de quo diſputamus, negantibus nobis, illis affirmantibus. Ergo id in quo conuenimus ſanciuit Pontifex; id in quo diſſidemus diſputationi noſtræ reliquit. Sed eſt, inquis, neceſſaria conſequentia à poſitione illorum principiorum, ad negationem gratiæ prædeterminantis. Reſpondeo hoc ipſum inter nos diſputari, an ſcilicet neceſſaria ſit illa conſequentia. Nobis videtur neceſſaria, illis non videtur: Vtri meliùs ſentiant, nondum definitum eſt. Vicerint illi, qui ſuam ſententiam meliùs probauerint, meliúſque defenderint. Atque hoc eſt Pontificem attingere noluiſſe controuerſiam inter nos & Thomiſtas diſputatam de gratia per ſeipſam efficaci. Quod enim non attingitur niſi per conſequentias vtrinque diſputabiles, non attingitur definitiuè; neque cenſeri poteſt facta deciſio de cauſa illa, de qua litigare per judicem liberum eſt. Ac proinde cùm ſit liberum de ejuſmodi conſequentiis inter nos diſputare, non fuit mens Pontificis de eorum neceſſitate ferre judicium. Vanum igitur eſt quod Ianſeniani colligere ſibi videntur, ex illæſa teſtimonio Pontificis Sancti Auguſtini auctoritate, intactáque gratiæ per ſe ipſam efficacis controuerſia.

Ex his intelligi poteſt quid de illis quoque ſentiendum, qui Romanam Quinque Propoſitionum cenſuram admittunt,

cum exceptione illibatæ auctoritatis Sancti Auguſtini, atque etiam Sancti Thomæ. Suſpecta, Deus immortalis! exceptio, vel certè vt mitiſſimè loquar, ſuperflua. Vel enim ſupponunt certiorem eſſe Sancti Auguſtini ſententiam, deciſione Romani Pontificis; vel è contrario, tutiorem eſſe Romani Pontificis deciſionem, ſententiâ Sancti Auguſtini; vel vtramque æquè certam aut æquè dubiam: Si Sancti Auguſtini ſententiam Romani Pontificis deciſioni præferunt, dico ſuſpectam eſſe exceptionem, & à mente Sancti Auguſtini alieniſſimam. Si tutiorem putant definitionem Romani Pontificis Auguſtini ſententiâ; cùm poſſem vocare ridiculam exceptionem, dicere malui tantum eſſe ſuperfluam.

Quid enim eſt, eum qui tutiorem partem ſe putat ſequi, conteſtari ſe ita illi adhærere, vt non cogatur recedere à minùs tuta? Num paratus eſt, ſi non poſſint ambæ conciliari, relinquere quam certam credit, vt amplectatur eam, quæ illi videtur incertior? Idem dicendum ſi vtraque ſententia Epiſcopi Romani & Auguſtini, vel æquè certa vel æquè incerta ſupponatur. Quis enim tunc eſſe poteſt exceptioni locus, aut quæ ratio præferendi aut poſtponendi alteram alteri? Quod de Sancto Auguſtino dictum eſt, idem eadémque ratione dicendum de Sancto Thoma; qui ſi viueret, dubito num ſeruaturus eſſet modum in perſequendis hominibus illis, à quibus intelligeret ſe cum Chriſti Vicario committi.

Et hoc ipſum eſt in quo perpetuò Ianſeniani hallucinantur, quando ſcilicet vt Sedis Apoſtolicæ ſanctiones eludant, Sanctum Auguſtinum & Sanctum Thomam opponunt. Nec animaduertunt quantopere illis aduerſetur affectata hæc erga ſanctos viros aſſentatio. Quippe illos amplectuntur qui ejuſmodi officiis offenduntur grauiſſimè. Et miror quomodo illos tanta ſubierit fiducia, vt Chriſti Vicarii tutores eſſe, ſeu Pædagogi non dedignentur, dum ſuam illi neceſſariam eſſe prouidentiam arbitrantur, in præformandis cauſarum fidei definitionibus, timéntque ne imprudentiâ labatur, quòd diſtinguere neſciat inter Auguſtinianam doctrinam & hæreticam, hoc eſt, ne feriat Auguſtinum, dum in hæreticos jaculatur. Pupillus ſcilicet eſt ac per ætatem infirmus, niſi adſint qui verba ipſius interpretentur ac retractent.

Neceſſe

Neceſſe autem eſt ipſos in Sanctorum illorum placitis partiri: ac dum partem vnam approbare ſe ſimulant, rejicere alteram. Age enim, demus quod iniquiſſimè poſtulant Ianſeniani, quódque omni ratione negari debet, Auguſtino viſum eſſe, Aliqua Dei præcepta hominibus juſtis ſecundùm præſentes, quas habent vires, impoſſibilia; Interiori gratiæ actuali numquam reſiſti; Ad meritum & demeritum ſufficere libertatem à coactione, eſto, non ſit libertas à neceſſitate: Hæreſim eſſe Semipelagianam, quòd quis putet liberum eſſe reſiſtere vel obtemperare præuenienti gratiæ; Chriſtum denique pro æterna ſalute prædeſtinatorum tantùm eſſe mortuum, non verò pro æterna ſalute vllius reprobi. Demus inquam quod falſiſſimum eſt, hæc Auguſtino placuiſſe. Doctor eſt, inquiunt, irrefragabilis, bene habet. Sed nunquid eſt etiam irrefragabilis cùm Donatiſtas mittit ad *Petri ſedem*; tanquam ad *Petram* contra quam non præualent inferorum portæ? Nunquid eſt irrefragabilis, quando Iulianum Pelagianum negat *erraturum fuiſſe*, ſi audire voluiſſet ejuſdem Petri ſucceſſorem? Nunquid eſt irrefragabilis, quando dicit Innocentium Romanum Epiſcopum *non potuiſſe aliud reſpondere* interrogantibus, *quàm quod Apoſtolica Sedes & Romana cum cæteris tenet perſeueranter Eccleſia?* Nunquid eſt irrefragabilis, quando dicit *nefas eſſe* dubitare de eo quod Apoſtolica Sedes ſanxiſſet? Nunquid eſt irrefragabilis, dum Pelagianos aduerſus cæteros Epiſcopos, & congregata tum in Oriente, tum in Africa contra ipſos Concilia pertinaces, ceſſuros ſperat ejuſdem Innocentii auctoritati majori? Nunquid eſt irrefragabilis, quando *Apoſtolatus principatum*, & quod idem eſt, *Apoſtolicæ Eccleſiæ principatum cuilibet Epiſcopatui præferendum*, agnoſcit in Eccleſia Romana? His & ſimilibus locis cùm tam clarè monſtret Auguſtinus, quàm tutum ſit adhærere Sanctionibus Apoſtolicæ Sedis, audent aliqui contra prodeuntem ab illa Conſtitutionem excipere pro Sancto Auguſtino & proteſtari. Nec intelligunt nihil aliud hoc eſſe, quàm excipere & proteſtari contra ipſummet Sanctum Auguſtinum? Imponere quoque D. Thomæ non verentur, qui eorum doctrinam jam olim vocauit hæreticam.

Pſal. in par. Donati.
L. 1. contra Iul. c. 4.
Ibidem.
Epiſ. 157.
Epiſ. 91.
L. 2. c. 1. de Bapt. & ep. 162.

CAPVT IV.

Quid probent aliæ quædam conjecturæ Ianſenianorum circa mentem Summi Pontificis?

Ex Epiſtola quam Quatuor viri Iãſeniani Romæ ſcripſerunt ad Epiſcopos Galliæ 16. Iunii.

IANSENIANI Doctores ex humanitate, quâ fuerunt excepti à Summo Pontifice, qui liberaliter Indulgentias eis dedit, qui laudauit ipſorum agendi rationem, qui eloquentiam & eruditionem commendauit, qui dixit ſe noluiſſe, in ipſorum ſcilicet gratiam, in ſua Conſtitutione vti clauſulis illis, quæ communiter vſurpari ſolent, *De plenitudine poteſtatis*, &, *indignationem Beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli ſe nouerit incurſurum.* Ex his inquam atque aliis Summi Pontificis reſponſis, verbis, factiſque, conficere conantur noluiſſe illum damnare Quinque Propoſitiones in ſenſu quem habent Ianſenii, ſed in eo quem non habent, quique illis *malignè* tantùm *affingi poteſt*. Ad hæc omnia paucis reſpondeo.

Primò contra fidem obſignatarum tabularum minimè dubiam miniméque obſcuram; non eſſe agendum conjecturis. Teſtamentum condidit Sempronius, Caium ſcripſit hæredem, Tabulæ producuntur; quis eum audiat, qui ex diuinatione conjecturarum contendit voluiſſe inſtituere Titium? Profero Conſtitutionem Pontificis, quâ diſertè ſignificat ſe in quinque propoſitionibus damnare *opiniones*, hoc eſt, *ſenſum* Ianſenii, quem fateris eſſe proprium illarum ſenſum: hîc tu mihi conjecturas affers, quibus obtineas noluiſſe damnare ſenſum Ianſenii quem habent, ſed alium quem non habent. Abi vir bone, teque hominum riſui, ſi ſapis, ſubtrahe.

Secundò, Reſpondeo Ianſenianos in ſuis relationibus id omittere ſolitos, quod eſt efficacius ad intelligendam Pontificis mentem. Tertio vel quarto menſe quàm Romam peruenerant, admiſſi ſunt tandem atque auditi à Pontifice, cum ea humanitate ac beneuolentia, quâ ſolet aduenas excipere.

Scripſere id ſtatim in Galliam & curarunt inſeri Gazetis, cœperúntque geſtire lætitia, qui ſectam illam ſequuntur, ſpe præcipiti euentum cauſæ occupante. Atqui in eodem primo congreſſu Pontifex diſertiſſimis verbis ſignificarat, nolle ſe vlla ratione vt Conſtitutio Vrbani deceſſoris ſui reuocaretur in dubium, quod erat, nolle ſe vt quiſquam ambigeret, an ſit verum quod in ea Conſtitutione exprimitur, doctrinam pridem damnatam à Ianſenio defenſam eſſe cum ſcandalo totius Orbis Chriſtiani, cum contemptu Sedis Apoſtolicæ, cum periculo fidei Chriſtianæ. Hæc Ianſeniani pro candore ſuo premenda cenſuere, ſcribenda cætera & gazetis commendanda.

Iam ſimiliter ex variis beneuolentiæ ſignis, quibus probauit Pontifex poſſe bene conuenire, atque in vna Sede morari majeſtatem & humanitatem, conjiciunt illi probatam fuiſſe ipſorum doctrinam: dicere omittunt quomodo fuerint excepti Doctores alii, quorum eſt doctrina contraria, D. Hallier, D. Ioyſel, & D. Lagaut, quibus inter cætera paterni amoris argumenta Pontifex propriam effigiem auro atque argento impreſſam dedit, Beneficia contulit Eccleſiaſtica, quæ ad manum erant, vacatura expectare juſſit, &c. Hinc ſcilicet conſtat, ita erga vtroſque ſe geſſiſſe Pontificem, vt iſtis gratulari voluerit pro re feliciter geſta, & pro nauata fideliter opera fidei Catholicæ gratificari: de illis autem ſperaſſe meliora; ideóque ad reſipiſcentiam & errorum retractationem humanitate ſuâ inuitare voluiſſe.

Laudatam dicunt ipſorum agendi rationem. Dubito an ſit verum: Accepi enim ab hominibus fide dignis, non ſine admiratione cognouiſſe Pontificem quantam illi vim pecuniarum Romæ conſumpſiſſent. Sunt qui aſſerant ſupra quadraginta noſtratium ſcutorum millia fuiſſe ab illis expenſa. Quæ non modica eſt Eccleſiæ Romanæ laus; quippe cujus æquitate atque integritate factum eſt, vt inermis & nuda veritas ſplendentem aureis armis conficeret errorem. Addunt, eloquentiam quoque commendatam, quod ſi eſt verum, neceſſe eſt ipſos eloquentiores eſſe dicendo, quàm ſcribendo. Latinè enim dicebant, & conſtat vel ex ipſo trium columnarum opuſculo, ſi tyrocinium vnquam poſuere Latinè dicendi, certè non abſoluiſſe. Quidquid

id eſt, dicere omittunt, ita laudatam ipſorum eloquentiam, vt fuerit deſideratum iudicium. Nam cùm dicturi eſſent de Quinque Propoſitionibus, cœperunt dicere de Ieſuitis, ducto ab illis verbis exordio, *Semipelagiana Ieſuitarum Societas*, tenuitque duas horas inuectiua, pugnante in omnium auditorum animis cum indignatione patientia. Satyram illam excepit effuſa in commendationem Sancti Auguſtini & gratiæ per ſeipſam efficacis oratio, de quibus nulla erat controuerſia; & poſt longa quatuor circiter horarum faſtidia, compertum eſt nondum cœpiſſe dicere *de tribus capellis*.

Indulgentias conceſſit Pontifex, quia putauit retinere illos fidem purgatorii & communionis Sanctorum. Voluit vt gratiæ tribuerent; quòd in ſua Conſtitutione omiſiſſet de induſtria, extremæ indignationis verba, bene habet. Igitur putauit ad eos pertinere hanc damnationem; ſed, ſpe reſipiſcentiæ & opinione docilitatis ipſorum, iudicauit leniendum eſſe decretum & pillulam condiendam.

In prædicta Epiſtola Romæ ſcripta 16. Iunii.

Expendamus quaſdam alias eorum ratiocinationes ad hoc caput ſpectantes. Cùm propoſuiſſemus, inquiunt, & ſcripto & viua voce proprium & particularem ſenſum Quinque Propoſitionum, profeſſi nos illum defenſuros donec definitiuum de eo iudicium proferretur: ſua Sanctitas pronuntiauit de propoſitionibus ſine vlla expreſſione ſenſus proprii & particularis; Ergo certum eſt argumentum, quod probauerit, vt propoſitiones illas tueremur in ſenſu proprio & particulari, quem dicimus eſſe Catholicum.

Reſpondeo, argumentum non tantùm non eſſe certum, ſed eſſe etiam ridiculum; & concludendum eſſe potiùs oppoſitum. Quia ſi quando exprimendum eſt in quo ſenſu damnetur aliqua propoſitio, id potiſſimum exprimi debet, quando damnatur in alieno, aut valde remoto; quando enim ſimpliciter damnatur, damnari cenſenda eſt in proprio. In quo enim ſenſu damnantur quæ damnantur in Tridentino? In quo ſenſu quæ damnantur in Arauſicano, & in Conciliis Africanis? Fit-ne ibi vlla expreſſio particularis & proprii ſenſus? Et tamen ille potiſſimùm damnatur. Si damnaretur alienus & non proprius, hoc potiùs erat exprimendum, vt monerentur fideles, & tolleretur manifeſtum errandi periculum. At-

que ita, quæ lata eſt in Quinque Propoſitiones ſententia, Iudicium fuit definitiuum, quale Ianſeniani poſtulabant, de proprio ſcilicet atque germano earum ſenſu. Pergunt.

Cùm expoſuiſſemus, inquiunt, ſenſum in quo defendimus Quinque Propoſitiones, ſua Sanctitas non ſolùm non improbauit, ſed quidquid dixeramus excepit *extraordinariis approbationibus*, quod eſt ſignum poſitiuum, vnde intelligatur non eſſe damnatas in eo ſenſu.

Reſpondeo, Si poſitum erat in illa expoſitione ſenſum Ianſenianum quinque propoſitionum eſſe Catholicum, vel earundem ſenſum *proprium*, *germanum*, *legitimum*, eſſe approbandum: aut eſſe doctrinam Sancti Auguſtini, aut eſſe neceſſariò connexum cum fide Catholica de neceſſitate diuinæ gratiæ, aut quid ſimile, nego Pontificem approbaſſe quidquid illa expoſitio continebat. Et ſi quis hoc affirmet, dico imponere illum Summo Pontifici. Romam petat quicumque ſe hâc reſponſione offenſum putabit, vt injuriam vlciſcatur, & ſuam fidem atque innocentiam probet Pontifici; ſi habebit vnde viuat eundo, ſpondeo non fore neceſſarium redituro viaticum. Pergunt.

Sua Sanctitas adeò perſuaſum habuit veras eſſe quinque propoſitiones in ſenſu noſtro, vt non curarit vlteriùs id examinari: neque enim deinceps indictam eſſe vllam Congregationem; fuiſſe autem indicendam ſi qua fuiſſet dubitandi ratio, circa ea quæ fuerant à nobis propoſita.

Reſpondeo eſſe hoc quoque argumentum perquàm ridiculum, & cujus vis tota in ipſos argumentatores retorqueatur. Nimirum Summus Pontifex adeò perſuaſum habuit illos tantâ contentione, támque longâ oratione nihil dixiſſe, quod dubiam redderet jam conceptum definitionem, vt judicauerit eſſe ſuperfluum ſuper ea re vlteriorem inſtituere deliberationem. Et reuera fuit hoc quoque judicium eorum qui dicentibus aderant; aderant autem Cardinales & Conſultores omnes ad hoc negotium deputati, qui palam profeſſi ſunt ſe prorſus nihil audiuiſſe, quod non occurriſſet priùs, quod non expenſum, quod non diſcuſſum ampliſſimè fuiſſet.

Atque hinc ſoluitur alia eorumdem cauillatio, cùm di-

cunt, Conſtitutionem Pontificiam teſtari examinatas fuiſſe à Conſultoribus quinque propoſitiones: non fuiſſe autem examinatas in eo ſenſu, quem ipſi propoſuerunt, poſtquam ab illa propoſitione nulla deinceps eſt habita Congregatio; Ergo neque in eo ſenſu damnatas, quòd non ſit veriſimile, damnatum eſſe quod examinatum non eſt. Soluitur inquam, Quia ſenſus ille ante ipſorum declamationem erat notiſſimus. Nimirum ille erat qui ab Orthodoxis Doctoribus & viuâ & ſcriptâ voce ad examinandum fuit ab initio propoſitus; cujus rei manifeſtam faciunt fidem ſcripta omnia Cardinalibus & Conſultoribus ad informandum oblata. Inter quæ recenſeri poteſt, *Informatio de quinque propoſitionibus*, quæ deinde in lucem prodiit. Senſus igitur quem Ianſeniani Catholicum vocant', tanquam *proprium*, *germanum*, *legitimum* Quinque Propoſitionum ſenſum ſpectauit ab initio Congregatio, & illum damnauit Pontifex tanquam hæreticum. Pergunt.

In vltimo congreſſu, cùm jam eſſemus diſceſſuri, teſtatus eſt Pontifex ſe *illas propoſitiones* approbaſſe, ſuæque menti impreſſiſſe, & quidem verbis *quàm credi aut exprimi poſſit, honorificentioribus atque efficacioribus*. Reſpondeo, Ianſenianos hîc quoque ludere. Quid eſt quod dicunt *illas propoſitiones*? Quò inquam referunt, *illas?* Ad Quinque Propoſitiones damnatas? Nego verum eſſe quod dicunt; ad inania cantica illa de gratia per ſeipſam efficaci, & de auctoritate Sancti Auguſtini? Eſto, non repugnarit Pontifex quominus gratiam per ſeipſam efficacem intra præſcriptos ipſis Thomiſtis limites propugnarent: probauerit etiam vt Sancti Auguſtini doctrinam colerent: quid hoc ad defenſionem Quinque Propoſitionum, quas & Thomiſtæ & Auguſtiniani damnant? Si dixiſſent Româ diſceſſuri, tueri ſe Quinque Propoſitiones, tanquam Catholicas juxta ſenſum *particularem, proprium, legitimum, germanum*, non pertranſiſſent Pontem Miluium, Roma illos adhuc haberet, vel in ciuitate vbi turris nouæ carceres ſunt, vel in ſuburbio, vbi ſunt ergaſtula Romanæ Inquiſitionis.

CAPVT V.

An Quinque Propoſitiones damnatæ ſint tantùm in genere?

HIc eſt alius Ianſenianorum cauillus, quem illi inculcare non ceſſant, *Propoſitiones in vniuerſum damnatas, intacto ſenſu particulari, quo defenduntur à Ianſeniſtis: Relictas eſſe in ſua ambiguitate generali: Ab iis qui eas conceperunt fuiſſe affectatam illam confuſionem; ideóque conceptas æquiuocis vocibus, atque indefinitis. Potuiſſe damnari illa generalitate, fuiſſéque reuera damnatas ab ipſis quoque Ianſenianis: Damnationem cadere in propoſitiones vniuerſim acceptas, non in ſenſus particulares & controuerſos*, &c.

Quæ verba meras vmbras ſignificant; nec aliò ſpectant, quàm vt offuſis imperitorum animo tenebris occultetur ſplendor lucidiſſimæ veritatis. Propoſitiones damnatæ conſtant verbis & ſignificatione; ſi verba ſpectemus, ſunt propoſitiones indiuiduæ ac ſingulares, totidem verbis apud Ianſenium contentæ. Et de prima quidem ipſimet fatentur; de cæteris demonſtratum eſt cap. 1. ac proinde, ſi qua eſt ex hoc capite ambiguitas, Ianſenium accuſent & eorum innocentiam fateantur, qui quod apud illum inuenere, idipſum fideliter obtulere Pontifici, vt diſpiceret, an eſſet cenſurâ dignum.

Supereſt ergo vt generalitas illa & confuſio cadat in ſignificationem. Quomodo autem poteſt eſſe vaga & confuſa ſignificatio propoſitionis, quæ non habet niſi vnum ſenſum, *eúmque proprium ac legitimum?* Ianſeniani duos proferunt in ſuis columnis: alterum hæreticum, alterum vt ipſi putant, Catholicum, & quia nos hoc negamus, controuerſum. Senſum hæreticum vocant *alienum*; Catholicum verò *proprium*. Ex aliena & propria quomodo poteſt colligi vniuerſalis quædam ſignificatio propoſitionis? Vel ſi poteſt; vllane vſpiam eſſe poteſt, cujus non ſit pariter vaga & indefinita ſignificatio, ac proinde quæ non laboret eo vitio, cujus iſtæ jam ac-

cuſantur? Dicite Ianſeniani, veſtram excutite Grammaticam, veſtrum vocabularium percurrite; poſſetis aliquâ propoſitione ita Ianſenii ſenſum exprimere propriè, vt nullus eſſet locus alienæ interpretationi? Ergo quid facere potuerunt quod non fecerint qui Quinque Propoſitiones conceperunt, vt ipſiſſimum Ianſenii ſenſum exprimerent?

Obtruſere, inquiunt, ſenſum alienum. Sed quibus? Conſultoribus, Cardinalibus, Pontifici, ſcilicet illiteratis imperitíſque, qui neſcirent in cenſendis propoſitionibus ſenſum alienum diſtinguere, atque à legitimo ſeparare? Digna hæc quidem eſt cogitatio religione veſtra, modeſtiáque, vt ſatius videatur ſtuporem affingere Principibus Eccleſiæ, atque ipſi Chriſti Vicario, quàm proprium confiteri. Nam quis major eſſe poteſt animi ſtupor, quàm propoſitionem, quæ juxta proprium germanúmque ſenſum Catholica eſt, nullâ diſtinctione, nullâ monitione præmiſſâ, damnare propter alienum?

Sed neque verum eſt quod dicunt, ſenſum hæreticum illum & alienum fuiſſe obtruſum ab Orthodoxis Doctoribus in informationibus ſecretis. Et quia jactant, oblata Conſultoribus eorum ſcripta in ipſorum manus perueniſſe, prouoco vt producant, probéntque impoſturam, de qua queruntur. Conſtabit nimirum non ſolùm non fuiſſe vnquam inſinuatum ſenſum illum Conſultoribus ac judicibus, quin potiùs eos qui negotium vrgebant ſollicitè cauiſſe ne proponeretur, & omnibus modis contendiſſe vt ferretur Iudicium de Ianſeniano, hoc eſt proprio, legitimo & controuerſo?

Atque hinc fit illius peccati, quod Ianſeniani poſſibile putant, cùm dicunt, ſenſum hæreticum non conuenire Quinque Propoſitionibus, *ſed illi malignè affingi poſſe*, non alios eſſe reos quàm Romanos Iudices, atque adeò Pontificem ipſum. Nam cùm hæreticas eſſe, idem ſit ac habere ſenſum hæreticum, conſequens eſt, vt qui hæreticas eſſe abſolutè pronuntiat, abſolutè quoque pronunciet habere ſenſum hæreticum. Atqui hoc eſt, inquiunt, *affingere*. Affingit ergo qui pronuntiat. Nec aliud reſtat in quo gratificentur Pontifici, quódque illi condonent, quàm ſi concedant non feciſſe hoc *malignè*, ſed vel imprudenter, vel inſcitè, vel aliâ quâdam ratione minus culpabili.

Poſſem

Poſſem hîc quoque Philoſophiam Ianſenianorum appellare, cùm dicunt, Quinque Propoſitiones *in genere* fuiſſe damnatas: & dum damnantur, *relictas eſſe in ſua generalitate.* Nam cùm hæc intelligantur de earum ſenſu, conſequens eſt, vt ſenſus *in genere vel in ſua generalitate relictus*, intelligatur eſſe damnatus. Quid autem intelligunt per ſenſum *in genere, vel in ſua generalitate relictum?* Si ſciant quid loquantur, fateri debent eſſe ſenſum præciſum ab alieno & proprio, à Catholico & hæretico; ac proinde ſenſum qui ſub tali præciſione, nec hæreticus eſt nec Catholicus, ſed poteſt ad vtrumlibet determinari. Iam videant quid dicant. Scilicet, Quinque Propoſitiones in ſua generalitâte relictas, hoc eſt quatenus nec hæreticæ, nec Catholicæ ſunt, damnatas eſſe vt hæreticas. Et quis eſt ille qui damnat? Et quâ æquitate damnari poteſt, aut etiam pronuntiari res aliqua vt mala, ſub ea ratione, ſub qua nec bona nec mala eſt? Poteſt eſſe mala, inquiunt, ergo dicatur hoc tantùm eſſe poſſe malam; ſed non dicatur abſolutè malam eſſe. Sancti, quamdiu ſunt in hac vita poſſunt eſſe mali, ergo-ne dici poſſunt abſolutè mali? Deinde, hoc ipſum contradictionem implicat, vt ſenſus ille poſſit eſſe malus, *relictus* vt dicunt *in ſua generalitate*, quia quamdiu relinquitur in ſua generalitate, relinquitur in illa præciſione à bono & malo: nec poteſt eſſe malus niſi relictâ generalitate & admiſsâ contractione ac determinatione ad malum.

Objiciendum hoc fuit Thraſonibus iſtis, qui poſt amiſſam victoriam videri volunt formidabiles, negántque aduerſarios *arcanâ vi tremendæ veritatis impeditos, & micantibus radiis teſtimoniorum Sancti Auguſtini ſtupefactos, prodire auſos in publicum* vt cum ipſis manus conſererent coram Summo Pontifice, cùm jam conſtet eſſe quod diſcant, vel in ipſis elementis dialecticæ. *Ex eadem Epiſtola 16. Iunii ſcripta.*

Atque ex his etiam conſtat Quinque Propoſitiones nec *æquiuocas* rectè dici poſſe, neque *ambiguas*: quippe quæ vnum tantùm habent ſenſum legitimum & proprium, ita vt omnis alius alienus ſit. Nam ſi hoc ſit æquiuocum eſſe, vel ambiguum, impoſſibile eſt quidquam vnquam ab aliquo pronuntiari quod ambiguum & æquiuocum non ſit. Atque ita quod Ieſuitis perperam improperant, ipſimet Ianſeniani Doctores fient, Auctoréſque æquiuocorum.

CAPVT VI.

An ſeruatus ſit ordo legitimus in hoc negotio dum recurritur ad Pontificem, non præmiſſo Epiſcoporum Galliæ Concilio?

POST ſcriptam ab Epiſcopis Galliæ ad Romanum Pontificem Epiſtolam illam, quâ poſtulabant certam ſuper controuerſis propoſitionibus definitionem, Ianſeniani, quia rebantur hujuſce conſilii vel auctorem eſſe vel promototem Illuſtriſſimum Vabrenſem, igneam contra illum Epiſtolam ſcripſere, quâ nulla dignitatis, pietatis & ſingularis eruditionis habitâ ratione, inſignem in Eccleſia Antiſtitem ludibrio habent. Reprehendunt autem inter cætera hoc maximè, quòd cùm id temporis conueniſſent Pariſios ad negotia Cleri Gallicani miſſi variis ex Prouinciis Epiſcopi, non ad illos retulerit hanc cauſam poſt legitimam diſcuſſionem publico ipſorum judicio definiendam. Quod tunc vt fieret Ianſeniani poſtulatant, ideóque prætermiſſum modò queruntur. Et ſunt, qui quamuis Decretum Pontificis admittendum putent, reprehendunt tamen veluti peccatum contra morem antiquum Eccleſiæ, & inſtitutionem primæuam atque inuiolabilem Spiritus Sancti, quod pronuntiatum ſit nullo præmiſſo Epiſcoporum Galliæ Concilio; id quod illi tribuendum putant occultæ operationi Spiritus inimici. Optandum erat, vt quemadmodum Decretum à Spiritu inimico procuratum, admittendum tamen concludunt; ita Ianſenii doctrinam tametſi diuinitus inſpiratam, cenſerent nihilominus eſſe rejiciendam. Diceremus Italicâ phraſi, *manco male*, ſed vt ſatisfiat huic querelæ,

Primum, Si quod eſt in hoc recurſu peccatum, recurrentium peccatum eſt. Is enim ad quem recurrêre, quid peccauit, quando inſtanter interrogantibus reſpondit? Ergo ipſimet Epiſcopi Galliæ ſunt, qui peccarunt, ſi juſta querela

eſt: ipſi qui vel neſciuere morem Eccleſiæ, vel contempſere: ipſi qui violarunt Inſtitutionem inuiolabilem Spiritus Sancti; ipſi qui paſſi ſunt implicari ſe caſſibus inimici Eccleſiæ ac perturbatoris Hierarchici Ordinis: Ipſi qui traditionem antiquam amiſere, magnum equidem malum, magnúmque opprobrium Epiſcopalis Ordinis, ſi verum eſſet. At quot ſunt, qui lapſi dicuntur in hanc foueam? Octoginta & ampliùs numerantur, qui litteris illis ſubſcripſere, quibus poſtulata eſt à Pontifice Quinque Propoſitionum deciſio. Deus immortalis! Octoginta Epiſcopi Galliæ, vel neſciuere, vel neglexere conſuetudinem Eccleſiaſticam! Octoginta violarunt inſpiratum à Deo Eccleſiæ morem! Octoginta decepti ſunt ab inimico Spiritu! Scire velim cùm accuſentur octoginta, quot ſint qui accuſant? Si reſpondeatur, controuerſia ſoluta eſt.

Creuerit adhuc hoc malum poſt acceptam conſtitutionem Apoſtolicam. Quotquot enim erant tunc Pariſiis Epiſcopi Galliæ, erant autem vnus & triginta, conuenere, vt de acceptanda & promulganda deliberarent: & fuit vnanimis omnium conſenſus acceptantium, decretúmque vt omnium nomine agerentur gratiæ Summo Pontifici, & reliqui per Galliam Epiſcopi circularibus litteris inuitarentur ad promulgandam pariter illam Definitionem. Miſſæ ſunt litteræ, ſequuta Bullæ promulgatio per omnes ferè Diœceſes, quæ eſt approbatio quædam Vniuerſorum ferè Galliæ Epiſcoporum. Ac proinde non octoginta modò, ſed quotquot ferè ſunt Epiſcopi Galliæ rei fiunt acceptatæ Conſtitutionis quæ illegitimè & contra Eccleſiaſticum ordinem lata eſt. Iterum quæro cùm tot accuſentur, quot ſunt qui accuſant? ſi reſpondeatur, dirempta lis eſt, & abſoluti rei.

Debuerant autem animaduertere Ianſeniani, accuſare ſe non modò noſtrates Epiſcopos, ſed verò etiam antiquos illos qui heroïcis Eccleſiæ temporibus tum veræ fidei fundamenta, tum veræ ſanctitatis exempla poſuere futuris deinde ſæculis. Reus, inquam, eſt Iulius primus dum ad Antiochenos ſcribens, *conſuetudinem* eſſe dicit vt ad Sedem Romanam de naſcentibus controuerſiis *primum ſcribatur*. Reus Athanaſius ipſe, qui hæc Iulii verba in ſecunda Apologia refert & ap-

probat. Reus Innocentius Primus, qui Exuperium Toloſanum laudat, quòd de rebus dubiis ipſum conſuluerit, *ſequutus* in hoc *vetus inſtitutum*. Reus Exuperius ipſe, reus Victricius, Rothomagenſis Epiſcopus, reus Decentius Epiſcopus Eugubinus, reus Proſper, reus Hilarius, qui cauſas in Prouinciis indiſcuſſas ad Romanum Tribunal detulerunt. Et qui non erunt in tota illa antiquitate rei, ſi Ianſeniani, qui accuſant innocentes ſunt?

Sed quis neceſſitatem illam impoſuit, & vbinam fixit Spiritus Sanctus legem illam inuiolabilem, ne quis ad Romanum Epiſcopum quæſtionem fidei definiendam deferret, quæ non eſſet in Concilio Epiſcoporum vel nationali, vel prouinciali agitata priùs? Factum eſt, inquis, aliquando: ita inquam eſt, & rectiſſimè factum eſt: ſed aliquando etiam non eſt factum, nec tamen ideo minùs rectè. Quippe pro diuerſo rerum occurſu contraria ſæpe conſilia ineunda ſunt, & omnia tamen optima. Vt autem facti vnius exemplum regulam præſcribat generalem potiùs quàm alterius, nulla ratio eſt. Nam quòd non vna & eadem ratio in vrgendo controuerſiarum judicio ſeruata ſemper ſit, quis meritò dubitauerit?

Quando Pius Romanus Epiſcopus, vt refert Baronius, ſanctione ſuâ præuenit errorem Quarta-decimanorum, & Iudaïzantes correxit Eccleſias, quod Concilium præceſſerat? Quando Eleutherus ſcripſit ad Epiſcopos Galliæ contra dogmata Montaniſtarum & Marcioniſtarum; Quando Victor Theodotum Coriarium damnauit; Quando Zephirinus Montanum & Montaniſtas ſimiliter damnauit, quod Concilium præceſſerat? Quando Innocentius I. in Epiſtolis ad Decentium Eugubinum Epiſcopum, ad Victricium Rothomagenſem, ad Exuperium Toloſanum, tam multa ſanciuit de Sacramento Confirmationis, Extremæ Vnctionis, Matrimonii, de votis, de libris canonicis, de cœlibatu Sacerdotum; Quando Celeſtinus à duobus Epiſcopis interrogatus Proſpero & Hilario Decreta fidei miſit ad omnes Epiſcopos Galliæ, contra Semipelagianos; Quando Leo morem aboleuit, qui per Campaniam, Picenum & Samnium irrepſerat, exigendi à peccatoribus publicam peccatorum confeſſionem, docuitque ſecretam ſufficere, quod Concilium

præceſſerat? Quod Concilium præceſſerat, quando Felix ad Epiſcopos in Arauſicana ciuitate congregatos Decreta fidei contra Semipelagianos acceptanda & promulganda miſit? Et quid auctoritatis haberet Arauſicanum Concilium præ Cariſiaco, quod Ianſeniani ludibrio habent, ſi non eam peteret ex illa prædefinitione Sedis Apoſtolicæ, quæ cauſa fuit, cur de ejus decretis nihilo magis deinde ſit dubitatum, quamuis eſſent Decreta quindecim tantùm Epiſcoporum, quàm de Decretis Concilii Oecumenici? Quod Concilium præceſſerat, quando Leo X. Lutheri Propoſitiones damnauit quamplurimas? Quod etiam, quando Pius V. & Gregorius XIII. quamplurimas item Baii damnarunt, obediente totâ Eccleſiâ Catholicâ huic damnationi vſque ad tempora Ianſenii?

Primis, mediis & infimis Eccleſiæ temporibus vſurpatum reperimus morem illum, & recurrendi ad Romanum Pontificem, & ab eo reſponſa petendi in cauſis fidei, nullo præmiſſo earum Prouinciarum, quæ hoc petebant Concilio, nec quiſquam Catholicorum reſtitit vnquam, aut quidquam oppoſuit, quo putaretur illegitimus aut inordinatus agendi modus; & violatam dicemus inuiolabilem Eccleſiaſticæ Traditionis conſuetudinem in eo quod nuper poſt tot exempla geſtum eſt?

Afferunt Innocentii I. Decretum tertium in Epiſtola ad Victricium Rothomagenſem Epiſcopum, cùm dicit: *Si autem majores cauſæ in medium fuerint deuolutæ, ad Sedem Apoſtolicam, ſicut Synodus ſtatuit, poſt Epiſcopale judicium referatur*: Sed conſtat non ideo hæc dici, quòd ſit neceſſarium vt Epiſcopale judicium præcedat Sedis Apoſtolicæ definitionem; ſed quia neceſſarium eſt vt Sedis Apoſtolicæ definitio ſuperueniat Epiſcopali judicio, ſi quod ſit in hujuſmodi cauſis, ad complementum firmitatis atque auctoritatis. Quod eſt non egere Sedis Apoſtolicæ definitionem Epiſcopali judicio præuio, ſed egere Epiſcopale judicium Sedis Apoſtolicæ definitione ſubſequente. Et hoc euidenter colligitur ex ipſo Decreto Innocentii, cùm dicit ante ſuperiùs poſita verba illa, *Nec alicui liceat*, SINE PRÆIVDICIO TAMEN ROMANÆ ECCLESIÆ CVI IN OMNIBVS CAVSIS DEBET REVE-

RENTIA CVSTODIRI, *relictis ſuis Sacerdotibus, qui in eadem prouincia Dei Eccleſiam nutu diuino gubernant, ad alias conuolare prouincias, &c.* Hoc enim quid aliud ſignificat, quàm etſi non liceat relictis ſuis Sacerdotibus ad alias conuolare Prouincias, vt contentiones inter clericos *tam ſuperioris, quàm inferioris ordinis* motæ dirimantur; licere tamen adire Romanam Eccleſiam? Et hoc apertiſſimè confirmatur ex ejuſdem Innocentii Epiſtola 91. inter Auguſtinianas, cùm dicit: *Non humanâ ſed diuinâ ſententiâ decretum à Patribus, vt quidquid de diſiunctis remotiſque Prouinciis ageretur, non* PRIVS DVCERENT FINIENDVM NISI AD HVIVS SEDIS NOTITIAM PERVENIRET, VBI TOTA HVIVS AVCTORITATE IVSTA QVÆ FVERIT PRONVNTIATIO FIRMARETVR, *indéque ſumerent ceteræ Eccleſiæ velut de natali ſuo fonte, &c.* Adde quod eſt in Concilio Romano IV. ſub Symmacho, vbi dicitur *Romanum Epiſcopum conſueuiſſe per totum orbem* TRIBVERE FIRMITATEM STATVTIS SYNODALIBVS.

Nec quiſquam meritò repugnare poteſt, niſi velimus Eccleſiam Chriſti relictam eſſe in multis caſibus, ſine remedio contra gliſcentes hæreſes. Nam quid fiet, ſi quod aliquando contingit, Principes nolint in ſuis Ditionibus haberi Concilia? Quid fiet, ſi nolint ipſimet Epiſcopi conuenire, quod etiam contingens eſt? Quid ſi cùm conuenerint, majori parti nec tamen ſaniori videatur nihil decernendum, ſed permittendum diſputationibus hominum id de quo juſta ſuſpicio eſt? Et qui putant octoginta & ampliùs erraiuiſſe, dum fidei cauſam indiſcuſſam ad Pontificem referunt, non poſſunt timere ne faciliùs errent nouem decémve, qui fortè ad Concilium prouinciale vocabuntur, dum majori eorum parti doctrina, quæ reuera periculoſa eſt, tuta videtur, ac proinde nec Pontifici proponenda? Quàm numeroſa fuere olim Arianorum Epiſcoporum Concilia? Quàm fuerunt etiam denſa referráque Donatiſtarum? Legimus apud Auguſtinum non niſi per centurias numeratos. Ergo quid fieret ſicubi contingeret Ianſeniſmum ita propagari, vt Concilium cogi non poſſet, quod non conſtaret majori ex parte Ianſeniſtis? Demus, verbi gratia, eſſe ſaltem poſſibile quòd Ianſeniani per inſignem calumniam in Clerum Gallicanum, contigiſſe mentiuntur in Se-

cunda pro Ianſenio Apologia, *Epiſcoporum Galliæ majorem melioremque partem* adhærere Ianſenio. Pudendum equidem mendacium & Illuſtriſſimis Præſulibus injurioſiſſimum. Sed demus fieri ſaltem poſſe quod factum illi calumniantur. Vt ea controuerſia rite ſoluatur ab Epiſcopo Romano, neceſſarium erit cauſam priùs agitari à congregatis in Concilio aliquo Epiſcopis Galliæ, vti jam volunt. Ergo quid putamus concludendum in eo Concilio cujus pars major minori, nequicquam repugnante Ianſenio, fauebit? Et cùm in gratiam Ianſenii fuerit ab illis pronuntiatum, Chriſti Vicarius quid faciet? Debebit confirmare quod ab illis fuerit definitum? An etiam confirmare debuit quod definitum olim fuit à tali quodam Concilio Donatiſtarum, Arrianorum, Nouatianorum & ſimilium? Hoc eſt, an debebit errare? Ergo contradicere poterit? Dicant modò Ianſeniani, qui poteſt fidei cauſam definire contradicentibus Epiſcopis, definire non poterit iiſdem ſilentibus: neque hoc ſolùm, ſed inſuper definitionem poſtulantibus? Quid grauius eſt, quid-ve operoſius petentibus ſuggerere quod credant, an ingerere repugnantibus? Quid inquam difficilius, ſtatuere aliquid nullo exiſtente, qui reſiſtat, an reſiſtentibus & in contrarium nitentibus iis quorum intereſt? Et ſi hoc poteſt Romanus Epiſcopus, illud non poterit?

Scio prudentiæ legibus caueri, ne de controuerſis fidei quæſtionibus Pontifex pronunciet, niſi præmiſſa ſeria, maturáque conſultatione: & ſcio quoque non paſſurum Spiritum Sanctum, qui caput Eccleſiæ regit, vt huic officio deſit vnquam; ſed quàm certum eſt conſultationem illam interdum habitam in Prouinciis, in quibus controuerſiæ naſcebantur, conuenientibus earum Epiſcopis; tam certum eſt ſæpe quoque habitam Romæ tantùm conuenientibus tum Epiſcopis aliquot, tum aliis etiam Doctoribus, quod cùm in hac quoque cauſa cumulatiſſimè ſeruatum ſit, Ianſeniani immeritò queruntur.

Sed video quid ſperauerint, ſi fuiſſent hæ controuerſiæ in Concilio quodam particulari agitatæ. Experti jam erant, quid eorum artes, quid patrocinia, quid audacia, quid vires poſſent, in illo Sorbonicorum Doctorum congreſſu, quo

ferenda erat ante aliquot annos de Quinque Propoſitionibus ſententia. Nam cùm certiſſima eſſet condemnatio mox futura, ita turbauêre conuentum tumultu ſuo, ita vociferati ſunt, ita rixati, motis de induſtria cauſarum aliarum controuerſiis, vt de illa propter quam conuenerant, nihil vnquam proponi, nihil deliberari, nihil definiri potuerit.

Non deerat illis ratio, quâ ſimile aliquid obtinerent, ſi fuiſſet hæc cauſa in Concilio paucorum Epiſcoporum tractata. Et hoc illis dolet, quòd Romæ de hac controuerſia inſtitutum ſit ejuſmodi Iudicium, quod nec factione, nec interceſſione, nec pecuniâ, nec patrociniis, nec amicitiis corrumpi turbarive poſſet.

CAPVT VII.

Tertia columna Ianſenianorum examinatur.

TERTIAM columnam Ianſeniani erigunt ex Doctrina, quam dicunt eſſe Molinæ & Aduerſariorum, & quæ opponitur tum primæ, in qua ſenſus hæreticus exprimitur, tum ſecundæ, in qua exprimitur ſenſus controuerſus, quem iidem Catholicum eſſe arbitrantur. Concludunt autem Pelagianam, vel Semipelagianam eſſe doctrinam hujus columnæ, vtpote damnatam in Congregatione Romana de Auxiliis, ſub Clemente VIII. & Paulo V.

Antequam hæc refutem, dicam quid mihi contigerit. Incidi in ſcriptum quoddam alicujus Legiſperiti, cujus antea memini, datum 4. Iulii, qui cùm ſupponat tres illas columnas, tres ſenſus continere damnatarum propoſitionum, argumentatur & dicit, Pontificem non damnare propoſitiones in primo ſenſu hæretico, quòd hoc videatur eſſe ſuperfluum: néc in ſecundo, quòd ille ſit, vt ipſe putat, Catholicus; concludit eſſe igitur damnatas in tertio, qui ſenſus eſt Molinæ ac *Patrum Ieſuitarum*: & hâc ratione ſibi perſuadet, atque aliis perſuadere conatur, ſolos *Patres Ieſuitas* in Conſtitutione

tutiône Innocentii fuiſſe damnatos. Nunquam vidi argumentum magis ridiculum. Nam tertius ille ſenſus non eſt ſenſus propoſitionis, nec vt talis affixus eſt illi columnæ; ſed eſt ſenſus propoſitioni contrarius. Confer hæc duo pronunciata.

Prima Propoſitio damnata.	*PROPOSITIO PRIMA contraria.*
Aliqua Dei præcepta hominibus juſtis volentibus & conantibus ſecundùm præſentes quas habent vires, ſunt impoſſibilia, deeſt quoque iis gratia, quâ poſſibilia fiant.	Omnia Dei præcepta Iuſtis volentibus & conantibus ſecundùm præſentes quas habent vires, ſunt ſemper poſsibilia per gratiam eorum libero arbitrio ſubjectam: Nec vnquam ipſis deeſt gratia ad operandum, vel ſaltem ad orandum proximè neceſſaria, quâ poſsibilia fiant.

Vide Lector quid monſtri ſit, putare ſecundam Propoſitionem in prima eſſe damnatam, vel quod idem eſt, primam eſſe damnatam ad ſenſum ſecundæ: & miſerere hujus Legiſperiti, ſi fortè regulas juris nihilo meliùs callet, quàm regulas Dialecticæ.

Iam quod dicit columnarum Architectus, in illa tertia columna ſculptam eſſe doctrinam Societatis: Primùm, imponit, quòd dicamus poſſibilia eſſe præcepta per gratiam, *libero arbitrio ſubjectam.* Neque enim ſolemus ita loqui. Quòd ſi per illa verba, nihil aliud intelligi vult, quàm talem eſſe gratiam, quæ præcepta facit eſſe poſſibilia, vt ei reſiſtere vel obtemperare liberi arbitrii ſit, hoc igitur vtatur loquendi modo. Et ſi pergat doctrinam ita expoſitam vocare Pelagianam & Semipelagianam, intelligat ſe idipſum facere, quod prior fecerat Caluinus, hoc eſt Thomiſtas, Scotiſtas, Ieſuitas, Nominales, Reales, Sorbonicos, Louanienſes, Salmanticenſes, & omnis generis Scholaſticos vocare Pelagianos & Semipe-

Nnnn

lagianos. Intelligat quoque, dum addit doctrinam illam fuiſſe *damnatam in Congregatione de Auxiliis, ſub Clemente VIII. & Paulo V.* ſe immane mendacium addere; tum quia ſequeretur damnatos fuiſſe Ieſuitas, Thomiſtas, & cæteros Scholaſticos; tum quia jam ſæpe demonſtratum eſt, nullam doctrinam ab illa Congregatione fuiſſe damnatam. Hæc peccata ſunt adhuc manifeſtiora in Secunda Propoſitione, quæ ſic habet.

Secunda propoſitio damnata.

Interiori gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ numquam reſiſtitur.

PROPOSITIO SECVNDÆ contraria.

Gratiæ Chriſti ad ſingulos pietatis actus, ſeu operandi, ſeu ſaltem orandi neceſſariæ in ſtatu naturæ lapſæ aliquando reſiſtitur: hoc eſt illa aliquando fruſtratur effectu, ad quem à Deo proximè datur.

Secundam illam, damnatæ contrariam paratus eſt Columnarum faber *demonſtrare eſſe Pelagianam vel Semipelagianam*: quòd deſtruat vim & efficaciam gratiæ Chriſti ad ſingulos actus neceſſariæ: itáque declaratum dicit in Congregatione Romana de Auxiliis. Nugæ. Hæc propoſitio non deſtruit vim & efficaciam gratiæ, ſed adſtruit diſtinctionem gratiæ efficacis & ſufficientis, cui quotidie reſiſtitur, & neceſſarium eſt Pelagianos vel Semipelagianos atque in Congregatione de Auxiliis damnatos eſſe Thomiſtas, qui gratiam illam ſufficientem agnoſcunt, cum cæteris Catholicis. Audi Tertiam.

Tertia propoſitio damnata.

Ad merendum & demerendum in ſtatu naturæ lapſæ, non requiritur libertas à neceſſitate, ſed

PROPOSITIO TERTIÆ contraria.

Ad merendum & demerendum in ſtatu naturæ lapſæ: requiritur in homine libertas à NECESSITATE INFALLIBILITATIS: ſeu neceſſaria eſt indifferentia PROXIMA agendi & non agendi, quâ voluntas inſtructa omnibus ad agendum prærequiſitis, pro ſuo nutu, modò ſe flectit in vnam partem, modò in oppoſitam.

ſufficit libertas à coactione.

Hìc quoque demonſtraturum ſe ſpondet ſecundam Propoſitionem damnatæ contrariam, eſſe Pelagianam vel Semipelagianam: & id declaratum in Congregatione de Auxiliis, quòd deſtruat neceſſitatem gratiæ efficacis. Sed non eſt expectandum vt aliud demonſtret, quàm imperitiam & errorem ſuum atque etiam vafritiem. Nam dum dicit requiri libertatem à *neceſſitate infallibilitatis*, laqueum tendit, ſed ante oculos pennatorum. Non enim negamus aliquam neceſſitatem infallibilitatis, verbi gratiâ, illam quæ petitur ex præſcientia futurorum euentuum, & ex prædefinitione affectuum præſcitorum, negamus tantùm illam quæ ſequitur ex *ineuitabilitate, immutabilitate, vel quocumque vocetur nomine*, dummodo ſupponat plenam cognitionem. Breuiùs dico, requirimus libertatem ab omni neceſſitate, quæ talis ſit & tanta, vt PROXIMAM diſſentiendi potentiam conſumat. Hoc ſi Pelagianum eſt vel Semipelagianum, damnatúmque in Congregatione Romana de Auxiliis, damnauit Congregatio Romana de Auxiliis Thomiſtas omnes cum cæteris Scholaſticis, tanquam Pelagianos vel Semipelagianos.

Et ſummopere notandum eſt quòd *proximam agendi & non agendi potentiam* pertinere dicat ad indifferentiam Pelagianam vel Semipelagianam. Hoc enim ipſo manifeſtè ſignificat, quam ipſe agnoſcit in ſtatu naturæ lapſæ non eſſe *proximam* ad vtrumlibet, ſed ſi ſit ad agendum proxima, eſſe ad non agendum remotam: & ſi ſit ad non agendum proxima, eſſe remotam tantùm ad agendum. Qui modus indifferentiæ totus quidem Ianſenianus eſt, ſed totus etiam Caluinianus, idémque à Thomiſtis, in defendenda prædeterminatione phyſica ſemper rejectus. Hoc enim vult Didacus Aluares, cùm diſtinctionem *ſenſus compoſiti & ſenſus diuiſi*, ad eum modum expoſitam, confictam eſſe dicit à Caluino 2. Reſponſ. cap. 1. num. 34. & cap. 4. num. 9. eáque ratione *abſque dubio euerti liberum arbitrium aſſerit*. Sequitur Quarta.

Quarta propoſitio damnata.

Semipelagiani admittebant præuenientis gratiæ interioris neceſſitatem ad ſingulos actus, etiam ad initium fidei: Et in hoc erant hæretici, quòd vellent eam gratiam talem eſſe, cui poſſet humana voluntas reſiſtere vel obtemperare.

PROPOSITIO QVARTÆ contraria.

Semipelagiani non admittebant præuenientis gratiæ interioris neceſſitatem ad ſingulos actus imperfectos, nec ad initium fidei: nec in hoc erant hæretici, quòd vellent eam gratiam talem eſse vt ex ſe efficax non eſſet.

Suſtinet columnarum opifex, & demonſtrare paratus eſt, Pelagianam vel Semipelagianam eſſe ſecundam propoſitionem quartæ damnatæ contrariam, quòd gratiæ efficacis Catholicam fidem deſtruat: & ſimul omnem Sancti Auguſtini authoritatem. Itáque declaratum dicit in Congregatione Romana de Auxiliis: ſed pergit ſpargere fumum & in latibulis ambiguorum verborum abſcondere veritatem, quâ conuincitur. Nam quod ait, non ideo creditos hæreticos, Semipelagianos, quòd vellent talem eſſe gratiam, quam admittebant, vt ex ſe efficax non eſſet: nec affirmamus nec negamus. Dicimus tantùm non ideo fuiſſe hæreticos, quòd gratiam ita ponerent efficacem, vt relinqueret in libero arbitrio proximam & expeditam diſſentiendi potentiam; contrà quàm putent Ianſeniani. Et hoc ſi Pelagianum aut Semipelagianum eſt, ſi Auguſtino contrarium, ſi declaratum in Congregatione Romana de Auxiliis, Pelagiani vel Semipelagiani ſunt cum cæteris Scholaſticis Thomiſtæ omnes, iidémque

damnati in Congregatione Romana de Auxiliis tanquam deſtructores auctoritatis Sancti Auguſtini. Sequitur quinta.

Quinta propoſitio damnata.	*PROPOSITIO QVINTÆ contraria.*
Semipelagianum eſt dicere Chriſtum pro omnibus omnino hominibus mortuum eſſe, vel ſanguinem fudiſſe.	Non eſt Semipelagianum, ſed Catholicum dicere Chriſtum morte ſua, omnibus omnino hominibus, ſeu nemine excepto, communicaſſe gratiam proximè neceſſariam ad operandum aut ſaltem ad incipiendum & orandum.

Suſtinere ac demonſtrare paratus eſt hic miles glorioſus ſecundam propoſitionem quintæ damnatæ contrariam, *quæ eſt Molinæ & aduerſariorum*, continere doctrinam Concilio Tridentino repugnantem, eámque Pelagianam aut Semipelagianam, quòd deſtruat gratiæ ex ſe efficacis neceſſitatem. Et *ita eſſe declaratum in Congregatione Romana de Auxiliis.*

Sed pergit in impoſtura atque mendacio. Nec Molina, nec vllus Sociorum vnquam dixit communicatam infantibus reprobis gratiam proximè neceſſariam ad operandum, vel ſaltem ad incipiendum & orandum. Dicunt tantùm communicatam multis adultis, qui eâ non vtuntur: Dicunt aliis communicandam fuiſſe, ſi non obſtaret ex parte ipſorum voluntarium impedimentum. Denique dicunt abominabilem eſſe cogitationem, quam Ianſenius imponit Sancto Auguſtino, Chriſtum de æterna ſalute eorum, qui vocantur ad fidem, atque etiam ad iuſtificationem, quique in eo ſtatu viuunt aliquo tempore, ſed tandem tentationi ſuccumbunt & damnantur, nihilomagis cogitaſſe *quàm de ſalute diaboli.* Hoc dicere ſi Pelagianum aut Semipelagianum eſt, ſi damnatum à Congregatione Romana, ſi Tridentino repugnat, damnati ſunt Thomiſtæ, cum cæteris Scholaſticis tanquam Pelagiani, vel Semipelagiani, Tridentino repugnantes. Videndus eſt *Ianſenius à Thomiſtis gratiæ per ſeipſam efficacis defenſoribus condem-*

natus. Inde enim liquet Thraſonem hunc, qui nihil niſi demonſtrationes loquitur, dum jaculari vult in Ieſuitas, contra Thomiſtas collimaſſe. Conuenientius erat vt ſpeciem indueret Tubicinis vel Tympaniſtæ, quàm fabricatoris, ſeu dolatoris columnarum.

CAPVT VIII.

Quæ ſit vera columnarum diſpoſitio ad repræſentandam Ianſenianorum doctrinam, & cenſuræ Pontificiæ vim intelligendam.

EX dictis conſtat columnas Ianſenianorum eſſe columnas mendacii, ad fallendos imprudentium hominum oculos diſpoſitas. Si Lector volet ſinceram & candidam eorum expreſſionem habere, quæ Ianſeniani diſſimulare conantur & inuoluere, poterit ſubjectas intueri paginas.

PRIMA PROPOSITIO damnata.

Aliqua Dei præcepta hominibus juſtis volentibus & conantibus ſecundùm præſentes quas habent vires, ſunt impoſſibilia: deeſt quoque iis gratia, quâ poſſibilia fiant.

Senſus alienus.	*Senſus germanus & proprius.*	*CONTRARIA Propoſitio.*
Homines juſti etiam cùm per Dei gratiam bene operantur, pec-	Homines juſti quotieſcumque diuina præcepta tranſgrediuntur, ea tranſ-	Homines juſti nunquam labuntur, quin ſtare poſſint, ſi velint: & quin hoc velle poſ-

ſcant tamen in omni opere bono, & hoc modo impoſſibile illis eſt ſeruare præcepta.

Hic ſenſus eſt Caluini, quem nemo Catholicorum, vel Ianſenio vel Ianſenianis, vel damnatæ propoſitioni affingit: ideóque ineptè & extra rem adducitur ab authore columnarum.

grediuntur ex impoſſibilitate ſeruandi, quæ ſequitur ex defectu gratiæ, ad conſtituendam ſeruandi potentiam neceſſariæ: eſto non deſit ſeruandi voluntas & conatus.

Hic ſenſus eſt germanus Ianſenii & Ianſenianorum ſenſus, idémque hæreticus.

ſint, quia numquam ſubtrahitur gratia, quæ neceſſaria eſt ad habendam potentiam vel immediatè ſeruandi præceptum, vel orandi ſicut oportet ad impetrandum quod deeſt.

Hæc eſt Catholica doctrina Thomiſtarum, Ieſuitarum & cæterorum Theologorum, fidéſque omnium Catholicorum.

SECVNDA PROPOSITIO.

Interiori gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ numquam reſiſtitur.

Senſus alienus.

Voluntas ſe habet merè paſſiuè reſpectu gratiæ efficacis, & velut inanime quoddam nihil omnino agit.

Vel,

Numquam reſiſtitur illuminationi cuidam intellectus, & ſuaſioni voluntatis, quæ non eſt gratia per Chriſtum.

Vel,

Paruæ gratiæ, & paruo effectui adæquatæ, numquam ſuſpenditur vlterior

Senſus germanus & proprius.

Interior & actualis gratia per Chriſtum ſemper habet totum effectum cujus èſt capax, & quem Deus intendit vt habeat.

Hic eſt Ianſenii, & Ianſenianorum ſenſus, idémque hæreticus.

CONTRARIA Propoſitio.

Vitio voluntatis humanæ ſæpe fit vt actualis & interior Chriſti gratia, quæ conſtituit proximam & expeditam bene agendi potentiam, vel omnino priuetur effectu, cujus eſt capax, vel non tantum habeat, quantum habere capax eſt.

Hæc eſt Doctrina Thomiſtarum, Ieſuitarum, & cæterorum Eccleſiæ Catholicæ Doctorum.

&c. major effectus.

Primus ſenſus eſt hæreticus, alii inepti, omnes autem ejuſmodi vt nemo vnquam putauerit damnatæ propoſitioni affingendos.

TERTIA PROPOSITIO.

Ad merendum & demerendum in ſtatu Naturæ lapſæ non requiritur in homine libertas à neceſſitate, ſed ſufficit libertas à coactione.

Senſus alienus.

Ad merendum & demerendum in ſtatu naturæ lapſæ non requiritur in homine libertas à neceſſitate naturali, qualis reperitur in motibus indeliberatis, qualis etiam reperitur in motibus puerorum, amentium, phreneticorum, &c. Sed ſufficit libertas à coactione.

Hic ſenſus hæreticus quidem eſt, ſed qui non reſpondet adaquatè damnatæ propoſitioni, nec ei ab vllo affingitur.

Senſus germanus & proprius.

Ad merendum & demerendum in ſtatu naturæ lapſæ non requiritur in homine libertas ab vlla neceſſitate, quæ ſtet cum judicio rationis, ſed ſufficit libertas à coactione, quâ fit vt voluntas vel ſit potens tantùm in vnam partem contradictionis; vel proximè in vnam, remotè tantùm in alteram.

Hic ſenſus Ianſenianus eſt, idémque hæreticus, & olim & nuper ab Eccleſia damnatus.

CONTRARIA Propoſitio.

Ad merendum & demerendum in ſtatu naturæ lapſæ requiritur in homine libertas ab omni neceſſitate, quæ tollat proximam & expeditam agendi & non agendi facultatem, ſeu quæ ita determinet voluntatem ad vnum oppoſitorum, vt non relinquatur phyſica vis expedita & proxima ad aliud.

Hæc eſt Doctrina Catholica, in qua Thomiſtæ cum Ieſuitis & omnes inter ſe Catholici Doctores conueniunt.

QVARTA PROPOSITIO.

Semipelagiani admittebant præuenientis gratiæ interioris neceſſitatem ad ſingulos actus, etiam ad initium fidei: & in hoc erant hæretici, quòd vellent eam gratiam talem eſſe cui poſſet humana voluntas reſiſtere vel obtemperare.

Senſus alienus.

Gratia Chriſti interior & præueniens talis eſt, vt liberum arbitrium ab ea motum & excitatum non poſſit ab ea diſſentire, etiam ſi hoc poſſit velle: & ſunt Semipelagiani, qui repugnant.

Hic ſenſus eſt ridiculus, & contradictionem innoluit, & tamen niſi ita concipiatur, germaniſſimus eſt cum Ianſeniano, quem exprimit ſecunda columna.

Senſus germanus & proprius.

Gratia Chriſti interior & præueniens talis eſt, vt liberum arbitrium ab ea motum & excitatum non poſſit velle diſſentire. Et ſunt Semipelagiani qui talem eſſe negant, etiamſi ejus neceſſitatem admittant.

Hic ſenſus Ianſenianus eſt, idémque hæreticus, & olim à Concilio Tridentino, & nuper ab Innocentio X. damnatus.

CONTRARIA *Propoſitio.*

Gratia Chriſti interior & præueniens talis eſt, vt liberum arbitrium ab ea motum, & excitatum poſſit velle diſſentire potentiâ proximâ & expeditâ. Nec in eo fuerunt hæretici Semipelagiani, quòd ita ſentirent.

Hæc eſt doctrina Catholica à Thomiſtis & Ieſuitis cæteriſque Doctoribus Catholicis vnanimi conſenſu recepta: & in Concilio Tridentino & Conſtitutione Innocentii X. ſancita.

QVINTA PROPOSITIO.

Semipelagianum eſt dicere Chriſtum pro omnibus omnino hominibus mortuum eſſe, aut ſanguinem fudiſſe.

Senſus alienus.

Chriſtus ita pro ſolis prædeſtinatis

Senſus germanus & proprius.

Chriſtus ita pro ſolis prædeſtinatis mor-

CONTRARIA *Propoſitio.*

Non eſt Semipelagianum dicere Chriſtum

mortuus, eſt vt illi ſoli veram fidem & juſtitiam recipiant, & contrarium eſt Şemipelagianum.

Hic ſenſus eſt hæreticus, quem tamen nemo affingit damnatæ propoſitioni.

tuus eſt, vt de æterna ſalute vllius reprobi nihilo magis cogitauerit, quàm de ſalute diaboli; & contrarium eſt Semipelagianum.

Hic ſenſus eſt Ianſenianus, idémque hæreticus, & olim à Concilio Tridentino, & nuper ab Innocentio X. damnatus.

ita mortuum eſſe pro omnibus, vt omnibus prouiderit de mediis ſufficientibus ad ſalutem, pro ratione ſtatus ipſorum. Dicere autem non eſſe mortuum pro æterna ſalute vllius reprobi, hæreticum eſt.

Hæc eſt Doctrina Catholica à Thomiſtis & Ieſuitis ceteriſque Theologis vnanimi conſenſu recepta.

Hæc legitima eſt ac germaniſſima *alieni*, *proprii*, *&* *oppoſiti* ſenſus Quinque Propoſitionum expreſſio, quam Ianſeniani perturbare conantur atque confundere, ne ipſorum error teneatur, ne ſpecies veritatis appareat, ne nullus ſit contumaciæ prætextus, nulla rationis vmbra contra Sedis Apoſtolicæ definitionem, nulla excuſatio ſuperbi contemptus Eccleſiaſticarum Sanctionum, nulla ratio declinandi publici, quo redarguuntur, Catholicorum omnium judicii.

Habes, optime Lector, vnde ipſorum artes atque aſtum detegere queas, fraudes cauere, bonam illis mentem optare, amorémque veritatis ſincerum ac docilem apprecari.

CONSTITVTIO ALEXANDRI VII. PP.

qua damnantur Quinque Propoſitiones, excerptæ ex libro Cornelii Ianſenii.

ALEXANDER EPISCOPVS SERVVS SERVORVM DEI,

Vniuerſis Chriſti fidelibus ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

AD ſacram B. Petri Sedem, & vniuerſalis Eccleſiæ regimen inſcrutabili diuinæ Prouidentiæ diſpoſitione, nullis noſtris ſuffragantibus meritis euecti, nihil nobis antiquius ex muneris noſtri debito eſſe duximus, quàm vt ſanctæ fidei noſtræ, ac ſacrorum dogmatum integritati, tradita nobis à Deo poteſtate opportunè conſuleremus. Ac licet ea, quæ Apoſtolicis Conſtitutionibus abundè fuerunt definita, nouæ deciſionis, ſeu declarationis acceſſione nequaquam indigeant; quia tamen aliqui publicæ tranquillitatis perturbatores illa in dubium reuocare, vel ſubdolis interpretationibus labefactare non verentur, ne morbus iſte latiùs diuagetur, promptum Apoſtolicæ auctoritatis remedium cenſuimus non eſſe differendum. Emanauit ſiquidem aliàs à fel. recordationis Innocentio PP. X. Prædeceſſore noſtro Conſtitutio, declaratio, & definitio tenoris, qui ſequitur, videlicet: INNOCENTIVS Epiſco-

pus ſeruus ſeruorum Dei, Vniuerſis Chriſti fidelibus ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Cùm occaſione impreſſionis libri, cui titulus, *Auguſtinus Cornelii Ianſenii Epiſcopi Iprenſis*, inter alias ejus opiniones orta fuerit, præſertim in Galliis, controuerſia ſuper quinque ex illis, complures Galliarum Epiſcopi apud nos inſtiterunt, vt eaſdem Propoſitiones nobis oblatas expenderemus, ac de vnaquaque earum certam & perſpicuam ferremus ſententiam. Tenor verò prædictarum Propoſitionum eſt prout ſequitur:

PRIMA: *Aliqua Dei præcepta hominibus juſtis volentibus, & conantibus ſecundùm præſentes, quas habent vires, ſunt impoßibilia: deeſt quoque illis gratia, quâ poßibilia fiant.*

SECVNDA: *Interiori gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ nunquam reſiſtitur.*

TERTIA: *Ad merendum, & demerendum in ſtatu naturæ lapſæ non requiritur in homine libertas à neceßitate, ſed ſufficit libertas à coactione.*

QVARTA: *Semipelagiani admittebant præuenientis gratiæ interioris neceßitatem ad ſingulos actus, etiam ad initium fidei; & in hoc erant hæretici, quòd vellent eam gratiam talem eſſe, cui poſſet humana voluntas reſiſtere vel obtemperare.*

QVINTA: *Semipelagianum eſt dicere, Chriſtum pro omnibus omnino hominibus mortuum eſſe, aut ſanguinem fudiſſe.*

Nos, quibus multiplices inter curas, quæ animum noſtrum aſſiduè pulſant, illa in primis cordi eſt, vt Eccleſia Dei nobis ex alto commiſſa, purgatis prauarum opinionum erroribus, tutò militare, & tanquam nauís in tranquillo mari, ſedatis omnium tempeſta-

tum fluctibus ac procellis ſecurè nauigare, & ad optatum ſalutis portum peruenire poſſit. Pro rei grauitate coram aliquibus S. R. E. Cardinalibus, ad id ſpecialiter ſæpiùs congregatis, à pluribus in ſacra Theologia Magiſtris eaſdem quinque Propoſitiones vt ſuprà nobis oblatas fecimus ſigillatim diligenter examinare, eorúmque ſuffragia tum voce tum ſcripto relata maturè conſiderauimus; eoſdémque Magiſtros variis coram nobis actis congregationibus prolixè ſuper eiſdem, ac ſuper earum qualibet differentes audiuimus. Cùm autem ab initio hujuſcemodi diſcuſſionis ad diuinum implorandum auxilium multorum Chriſti fidelium preces, tum priuatim, tum publicè indixiſſemus, poſtmodum reiteratis eiſdem feruentiùs, ac per nos ſollicitè implorata ſancti Spiritus aſſiſtentiâ, tandem diuino Numine fauente ad infraſcriptam deuenimus declarationem, & definitionem. Primam prædictarum Propoſitionum: *Aliqua Dei præcepta hominibus juſtis volentibus, & conantibus ſecundùm præſentes, quas habent vires, ſunt impoſſibilia: deeſt quoque illis gratia, quâ poſſibilia fiant*, Temerariam, impiam, blaſphemam, anathemate damnatam, & hæreticam declaramus, & vti talem damnamus. Secundam: *Interiori gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ nunquam reſiſtitur*, Hæreticam declaramus, & vti talem damnamus. Tertiam: *Ad merendum, vel demerendum in ſtatu naturæ lapſæ non requiritur in homine libertas à neceſſitate, ſed ſufficit libertas à coactione*, Hæreticam declaramus, & vti talem damnamus. Quartam: *Semipelagiani admittebant præuenientis* gratiæ interioris neceſſitatem *ad ſingulos actus, etiam ad initium fidei, & in hoc erant*

hæretici , quòd vellent eam gratiam talem eſſe , cui poſſet humana voluntas reſiſtere , vel obtemperare , Falſam , & hæreticam declaramus, & vti talem damnamus. Quintam ; *Semipelagianum eſt dicere , Chriſtum pro omnibus omnino hominibus mortuum eſſe , vel ſanguinem fudiſſe* , Falſam , temerariam, ſcandaloſam ; & intellectam eo ſenſu, vt Chriſtus pro ſalute dumtaxat Prædeſtinatorum mortuus ſit, Impiam, blaſphemam, contumelioſam, diuinæ pietati derogantem, & hæreticam declaramus, & vti talem damnamus. Mandamus igitur omnibus Chriſti fidelibus vtriuſque ſexus, ne de dictis Propoſitionibus ſentire, docere, prædicare aliter præſumant, quàm in hac præſenti noſtra declaratione, & definitione continetur, ſub cenſuris, & pœnis contra hæreticos, & eorum fautores in jure expreſſis. Præcipimus pariter omnibus Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, aliíſque locorum ordinariis, necnon hæreticæ prauitatis Inquiſitoribus, vt contradictores, & rebelles quoſcumque per cenſuras, & pœnas prædictas, cateráque juris, & facti remedia opportuna , implorato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſæcularis, omnino coërceant, & compeſcant. Non intendentes tamen per hanc declarationem , & definitionem ſuper prædictis quinque Propoſitionibus factam, approbare vllatenus alias opiniones, quæ continentur in prædicto libro Cornelii Ianſenii. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem, anno Incarnationis Dominicæ milleſimo ſexcenteſimo quinquageſimo tertio. Pridie Kal. Iunii, Pontificatus noſtri anno nono. Cùm autem, ſicut accepimus, nonnulli iniquitatis filii prædictas quinque Propoſitiones, vel in libro prædicto ejuſdem Cornelii Ianſenii non

reperiri, ſed ficté, & pro arbitrio compoſitas eſſe, vel non in ſenſu ab eodem intento damnatas fuiſſe aſſerere magno cum Chriſti fidelium ſcandalo non reformident. Nos, qui omnia, quæ hac in re geſta ſunt, ſufficienter, & attentè perſpeximus, vtpote qui ejuſdem Innocentii Prædeceſſoris juſſu, dum adhuc in minoribus conſtituti Cardinalatus munere fungeremur, omnibus illis congreſſibus interfuimus, in quibus Apoſtolica auctoritate eadem cauſa diſcuſſa eſt eâ profectò diligentiâ, quâ major deſiderari non poſſet, quamcumque dubitationem ſuper præmiſſis in poſterum auferre volentes, vt omnes Chriſti fideles in ejuſdem fidei vnitate ſeſe contineant; ex debito noſtri Paſtoralis officii, ac matura deliberatione præinſertam Innocentii Prædeceſſoris noſtri Conſtitutionem, declarationem, & definitionem harum ſerie confirmamus, approbamus, & innouamus; & quinque illas Propoſitiones ex libro præmemorati Cornelii Ianſenii Epiſcopi Iprenſis, cui titulus eſt *Auguſtinus*, excerptas, ac in ſenſu ab eodem Cornelio intento damnatas fuiſſe declaramus, & definimus; & vti tales, inuſta ſcilicet eadem ſingulis nota, quæ in prædicta declaratione, & definitione, vnicuique illarum ſigillatim inuritur, iterum damnamus, ac eundem librum ſæpedicti Cornelii Ianſenii, cui titulus, *Auguſtinus*, omnéſque alios tam manuſcriptos, quàm typis editos, & ſi quos forſan in poſterum edi contigerit, in quibus prædicta ejuſdem Cornelii Ianſenii doctrina, vt ſuprà damnata defenditur, vel aſtruitur, aut defendetur, vel aſtruetur, damnamus itidem, atque prohibemus. Mandantes omnibus Chriſti fidelibus, ne prædictam doctrinam teneant, prædicent, doceant, verbo, vel ſcripto exponant, vel interpretentur publicè, vel priuatim, palam, vel occultè imprimantur, ſub

pœnis,& cenſuris contra hæreticos in jure expreſſis, ipſo facto, abſque alia declaratione incurrendis. Præcipimus igitur omnibus Venerabilibus fratribus noſtris Patriarchis, Primatibus, Metropolitanis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, cæteríſque locorum Ordinariis, ac hæreticæ prauitatis Inquiſitoribus, & Iudicibus Eccleſiaſticis, ad quos pertinet, vt præinſertam Innocentii Prædeceſſoris Conſtitutionem, declarationem, & definitionem, juxta præſentem noſtram determinationem ab omnibus obſeruari faciant ac inobedientes & rebelles prædictis pœnis, aliiſque juris & facti remediis, inuocato etiam, ſi opus fuerit, brachii ſecularis auxilio, omnino coërceant. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem anno Incarnationis Dominicæ 1656. 17. Kal. Nouembris: Pontificatus noſtri anno ſecundo.

IAC. CARDINALIS Prodatarius.

Viſa de Curia P. CIAMPINVS.

G. GVALTERIVS.

A tergo. *In nomine Domini, amen. Anno à Natiuitate ejuſdem D.N. Ieſu Chriſti milleſimo ſexcenteſimo ſexto, Indict. 9. Pontificatus autem Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & D. N. D. Alexandri diuina prouidentia PP. VII. anno ejus 2. die verò 7. menſis Nouembris, retroſcripta literæ ſub plumbo expeditæ, affixæ fuerunt ad valuas Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Vrbe, Cancellariæ Apoſtolicæ, & aliis locis ſolitis & conſuetis Vrbis, per me* P. PAVLVM DE GRASSIS *Apoſtolicum Curſorem. Pro D. Magiſtro Curſorum* IACOBVS CORNELIVS *Curſor.*

Supradictam copiam relationis Curſoris, quam ex ſuo publico ſumpto extraxi, & tranſumptaui, & ſic extractam & tranſumptatam de verbo ad verbum collationaui, in omnibus cum ſupradicto ſumpto concordare atteſtor, & fidem facio. Datum Pariſiis hac die 3. menſis Martii 1657. Ego BARTHOLOMÆVS DE COMITIBVS Protonotarius Apoſtolicus.

BIBLIOTECA NAZ. ... ROMA ... EMANUELE

INDEX RERVM.

A

Apologiſta.

APOLOGISTA Ianſenii in multis imponit. *pag.* 248. 249

Bulla Vrbani eſt illi ſubreptitia. 248

Apologiſtæ virginum Regioportuenſium mala fides. 598

Illuſtriſſimus Vabrenſis ab Apologiſta Ianſenii reprehenſus, laudatur, & defenditur. 209

Appetitus.

Appetitus ſenſitiui & voluntatis differentia. 281

Arbor.

Arbor bona, & mala poſitæ ſunt pro homine iuſto, & iniuſto. 142

Auguſtinus.

Vera ratio inueſtigandæ mentis diui Auguſtini. 630

Denſiſſimis S. Auguſtini teſtimoniis confutatur prima propoſitio Ianſeniana. 369. *& ſeq.* ſecunda. 426. tertia. 438. quarta. 450. quinta. 466

Nullum Sancti Auguſtini teſtimonium à Ianſenio productum, impoſſibilia eſſe Dei præcepta ſignificat, plurima verò negant, ſed Ianſenius ſuam cauſam fallaciis tuetur, quæ notantur duodecim. *à paginâ* 372. *ad paginam* 416

Mens S. Auguſtini de Deo omnes ſaluare volente. 472

Quis ſit ex Auguſtino ſenſus Pelagianus verborum Apoſtoli, *Deus vult omnes homines ſaluos fieri.* 472

Duæ vocationes hominum ad æternam vitam ex Auguſtino. 473

Duæ item voluntates. 474

Suam Auguſtinus ſententiam, non vt vult Ianſenius, Pelagianam exprimit cap. 37. libri de ſpiritu & littera. 477. *& ſeq.* Vera ratio conciliandi Auguſtini teſtimonia in ſpeciem diuerſa, circa voluntatem Dei de ſalute omnium. 479

Diſtinctio voluntatis Dei antecedentis & conſequentis, circa ſalutem hominum, eſt Auguſtiniana. *ibid.*

Quomodo velit & non velit Deus omnes ſaluos facere. 481

Mens Auguſtini ex Proſpero intelligitur. *ibid.*

Antecedens voluntas circa ſalutem hominum ante & poſt peccatum eadem. De Chriſto pro omnibus mortuo mens Auguſtini. 484

In Chriſto quoque duplex voluntas in oblatione meritorum ſuorum pro ſalute hominum ex doctrina S Auguſtini. *ibid.*

Ianſenii doctrina vacillat hoc loco, & inconſtans eſt. 486. 488

Quidquid non retractauit Auguſtinus, cenſendus eſt approbaſſe, ex Ianſenio. 158

B

Baius.

MICHAELIS Baii propoſitiones non ſunt tantùm prohibitæ ad tempus, ſed in perpetuum damnatæ. 8. *&* 9

Bonum.

In quolibet particulari bono reperitur ratio alicuius boni, & defectus alicujus boni. 282

C

CALVINISTARVM & Ianſenianorum parallelus. 87. *& ſeq.*

Caluinus ſcholaſticos, & Sorbonicos doctores Pelagianos & ſophiſtas vocat, ideo quòd dicant noſtri juris eſſe gratiam vel reſpuendo irritam facere, vel obedienter ſequendo confirmare. 213

Chriſtus.

Quomodo Chriſtus ſit & non ſit omnium redemptor. 492

Quo ſenſu nullus perire dicatur eorum, pro quibus Chriſtus mortuus eſt. 493

Clemens VIII.

Clemens VIII. puncta quindecim ad diſputandum propoſuit, ſed non definiuit. 337

Clemens VIII. diſputari coram ſe juſſit controuerſiam de auxiliis. 343

Suffragia conſultorum ſuffragiis oppoſita. 344

Petri Lombardi Archiepiſcopi Armacani epiſtola ad Paulũ V. & judicium de ſuffragiis ſociorum. 353

Senſus Bovii ex ſacra Carmelitarum familia, & concluſio diſputationum de auxiliis. 353. 354

Coactio.

Coactio latè ſumpta neceſſitatem violentam, & naturalem comprehendit. 106

Coactio interdum ſumitur pro omni neceſſitate antecedenti, ſeu independenti à voluntate. 260. 261

Columna.

De columnis, quas Ianſeniani erexerunt. 618

Impoſturæ de ſenſu tertiæ columnæ. 649. *& ſeq.*

Quæ ſit legitima trium columnarum diſpoſitio. 654. *& ſeq.*

Concupiſcentia.

Actus concupiſcentiæ carnalis eſt peccatum, ſecundùm quod motus eius poteſt impediri, vel refrænari ratione. 266

Conſentire.

Conſentire propriè dicitur de homine, non de brutis. 282

Conſilium.

Locus Eccleſiaſtici de homine poſito in manu conſilii ſui intelligendus eſt etiam de natura lapſa, mente Sancti Auguſtini. 170

D

Deus.

DEVS omnia mouet ſecundùm modum eorum. 265

Deus habet liberum arbitrium circa quæ & quale. 270

Deus impoſſibilia non jubet, fusè explicatum. 166. *& ſeq.*

E

Eccleſia.

DVM judicat de aliqua propoſitione, germanum & legitimum ejus ſenſum attendit. 614

Eccleſia primitiua Ianſenianorum. 25

Eccleſia præſentis temporis Ianſenianis impura. 25

Eccleſiæ hodiernæ diſciplinam Ianſeniani accuſant. 27

Eccleſiæ hodiernæ doctrinam Ianſeniani oppugnant. 27

Eccleſia ſola mater quæ pabulum præſtat. 35. 36

Eccleſia primitiua aſſerit Eccleſiam etiam non primitiuam eſſe infallibilem in materia fidei. 39. *& ſeq.*
Auguſtini ſenſus de Eccleſiæ incorruptibilitate in materia fidei. 41
Donatiſtæ dicebant Eccleſiam ſuo tempore periiſſe. 41. 47
Eccleſiæ Romanæ firmitas vſque ad finem promiſſa. 45
Eccleſia promiſſa à Deo per totum orbem diffuſa. 47
Durabit vſque in finem. *ibid.*
Incorrupta in fide *ibid.*
Illi credendum eadem neceſſitate, qua diuino teſtimonio credi debet. 48
Eccleſia præſentis temporis infallibilis. 48
Eccleſiæ præſentis temporis authoritati neceſſe eſt ſubjici. 57
Eccleſia toto orbe diffuſa & mater & virgo. 58
Ejus virginitas qualis. . *ibid.*
Eccleſia depoſitorium veritatis. 62
Eccleſia Romana antiquiſſima, matrix & originalis fidei. In ea ſola veri diſcipuli traditionis. 64. & 65
Eccleſia errare non poteſt in intelligentia eorum, quæ rectè credit. 67. *& ſeq.*
Authoritas infallibilis Eccleſiæ antiquæ fidem præſtat hodiernæ. 15
Eccleſia errare non poteſt etiam ſine pertinacia. 70
Negligentiæ in inquirenda veritate argui non poteſt. 70
Non tantùm ſanciendo, ſed etiam ſimpliciter credendo falli non poteſt. 74
Auguſtinus Eccleſiæ authoritatem non tantùm in ſanciendo, ſed in credendo, & in vſu, & ſenſu vt infallibilem proponit. 78. *& ſeq.*
Veritas non ab vno, aut altero, ſed ab Eccleſia, & à communi conſenſione petenda. 82. *& ſeq.*

Eccleſiaſticus.

Expenditur locus ille Eccleſiaſtici, *Beatus qui potuit tranſgredi, & non eſt tranſgreſſus.* 227. & 228

G

Gibieufus.

GIBIEVFI liber de libertate Dei, & creaturæ, primùm à Ianſenio approbatus, deinde ab eodem damnatus eſt. 209

I

Ianſeniani.

MIRACVLA Ianſeniana. 172 *& ſeq.*
Hæreſis item Ianſeniana 174
D. Thomas Ianſenianas opiniones acerbè carpit. 203
Ianſeniana diſtinctio inter gratiam naturæ integræ, & naturæ lapſæ. 215. & 216
Quid reſpondeant Ianſeniani pro defenſione primæ propoſitionis. 363. pro defenſione ſecundæ. 424. pro defenſione tertiæ. 435. pro defenſione quartæ. 447. pro defenſione quintæ. 465.
Ianſenianæ Theologiæ contradictiones. 232. *& ſeq.*
Quantum differat controuerſia Ianſeniana à controuerſia *de Auxiliis* olim diſceptata. 498
Quàm procul errent qui cauſam Ianſenii cum cauſa Auguſtini confundere conantur. 499. 503.
An fuerit tacendum, & diſſimulanda Ianſenianorum in Theologiam irruptio. 500

PPpp ij

Faſciculus ſententiarum à communi ſenſu Eccleſiæ abhorrentium, & ex Theologia Ianſeniana collectarum. 303. & ſeq.
Ianſeniani quantum in ipſis fuit diſſuadere conati ſunt examen quinque propoſitionum. 306
Eorum inconſtantia in recipiendis, & reiiciendis quinque propoſitionibus. 307
Scala contumaciæ à Quinqueviris Ianſenianis compoſita Romæ poſt ſuam damnationem. 583
Quinqueviri Ianſeniani pugnant pro defenſione quinque propoſitionum ad martyrium vſque. 585
Quinqueviri Ianſeniani timent ne Romanus Pontifex perdat depoſitum antiquæ doctrinæ. 584. 632
Quinqueviri duplicis fidei. 586
Martyrii ſubeundi propoſitum breui mutant. 588
Ianſeniani librorum cenſores iniqui. 589
Eandem iniquitatem affingunt Summo Pontifici. 590
Eorundem peruerſitas & mala fides in interpretanda mente ſummi Pontificis, damnantis quinque propoſitiones. 591. & ſeq.
Ex ignorantia latini ſermonis objiciunt imaginariam injuriam in doctrinam S. Auguſtini. 597
Ianſeniani calumnias fingunt. 624
Ianſeniani doctrinam de gratia efficaci cum Ianſeniana perperam confundunt. item cum ſenſu S. Auguſtini. 629
Quibus conjecturis, & quàm pueriſibus Ianſeniani conentur eludere ſuam damnationem. 634. & ſeq.
Ianſeniani Thomiſtas cum Moliniſtis damnant. 651
Bullæ Summorum Pontificum contra Baium & Ianſenium. 237. 238
Quomodo & quàm futiliter eludantur à Ianſenianis. 239. 240

Ianſenius.

Ianſenius admiſit gratiam neceſſitantem. 288. & ſeq.
Ianſenii ſenſus idem cum ſenſu hæreticorum. 308
Ianſenii ſenſus circa primam propoſitionem euidenter colligitur ex verbis Ianſenii. 355. & ſeq. circa ſecundam. 418. & ſeq. circa tertiam. 419. circa quartam. 442. circa quintam. 452
Conformitas hæreticorum cum prima Ianſenii propoſitione. 358. cum ſecunda. 420. cum tertia. 431. cum quarta. 444. 445. cum quinta. 443
Eccleſiæ doctrina, & Ianſenio, & hæreticis oppoſita circa primam propoſitionem. 361. circa ſecundam. 420. circa tertiam. 433. circa quartam. 436. circa quintam. 454
Ianſenii principia ingratum erga Chriſtum animum formant. 488
Eadem peccatores ad impœnitentiam adducunt. 489. pietati fidelium inimica ſunt. 490. Auguſtino ex diametro opponuntur. *ibid.*
Ianſenii lapſus in referenda Auguſtini doctrina. 494. 495. 496
Laudandi ſunt vnde accuſantur qui Ianſenio contradicunt. 304
Quinque propoſitionum Ianſenii damnatio. 523
Ianſenius & Vincentius D. Thomam Pelagianum, Peripateticum & Ariſtotelicum facere co-

nantur. 205. & 206

Ianſenius in multis ſibi contrarius, aut vacillans. 207. & 208

Ianſenius admiſit libertatem hominum viatorum indifferentem eſſe in ſpeciem tantùm, ſed reipſa negat. 211 & 212 & ſeq.

Epiſcopi Galliarum pluſquam octoginta contra Ianſenium ſcripſerunt ad Summum Pontificem. 249

Ignorantia.

Ignorantia & concupiſcentia, quæ ſunt pœna peccati, ſunt etiam peccatum impropriè, ſed negligentia diſcendi, & conſenſus deliberatus in motum concupiſcentiæ ſunt propriè peccata. 153. & 154

Indifferentia.

Indifferentia non perditur per conſuetudinem malam, ſed difficultate aliter faciendi vincitur, & per diuinam gratiam reſtituitur. 148

Benignitas ante te, iniquitas ante te, compara & elige, expreſſiſſima eſt apud S. Auguſtinum potentiæ ad vtrumlibet immediatæ, hoc eſt, indifferentiæ confeſſio. 156

Per Dei gratiam non aufertur, ſed confertur potiùs indifferentia illa, quam Deus homini dedit in prima conditione. 157

Indifferentia proxima ad vnum oppoſitorum, & remota ad aliud non ſufficit ad libertatem. 190

Thomiſtarum ſententia de indifferentia ad libertatem neceſſaria, qualis ſit. 191

Indifferentia liberi arbitrii, & gratia merè ſufficiens diſtinctè exprimitur in Concilio Tridentino. 195

D. Thomas libertatem indifferentiæ confirmat. 198

Sententiam contrariam vocat hæreticam. *ibid.*

Indifferentia quam ad libertatem poſtulat Auguſtinus, in eo ſita eſt quòd voluntas agens poſſit non agere, & non agens poſſit agere. 214

Eccleſia, D. Auguſtinus, & Patres agnoſcunt rem & nomen indifferentiæ, quam Ianſenius & hæretici negant. 217

Indifferentiæ Ianſenianæ larua & ſpecies in quo conſiſtat, & quadruplex ſtatus voluntatis. 218. & ſeq. 220

In doctrina indifferentiæ Ianſenius ſibi ipſi contradicit. 222

Inter Ianſenii & Thomiſtarum indifferentiam quid interſit. 223

Ianſeniana indifferentia contraria eſt Auguſtinianæ. 221. & ſeq.

Contradicit etiam Concilio Tridentino & Scripturæ. 125 & ſeq.

Indifferentia Ianſeniana contraria eſt ſenſui communi. 228. & 229.

Eſt paſſiua tantùm reſpectu voluntatis. 219

Indifferenria quæ poteſt adeſſe & abeſſe, ſtante illæſa libertate, vana eſt, Manichæa & Ianſeniana. 231. & ſeq.

Indifferentia verò prout dicit proximam & immediatam potentiam agendi, & non agendi, eſt catholica & Auguſtiniana, ſpectátque ad eſſentiam libertatis, & cum ea conuertitur. 229. & ſeq.

Indifferentiam propugnauit Auguſtinus aduerſus peſtes libertatis Manichæos & Stoicos, veluti ba-

ſim immobilem Catholicæ fidei. 231. & 232
Sublata indifferentiâ deſtruitur liberi arbitrii definitio. 236
D. Thomas in Summa contra gentes multis locis docet & probat, indifferentiam ad libertatem arbitrii neceſſariò requiri. 241. & ſeq.
Indifferentia ad contraria alia eſt ab indifferentiâ ad contradictoria. 260
Coactio interdum latè ſumitur pro omni neceſſitate antecedenti, ſeu independenti à voluntate. 260. 261.

L

Liberalitas.

LAVS liberalitatis & miſericordiæ non conſiſtit in eo quòd habeant adjunctam facultatem benefaciendi & ſubueniendi miſeris, ſed in eo quòd de facto benefaciant & ſubueniant. 262

Libertas.

Ianſenii ſententia de libertate, & quæ neceſſitas eam tollat. 106
Libertas primariò, & immediatè conuenit actibus internis voluntatis, ſeu volitionibus, mediatè autem actionibus externis. 108. & 111.
Quomodo hinc probetur libertatem eſſe non poſſe abſque indifferentia neceſſitati ad vnum determinanti oppoſita. 110. & 111
Mors non libertati, ſed neceſſitati ſubjacet, & quare. 111
Quid ſit plena rationis aduertentia, & an ſit ad libertatem neceſſaria. 114
Indifferentia judicii radix libertatis. 114
Sicut memoria præteritorum non obeſt libertati rei præteritæ, ita nec præſcientia futurorum nocet libertati rei futuræ. 119. & 123
Si homo ſuo vitio indifferentiam perdidiſſet, denegatâ omni ad eam recuperandam facultate, æquè ſtultum eſſet illi aliquid præcipere, ac præcipere illi qui ſibi oculos effodit, vt ſtellas numeret. 155
Libertas ab Ianſenio bicornis vocata, qualis ſit. 157. & 158
Diuiſio libertatis in eſſentialem, & accidentalem à Vincentio excogitata explicatur, & exploditur, 185. 186. 187. & ſeq.
Non ſufficit ad libertatem vt potentia proximè ad vnum oppoſitorum ſit vno tempore, & alio tempore, ſeu ſucceſſiuè ſit potentia ad oppoſitum, ſed vtraque debet eſſe eodem tempore. 190. & 191
Non eſt meritorium nec demeritorium, quòd aliquis ex neceſſitate ſic agit, vt vitare non poſſit. 198
Libertas ſpecificationis & exercitii. 201
Quæſtio de libertate Chriſti oſtendit, omnes Scholaſticos in illa explicanda tam ſollicitos, cenſere illum liberum fuiſſe libertate exercitii, quia de re certi, tantùm de modo diſputant. 209
Scholaſtici veteres quid ſenſerint de libertate. 207. & 208
Libertas alia eſt naturalis, alia arbitraria quæ verſatur tantùm circa contingentia. 247
Libertas & indifferentia Chriſti

[..]toris explicatur. 262. & ſeq.

Bruta non habent libertatem niſi conditionatam, & quare. 268

Libertas Chriſti in quo ſita erat. 272

Deus eſt liber, & quomodo. 272. & 275

Liberum arbitrium.

Quomodo ſit intelligendum quod dicitur: illud eſſe liberum quod eſt in noſtra poteſtate, illud autem eſſe in noſtra poteſtate, quod cùm volumus facimus, & cùm nolumus non facimus. 109. 110

Motus primi, ſeu indeliberati quare non ſint liberi. 110. 111

Viuere & præſcire in Deo non eſt arbitrarium, ſeu liberum. 116. 117

Minimè reus tenetur qui caruit libero ad faciendum, & non faciendum animi motu: nec habuit poteſtatem àbſtinendi ab opere ſuo. 136

Deus homini dedit liberum arbitrium vt poſſet habere meritum, quia oportet non neceſſitate, ſed voluntate bonum eſſe, ex Sancto Auguſtino. 140

D. Auguſtinus negat ſe tollere liberum arbitrium, & potiùs illud fusè probat. 168. 169

S. Auguſtinus admittit idem arbitrium, quod Pelagius, ſed non eundem motum gloriæ adjuuantis. 168. 169

Liberum ſic confitemur arbitrium, vt dicamus nos Dei ſemper indigere auxilio, hæc eſt fides Catholicæ Eccleſiæ, ex S. Auguſtino. 170

Manichæi & Iouinianus tollebant liberum arbitrium, diuerſo quidem modo, ſed ambo tollebant indifferentiam. 171

Liberum arbitrium inalligatum & inimpeditum, quando, & quomodo dici debeat. 229. 230

In poteſtate liberi arbitrii eſt impedire, & nonimpedire gratiæ receptionem. 245

Deus habet liberum arbitrium, circa quæ, & quale. 270

Homo per arbitrium poteſt ſeruare mandata quoad ſubſtantiam, non tamen quoad modum, id eſt, ita vt obſeruatio ſit meritoria. 272

Liberum arbitrium dicitur ſubjectum peccato, in quantum ex peccato inclinatur ad peccandum, ſicut à diſponente, non ſicut à compellente, quia ſibi in peccatum non imputaretur. 274

Proceſſio Spiritus Sancti non eſt libera, & quare. 276

Amor beatificus non eſt liber, & quare. 277

Quo ſenſu Deus dicatur amare ſe liberè, & Spiritum Sanctum procedere liberè. 147

Locobonus.

De Doctore Locobono, déque illius opere perperam inſcripto *Gratia victrix.* 295

Quanti faciat ſanctiones Apoſtolicas. 296

Ianſeniſmum profitetur poſt conſtitutionem Vrbani octaui. 297

Cauſæ deciſionem præuenit, & conſtituta jam à Summo Pontifice damnat. 298. 299. & ſeq.

Quàm ſit contumelioſus in Ieſuitas. 301

Qui non ſoli Ianſenio contradicunt. 302

Locobonus fruſtra recurrit ad doctrinam Thomiſtarum de gratia efficaci. 309. & ſeq. vbi breuiter

percurruntur quinque propoſitiones, & teſtimonio Didaci Aluaris, & Gonçalis de Albelda refutantur.
Corollaria ex doctrina Locoboni. 326
Origo tot errorum, quòd principia quæ Thomiſtæ neceſſariò putant contingentia, ipſe diſſoluerit. 327
Fabulæ Locoboni de damnata Ieſuitarum doctrina, quæ ſpectat ad diſputationem de auxiliis, refutantur. 328. *& ſeq.*
Lutheri fraus & ſimulatio. 20

M

BVLLA in Molinam chimærica. *V.* Penna.

N

Neceſſitas.

EST quædam neceſſitas voluntaria ex mente Ianſenii, qualem in Chriſto viatore, in beatis, & dæmonibus reperiri dicit, quæ non tollit, ſed perficit libertatem. 107
Neceſſitas non eſt ſemper negatiua perfectionis, ſed aliquando aſſertiua. 118
Neceſſitas conſequens ſtat cum antecedenti voluntatis indifferentia. 121
Non poteſt eſſe neceſſitas ſi præſcitur voluntas, vel non eſt voluntas, ſi ſequitur neceſſitas. 122
Quæ Deus nouit futura non ideo facit, quia præſciendo nullam inuehit cauſalem neceſſitatem. 123
Neceſſitas malè faciendi in quam præcipitati ſumus per peccatum Adami, cujuſmodi ſit. 141. 142
Neceſſitas Ianſeniana eadem eſt cum Caluiniana, Manichæa, Stoica & Aſtrologica. 181. *& ſeq.* 184
Neceſſitas ferrea & ſtrangulans oppoſita molli & plumeæ à Vincentio. 200

Nolle.

Nolle & non poſſe apud S. Auguſtinum opponuntur. 147

O

Obſtinatio.

OBSTINATIO in malo non dicit impoſſibilitatem, ſed magnam difficultatem bene agendi. 270

P

Paſſiones.

HOMO poteſt paſſiones ſubortas admittere, vel refutare judicio rationis; bruta non item. 269
Omnes inclinationes ſubjacent judicio rationis, etiam quæ ſunt ex habitibus. 278

Peccatum.

Ideo peccatori non eſſet imputandum peccatum, ſi caueri ab eo non poſſet, quia non putaretur peccare liberè. 124
Illud axioma D. Auguſtini: Nemo peccat in eo quod caueri non poteſt, non tantùm valet in ſtatu naturæ integræ, ſed etiam lapſæ. 124. *& ſeq.*
Etiam ſuppoſita ignorantia & concupiſcentia verum eſt, quòd nemo peccat in eo quod caueri non poteſt. 126
Non damnatur peccator propter peccatum Adami & Euæ, ſed propter propriam negligentiam, qua oblatis à Deo remediis ad depellendam ignorantiam, & ſanandam libidinem abutitur. 128

Fruſtra queruntur homines de peccaro Adami & Euæ, déque ignorantia & libidine, quæ ab eo fluxerunt, cùm ad vtramque vincendam gratia Dei præſens ſit. 128

Anima tenetur rea peccati, cùm per ignorantiam, vel concupiſcentiam ſuperatur, quia poteſt ab iis non ſuperari. 129. 130

Non eſſe peccatum, niſi ſit liberum ab eo abſtinere, ex Auguſtino, & præcluduntur effugia Ianſenianorum. 131

Illa peccati definitio nota eſt lumine naturali. 133

Nec tantum Adami peccato, ſed omnibus quæ nunc fiunt conuenit. 134

Paruulorum peccatum originale quomodo voluntate contractum. 136. 153. 154

Propterea corporea diligendo peccamus, quia ſpiritualia diligere, & iuſtitiâ iubemur, & naturâ per gratiam adjutâ poſſumus, ex Auguſtino. 136 137

Pœnitentiam peccati vtilem eſſe lex naturæ docet. 137

Voluntas quæ non eſt adeò libera, vel liberata vt poſſit excutere iugum cupiditatis, non debet dici voluntas, ſed cupiditas, ex Auguſtino. 138. 139

Aut negandum eſt peccatum committi, aut farendum eſt voluntate committi. 151

Qui obſtinatè negant hominem in hac vita poſſe eſſe ſine peccato, & libero hominis arbitrio, & miſericordiæ Dei derogant. 158. 161

Quomodo homo in hac vita poſſit eſſe ſine peccato, & cur non ſit. 159. *& ſeq. fuſe.*

Quærenti cur homines non ſint ſine peccato, cùm eſſe poſſint, efficaciſſimè reſpondetur, quia nolunt. ex Auguſtino. 163

Non poſſe peccatum mente decerni, niſi à dominio indifferentis voluntatis. 172

Diuturna in peccato vitando conſtantia, difficilis, & quare. 462

Omne peccatum eſt in arbitrio voluntatis. 266

Homo exiſtens in peccato mortali quomodo poſſit vitare omnia peccata mortalia. 270. 271

Homo exiſtens in gratia poteſt omnia peccata mortalia vitare. 272

Si ita coguntur homines peccare, vt poteſtas reſiſtendi nulla ſit, non peccant. 231

Pelagius.

Pelagii confeſſio ad Sedem Apoſtolicam miſſa, in ſeipſa Catholica eſt, licèt vt eſt à Pelagio, ſit mendax. 99

Venenum erroris Pelagiani in quo latebat. 167. 169

Penna.

Quantum probet authoritas D. Pennæ, dum narrat ea quæ geſta ſunt in congregationibus de Auxiliis. 332

Quàm ſit authenticum ejus manuſcriptum. *ibid.*

Exceptiones contra teſtimonia Pennæ. 333. quæ dicit, retorquentur in Aduerſarios.

Bulla contra Molinam Pennæ incognita. 334. eadémque fabuloſa. 345. 347. 350. fictitia bulla non vna. 351

Conuincitur ex Penna non fuiſſe damnatam à Clemenre VIII. So-

cietatis doctrinam de Gratia efficaci. 315

Fabuloſum quoque, vel ex ipſo Penna, quod dicitur de judicio Pauli V. contra doctrinam Societatis. 338

Conuincitur quoque nec à Congregationibus *de Auxiliis* damnatam eſſe Societatis doctrinam, ex eodem Penna, & aliis. 339. ſed neque à Conſultoribus. 340. 341. 342 *& ſeq.*

Non quæritur an Deus phyſicè moueat voluntatem ad bonos actus, ſed an phyſicè prædeterminet. 340. 341

Perſeuerantia.

Donum perſeuerantiæ quomodo non ſit in poteſtate hominis juſti, ſed à Deo petendum ſit. 272

Pœna.

Malum pœnæ bene fit à Deo. 143

Pœnitentia.

Pœnitendi affectio, quæ proditmalè feciſſe pœnitentem, & bene facere potuiſſe teſtatur. 137

Pontifex ſummus.

Intendit ferre judicium de ſenſu Ianſenii. 624

Non peccaſſe Epiſcopos Galliæ qui recurrerunt ad Summum Pontificem, vt obtinerent quinque propoſitionum deciſionem, nec ſine antiquorum exemplo id feciſſe. 642. *& ſeq.*

Nec obſtat decretum Innocentii primi. 645

Poſſibilitas.

Si poſſibilitas rei alicujus pendet à londitione impoſſibili, res abſolutè dicitur impoſſibilis, vt bouem volare, ſi haberet alas. 163

Poteſtas.

Deus nihil poteſt præcipere quod non ſit poſitum in poteſtate illius cui præcipitur. 141. 142

In noſtra poteſtate eſt, vt vel inſeri bonitate Dei, vel excidi mereamur. 143 144

Qui legem ſeruare non vult, in poteſtate ejus eſt ſeruare ſi velit. 147

Stultum eſt dare ei præcepta, cui liberum non eſt, quod præcipitur facere: & iniquum eſt eum damnare, cui non fuit poteſtas juſſa complere, ex Auguſtino. 154

Qui ad cœnam vocati noluerunt venire, non alteri debent tribuere quòd excluſi ſunt, quàm ſibi, quia vt venirent vocati erant in libera poteſtate, ex Auguſtino. 158

Præſcientia.

Præſcientia futurorum non adimit libertatem, & quare. 113 114. 118. 119.

Propoſitiones.

Quinque propoſitiones, ſiue abſtractæ, ſiue conjunctæ cum reliquo Ianſenii textu eundem habent ſenſum legitimum & germanum. 596

Quinque propoſitiones Ianſenianæ ſunt omnes. 60. *& ſeq.*

Summus Pontifex de ſenſu propoſitionum controuerſo omnino pronuntiauit. 620. *& ſeq.*

Tertia propoſitio damnata à Doctoribus Sorbonicis nuper in Ianſenio, & olim in Eraſmo. 251

Anonymus propoſitionem damnatam abſurdè tuetur. 252

Superflua & injurioſa eſt conceptio Auguſtinianæ doctrinæ, dum datur aſſenſus damnationi quin-

que propoſitionum. 631
Abſurda cauillatio eorum, qui dicunt quinque propoſitiones eſſe damnatas in ſenſu quodam vniuerſo & confuſo. 639. & ſeq.

Reſiſtere.

Quomodo id ſit intelligendum; qui poteſt reſiſtere non cogitur cedere. 130

S

Sancyranus.

IANSENII & Sancyrani conſpiratio. 22
Sancyrani dogmata injurioſa Eccleſiæ. 23
Epiſcopi Lingonenſis teſtimonium de doctrina Sancyrani. 23
Epiſcopi Vabrenſis teſtimonium de doctrina Sancyrani. 24

Santamorius.

De diario Santamorii. 3
utor diarii fatetur ſe non legiſſe Ianſenii librum. 289
Santamorii conuicia; & cogitationes ſecum pugnantes. 514. & ſeq.
Æquiuocationes in Thomiſtarum doctrina fruſtra fingit. 516
Santamorii conatus, & ſolicitudo pro ſupprimendo libro de incoacta libertate. 94
Ejuſdem figmenta. 95. 96

Scrupuloſus.

Scrupuloſus dubitans de actu ſuſpendendo vel eliciendo quando dici debet liber ad vtrumlibet. 188. 189

Subſtantia.

Solæ ſubſtantiæ rationales habent dominium ſui actus, ita quòd in eis eſt agere, & non agere, aliæ verò magis aguntur quàm agunt. 266

T

Thomiſta.

THOMISTARVM doctrina longè diuerſa à Ianſeniana. 284
Thomiſtæ Ianſenio aduerſantur, & nominatim Didacus Aluarez. 525. 538. 546. 569
Gonzal. de Albelda contra primam propoſitionem. 527. contra ſecundam. 539. contra tertiam. 540. contra quartam. 562. contra quintam. 571
Ioannes Paulus Nazarius contra primam propoſitionem. 528. contra ſecundam. 540. contra tertiam 550. contra quartam. 564. contra quintam. 572
Didacus Nugnes Lalezudo contra primam propoſitionem. 528. contra ſecundam. 541. contra tertiam. 554. contra quartam. 565. contra quintam. 574
Petrus Ledeſma contra primam propoſitionem. 533. contra ſecundam. 542. contra tertiam. 555. contra quartam. 566. contra quintam. 575
Balthaſar Nauarrette contra primam propoſitionem. 535. contra ſecundam. 543. contra tertiam. 557. contra quartam. 564. contra quintam. 576
Ioannes à S. Thoma contra primam propoſitionem. 535. contra ſecundam. 543. contra tertiam. 558. contra quartam. 567. contra quintam. 576
Thomiſtarum doctrina conſentit cum damnatione quinque propoſitionum. 631

Traditio.

Traditionis certitudo ſtare non po-

teſt ſine infallibilitate Eccleſiæ hodiernæ. 28
Traditionis diſcipuli, defenſores, & Theologi, quid apud Ianſenianos. 29
Traditiones ab Eccleſia hodierna accipiendæ. 30
Traditionis depoſitum in Eccleſia ſeruatur. 31
Auguſtini ſenſus de traditione ab Eccleſia accipienda. 33
Traditio quid ſit. 59
Traditionis diſcipulus quis verè dicendus ſit. 59.58
Traditionis diſcipuli minimè omnium ſunt Ianſeniani. 61
Succeſſio ſine interruptione ad traditionem neceſſaria. 61. & ſeq.

V

Vincentius Lenis.

PONS fabricatus à Vincentio ad voluntatem ab vno oppoſito ad aliud traducendam, quàm ineptè, & inſcitè fabricatus ſit. 193
Interpretatio verborum Concilii à Vincentio allata refutatur fusè, abſurda, ridicula & Concilio indigna oſtenditur. 194. & ſeq.
Fabula de D Thoma ad menſam Galliarum Regis accumbente à Vincentio relata irridetur. 199
Refutatur reſponſio Vincentii ad authoritatem Sancti Thomæ. 200. & ſeq.
Vincentii Lenis variæ elucubrationes, & aliorum Ianſenianorum. 176.177
Vincentii de Ianſenio judicium contrarium decretis Pontificum. 178
Vincentii ſententia de duplici neceſſitate ſimplici ſeu voluntaria explicatur, & rejicitur. 180. 182. 183.
Vana diſtinctio Vincentii de prioribus, & poſterioribus operibus D. Thomæ. 204

Virtus.

Virtus rationalis ſe habet ad oppoſita. 265

Voluntas, Voluntarium.

Voluntas ſeipſa quodammodo vtitur, quæ vtitur cæteris. 112
Voluntati primitus & ex proprio quod habet in ſuos actus dominio conuenit, poſſe agere, & non agere. 112
Voluntas eſt motus animi, cogente nullo. 130.131
Nuſquam niſi in voluntate eſſe peccatum, quo ſenſu dicat Auguſtinus. 130. 131
Peccatum quo conſentitur concupiſcentiæ, non niſi voluntate committitur. 131. 140
Naturâ, non voluntate aliquid facere, eſt carere libero ad faciendum, & non faciendum animi motu. 135
Qui voluntate aliquid facit, id ſine vlla neceſſitate facit, ex D. Auguſtino. 147.148
Homines libera voluntate faciunt conſuetudinem, quam cùm fecerint facile ſuperare non poſſunt. 148
Non vult Deus vt e neceſſitate ſeruiatur, ſed voluntate, ex Auguſtino. 151. 153
Credere, vel non credere eſt in arbitrio voluntatis, quando voluntas præparatur à Domino, ex Auguſtino. 164
Conſentire vel diſſentire propriæ voluntatis eſt. 169, & ſeq.

Dominium quod habet voluntas ſupra ſuos actus excludit determinationem virtutis ad vnum. 243

Eſt quædam perfectio in voluntate, quòd contingenter agat, & non habeat virtutem limitatam ad vnum. 244

Natura & naturale opponuntur voluntati & voluntario. 247

Voluntas in quantum voluntas ad vtrumlibet ſe habet, poteſt enim agere, vel non agere, ſic vel ſic facere. 265

Voluntas in quantum voluntas non poteſt eſſe principium diuinarum productionum. *ibid.*

Homo appetens beatitudinem naturaliter, non meretur, ſecus ſi appetat voluntariè. 295

Voluntas nullius peccati reſpectu habet neceſſitatem. 268

Voluntas cogi non poteſt, intellectus poteſt. 273

An diuina voluntas imponat neceſſitatem rebus volitis. 275

Omiſſio voluntaria tunc eſt peccatum, quando voluntas poteſt agere, & debet, ad cujus imputabilitatem requiritur indifferentia. 279

Voluntas à nullo objecto ex neceſſitate mouetur. 280

Actus oppoſiti non ſunt ſimul, ſed ſimul ineſt homini potentia voluntatis ad vtroſuis. 203

Deus judex voluntatum eſt, creator autem naturarum. 150

FINIS.

5 – 5 – 1